DISPUTATIONES DE TESTIMONIIS ET ARGUMENTIS E VETERI TESTAMENTO PETITIS, QUIBUS...

Josué : de La Place, Thomas Ioseph Sendendor




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
17 D
27

88

1 1

~~99~~

1 2

121

DISPVTATIONES DE TESTIMONIIS ET ARGVMENTIS E VETERI TESTAMENTO PETITIS, QVIbus probatur, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſſe Deum præditum eſſentia diuina,

In Academia Salmurienſi varijs temporibus habitæ,

Sub Præſidio D. IOSVE' PLACÆI, S. S. Theologiæ Profeſſoris.





SALMVRII,
Ex Typographiâ IOH. LESNERII,
Ad Inſigne Libri Aurei.
M. DC. LI.


CHARITAS.
Fr. Th.
I. S.
M.



Index Disputationum quæ hoc libro continentur.




DISPV-

DISPVTATIONVM

De argumentis, quibus efficitur Dominum nostrum esse Deum essentia diuina præditum.

PRIMA

De Arg. I. Ex visione Esaiæ cap. VI. *In anno quo mortuus est Rex Osias vidi Dominum sedentem super solium excelsum*, &c. collata cum Ioh. XII. 41. *Hæc dixit Esaias cùm vidit gloriam eius*, &c.



N nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti probare instituimus hoc secundo libro, Dominum nostrum Iesum Christum esse Deum diuina essentia præditum. Ita enim potius concipimus statum controuersiæ quàm vt solent Aduersarij, quibus placuit vt quæreretur, *sitne Christus Deus summus necne*?

II. Hæc enim locutio, *Deus summus*, primùm à *forma saniorum sermonum*, quam nobis imitandam Apostoli proposuerunt, 2 Tim. 1. 13. discedit. Nomen enim עליון ὕψιςος *summus, altissimus*, etsi nominibus Dei אל, אלהים, יהוה, additur nonnunquam in Veteri Testamento, tamen in Nouo perpetuò vsurpatur tanquam nomen Dei, neque nomini Dei subjungitur vt epitheton, nisi quater tantùm: Semel ab Apostolo Heb. 7. 1. *ἱερεὺς τοῦ θεοῦ ὑψίςου*, sed vt reddat verba Gen. 14. 18. כהן לאל עליון: ter à Diabolo Marc. 5. 7. Luc 8. 28. Act. 16. 17. etiam cùm veritatem confitetur maligno. cuius discriminis hæc ratio esse videtur, quod in Vetere Testamento Dei nomen tribuitur aliquoties Angelis, immò Iudicibus, atque ita erant quodammodo dij inferiores Deo summo ὑποτασσόμενοι. In

Nouo verò Dei nomen ei soli vendicatur, qui cœlorum & terræ dominus est, ab ipsis etiam Angelis adorandus, iuxta vaticinium Esaiæ 2.17. *Exaltabitur Dominus solus in die illa.* Exorto enim & reuelato sole iustitiæ tantum discrimē inter Deum & Angelos apparuit, vt dij appellari desierint in ordinem seruorum redacti.

III. Deinde periculosa est: innuit enim plures Deos, vnum summum, reliquos inferiores, qui Gentium error erat prædicatione Euangelij abolendus in æternum. Denique laborat ambiguitate disputantibus incommoda. Dicitur enim Deus ὕψιστος *summus* ratione, vel *loci*, quia sedet ἐν ὑψίστοις in locis altissimis: vel *naturæ*, quia præditus est natura altissima: vel *personæ*, quia personam sustinet in Scriptura omnium summam; vel denique *exaltationis*, quia super omnes, qui putantur aut dicuntur dij, exaltatus est, כי אתה יהוה עליון על כל הארץ מאד נעליתה על כל אלהים
Ps. 97. 9. *quoniam tu Domine altissimus es super omnem terram: valdè exaltatus es super omnes Deos.*

IV. Certum est autem Dominum nostrum, seu locum spe-
Heb. 1. 3. ctes, seu exaltationem dici posse Altissimum. Nam, & sedet ad dextram Majestatis in excelsis, supra omnes cœlos, excelsior cœ-
Eph. 4. 10. lis factus, & habet nomen quod est supra omne nomen, jubenturque eum כל אלהים *omnes Angeli* adorare. Certum etiam est eun-
Heb. 7. 26. dem Dominum nostrum, si personā eius cum persona Patris con-
Philip. 2. 9. feras, ita altissimum esse respectu angelorum & hominum, vt in comparatione cum Patre non tam ipse quam Pater sit altissimus.
Heb. 1. 6. Est enim à Patre, cum Pater à nullo sit; & partes suscepit mediatoris inter Patrem & homines, cum Pater nullas partes sustineat nisi Dei & Patris: quam prærogatiuam Patris personalem nos vltrò confitemur.

V. De Natura igitur seu essentia omnis inter nos est quæstio, *Sitne Christus præditus natura* altissima, hoc est, *diuina*, *necne?* Nos affirmamus, Negant Aduersarij, Conuenit de Iudice Scriptura sacra. Cum enim in genere omnis de veritate controuersiæ iudex seu norma sit *veritas ab vtraque parte contendente agnita & confessa, partibus quæstionis ita applicabilis, vt quæ cum illa congruat, quæ non congruat liquidò constare possit*, vt patet inductione, manifestum est talem veritatem esse, non traditionem non scriptam, nec ingentia Patrum volumina, nec ecclesiæ judicium vel testimonium, sed Scripturam vtriusque Testamenti diuinitus inspiratam, quam

omnes Christiani, vt vt in partes diuisi, pro canonica habent vnanimi consensu. Eam igitur, vt libro præcedente fecimus, scrutemur diligenter, non viribus nostris, sed Dei Patris & Domini nostri Iesu Christi promissionibus, & misericordia quam imploramus, freti.

VI. Testimonia Scripturæ quibus diuina Filij Dei essentia probari potest, quoniam multa sunt, distribuemus in tres classes seu sectiones. Quædam enim ex vtroque Testamento promemus, Quædam ex solo Vetere, Quædam ex solo Nouo.

VII. Primi generis sunt testimonia Veteris Testamenti laudata in Nouo, quorum agmen ducet illustris illa visio gloriæ Domini, quæ describitur Esaiæ cap. VI. I. *Anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum*, &c. cuius is fuit exitus, vt mitteretur propheta, qui diceret populo Iudaico, *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte videat oculis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum..* Quæ verba citantur ab Apostolo Ioh. XII. 39. vt probet, Iudæos non potuisse credere in Iesum, addito hoc breui commentario, *Hæc dixit Esaias cum vidit gloriam eius, & locutus est de eo*, quo docet verba illa Esaiæ de Iudæis illis esse intelligenda, qui positam ob oculos Christi gloriam neque oculis viderunt, neque corde intellexerunt, neque vt sanarentur ad eum conuersi sunt. Hinc ducitur

VIII. Arg. I. *Ille cuius gloriam Esaias vidisse dicitur cap. VI. libri sui est Deus Israelis essentia diuina præditus. Dominus Iesus est ille cuius gloriam Esaias vidisse dicitur illo capite. Ergo Dominus Iesus est Deus Israelis diuina essentia præditus.* Maior legenti illud caput ita manifesta est, vt probatione non egeat, vnica enim toto illo capite visio continetur magnificæ gloriæ Dei Israelis, qui nomine maximè proprio יהוה צבאות *Dominus exercituum* bis appellatur. Minor duplici genere argumentorum nititur, quorum alterum à testimonio Apostoli & Euangelistæ Iohannis petitur, alterum ab ipso textu Esaiæ. Testimonium Apostoli disertum est, *Hæc*, inquit, *dixit Esaias cum vidit gloriam eius: & locutus est de eo*, cum sine dubio pronominibus *eius* & *eo* significans, de quo vno loquebatur, nempe, Dominum Iesum.

IX. Ad hoc testimonium nihil potest responderi, nisi, aut pronomina illa *eius*, *eo*, non referri ad Iesum, aut si referantur, gloriam illam Iesu non eam esse cuius visio descripta est Esai. VI. 1. 2. 3. &c, aut, si sit illa gloria quæ ibi descripta est, tamen Iesum non esse illum Dominum quem Esaias eo loco describit & vidisse se profitetur. Quæ tria, quoniam ab Aduersarijs reponuntur, ordine refellenda sunt.

Ref. 1. resp. X. Primùm igitur negant pronomina illa *eius*, *eo*, referri debere ad Iesum: *posse enim ad Deum commodè referri*: cui rei vt colorem aliquem concilíet Socinus ait *à v. 37. quatuor consequentes versiculos per parenthesim legi aut debere, aut saltem posse. Apertissimum enim est*, inquit, *versiculum demum 42. cum isto v. 37. & sensu & verbis coniungi, cum alij quatuor intermedij videri possint aliquantum à proposito digredi.* Idem ijsdem ferè verbis dicit Vvolkelius. Sed notam parenthesis neque fontes græci, neque versiones vllæ habent, neque verba Euangelistæ innuunt aut poscunt (cohæret enim sensu & verbis vers. 42. non modò cum v. 37. sed etiam cum v. 39. & 40.) imò respuunt. Quid enim est parenthesis nisi vt loquitur Quintilianus, *medio sermone aliquis insertus sensus*, vel, vt plenius Valla, *interiectio orationis in sermone, qua remota sermo manet integer?* Itaque pars sermonis non est, sed aliquid interjectum inter partes sermonis. Quis autem non videt initium v. 38. *vt sermo Esaiæ prophetæ impleretur*, non esse aliquid interpositum, sed cohærere cum fine v. 37. *non credebant in eum*, tanquam cum altera parte sermonis? Est enim sermo integer, *non credebant in eum, vt sermo Esaiæ prophetæ impleretur*, &c. à quo, quin mutiletur, rescindi non potest membrum, *vt sermo Esaiæ impleretur.* Hoc vel cæco visibile est.

XI. Si quis tamen aliquam confirmationem desiderat, Id primùm firmat Euangelistæ mens, qui verba, *non credebant in eum*, non tam propter ipsa quàm propter sequentia posuit. Non enim incredulitatis Iudæorum meminit, nisi vt scandalum, quod ex ea nasci videbatur, remoueret prolatis oraculis ex quibus liquet, eam à Deo non solùm præuisam & prædictam, sed etiam aliquomodo præordinatam fuisse. Deinde id confirmat similis sermo frequens in Nouo Testamento. Vt Math. 1. 22. *Hoc autem totum factum est, vt impleretur quod dictum est à Domino per prophetam*: Et Math. 2. 15. *Et erat ibi vsque ad obitum Herodis*

vt adimpleretur quod dictum est à Domino : & Vs. 23. *& veniens habitauit in ciuitate qua vocatur Nazareth. vt adimpleretur quod dictum est*, &c. Et Math. 4. 13. *habitauit in Capernaum maritima in finibus Zabulon & Nephtalim, vt adimpleretur quod dictum est per Esaiam prophetam.* Insaniret qui in his locis & similibus verba, *vt adimpleretur*, ab antecedentibus inserta parenthesis nota diuideret: sunt tamen isti nostro tam similia quàm ouum ouo.

XII. Adde quod Euangelista non contentus dixisse Iudæos non credidisse Vs. 37. vlteriùs progreditur v. 39. affirmatque eos non potuisse credere, quæ sermonis progressio & quasi gradatio, si quid video, parenthesis esse non potest. Denique versus 42. iungi gestit non tantùm cum 37. sed etiam, & quidem maximè, cum 39. & 40. vt sit sensus, quamuis dixerim Iudæos non credidisse in eum, quamuis addiderim eos non potuisse credere, quamuis vtrumque disertis verbis Esaias prædixerit, tamen id non est ita accipiendum, quasi nulli prorsus crediderint: nam præter plebeios non paucos, quales nos sumus, etiam ex primoribus multi crediderunt in eum, &c. Esto igitur conclusum non esse parenthesim: vnde sic possum argumentari. Si pronomina *eius* & *eo* non essent referenda ad Iesum, versus quatuor inter 37. & 42. interpositi parenthesi includi deberent, vel saltem possent. Hoc autem falsum est, vt iam probaui. Ergo & illud.

XIII. Deinde negari non potest, quin illa pronomina, nisi quid impediat, ad Iesum referenda sint. Id enim series narrationis flagitare videtur. Quod autem impediat in verbis Euangelistæ nihil prorsus occurrit. Id quod argumento est, non cauisse Spiritum Sanctum, ne referrentur ad Christum. Cur autem non cauerit causa dici non potest, nisi quia in ea relatione nihil erat periculi. Si quod enim fuisset, id, & qua erat perspicientia sine dubio vidisset, & qua pro Ecclesia vigilabat charitate, sustulisset, vel mutato pronomine in nomen Dei, vel aliqua alia ratione prospiciendo veritati. Tanta enim tamque admirabili sapientia diuinus liber coruscat, nulla vt possit eius verbis falsa interpretatio affingi, quam, si est alicuius momenti, ipse textus non redarguat: cuius rei specimen vel hæ nostræ disputationes non dubium exhibent. Si quis impedimentum arcessat à præjudicata opinione Aduersariorum essentiam Christo diuinam detrahentium, is cogitet hoc quicquid est impedimenti non esse in textu,

2. Cor. 3. 15. sed extra textum in corde ipsorum, instar velaminis illius, quod ad hunc vsque diem, cùm legitur Moses cordi Iudæorum impositum esse Paulus testatur. Quando autem de persona agitur, quam ipso Christo teste Math. 11. 27. *nemo nouit nisi Pater*, non est præiudicium vllum ad lectionem Scripturæ qua reuelatur afferendum.

XIV. Tertiò, cum pronomina illa *Eius*, *eo*, sint in verbis non Prophetæ Esaiæ, sed Euangelistæ, ad eum referri debent de quo loquebatur Euangelista. Loquebatur autem de vno Christo. Ad eum igitur vnum referri debent. Quis enim credat sacrum historicum eum illis pronominibus designasse de quo non agebat, eum verò de quo agebat, de quo narrationem institutam continuabat non designasse? Potestne exemplum afferri pronominis eiusmodi, quod sacer autor ad eum referendum voluerit, quem ipse non nominauit? Huc accedit quod Apostolus septem istis versibus inter 36. & 44. in quibus Iesum nominat, insertis, Iesum non aliter quàm istiusmodi pronominibus significauit: bis enim eum sic designauit vers. 37. semel v. 41. illo lectorem ad Christum eo pronomine intelligendum veluti præparans & assuefaciens, hoc, si aberraret, reuocans.

XV. Quartò, pronomina illa, aut ad Iesum, aut ad alium referenda sunt. Non ad alium. Ad quem enim? Ad Deum, inquit Socinus, Atqui Deus non est ab Euangelista nominatus. Imò, inquit, *Proximè antè in verbo Sanem, licet tacitè, nominatus est: Et prius eodem modo in verbis excæcauit, & indurauit (quamuis hæc tertiæ personæ sint, illud verò primæ) nominatus fuit.* Demus nominari eum cuius nomen tacetur, hoc est, qui non nominatur, illud urgeamus; nequidem sic tacitè nominatum esse Deum ab Euangelista: non enim verba illa recitat vt sua, sed vt verba Esaiæ: nec vt aliquid doceat de Deo, sed vt probet duntaxat non potuisse Iudæos credere in Iesum.

XVI. Vnde etiam habet Socinus Iesum non fuisse sic tacitè in verbo illo *Sanem* nominatum? Nam si de illa excæcatione & induratione verba excæcauit & indurauit intelligenda sunt teste Apostolo, quibus factum est, vt Iudæi non potuerint credere in Iesum: Annon manifestum est de illa sanatione verbum *Sanem* accipiendum esse, cuius autor est Iesus illis omnibus qui in ipsum credunt? Et quis est medicus, quis seruator populi sui à peccatis, quis me-

detur confractis corde, quis peccati seruos in libertatem vindicat, quis à maledictione legis redemit, quis ius filiorum Dei confert, quis peccata delet & remittit, quis vitam æternam largitur, quis ab hostibus liberat, quis denique mortuos suscitabit in die nouissimo nisi Dominus Iesus in quo solo est salus? Quid est igitur cur nolit Socinus istam, quæ in verbo Sanem includitur, sanationem Domino Iesu tribuere?

XVII. Hinc pulsus Socinus confugit ad vers. 38. in quo Dominus est nominatus. *Domine quis credidit auditui nostro? Et cui brachium Domini est reuelatum?* Si quis obijciat versiculi illius distantiam ab hoc nostro 41. reponit, *pronomina relatiua non semper ad proxima referri, maximè vbi, vt hoc loco fit, de Deo & Christo agitur.* Et profert exemplum ex 1. Ioh. 2. 28. *Et nunc filioli manete in eo, vt cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius*, quæ verba nemo dubitare potest quin de Christo sint dicta. At quæ illicò adduntur vers. 29. *Si scitis quoniam iustus est, scitote, quoniam & omnis qui facit iustitiam ex ipso natus est*, de Deo, non de Christo, dicta esse affirmat, sed perperam mea sententia: flagitat enim series sermonis vt tam de Christo, quàm quæ antecedunt, accipiantur: ex quo qui nati non sunt, ij profectò nati non sunt ex Deo. Est enim etiam, Christus nostrûm omnium, hoc est, fidelium parens, teste ipso Christo, Heb. 2. 13. *Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Deus.* Et Propheta Esai 53. 10. *videbit semen.* Is enim est sponsus Ecclesiæ castæ matris omnium nostrum, & secundus Adamus in quo omnes viuificamur. Addit Socinus *Paullo ante in eodem cap.* 2. 1. Ioh. *miram videri esse confusionem pronominum relatiuorum, nec satis dignosci posse ad Christumne an verò ad Deum, siue ad Filiumne an verò ad Patrem hæc aut illa verba referenda sint.* Nempe, quia ad vtrumcunque referantur nihil interest: sunt enim Pater & Filius ita vnum, vt ambobus idem verbum singularis numeri, idem pronomen relatiuum accommodetur Apoc. XI. 15. & 20. 6. & 22. 3. &c.

XVIII. Subjungit idem Socinus, *nullum exemplum accommodatius inueniri posse, quàm illud in hoc ipso Euangelio cap. 9. 22. vbi pronomen αὐτὸν siue eum, Iesum refert nec apertè nec tacitè, nisi multò antè nominatum; cùm proximè ter eodem pronomine cæcus ille natus significatus fuisset.* Certè nullum accommodatius inueniri

potuit ad refellendum ipsum Socinum. Nam vtrumque Euangelista disertè nominauerat, Iesum & cæcum illum: de vtroque agebatur, de hoc quidem vt de miraculi subjecto, de illo verò vt de miraculi autore, de Iesu per se, de cæco propter Iesum. Deinde Euangelista ad pronomen αὐτὸν adjungit χριστὸν, ἐάν τις αὐτὸν ὁμολογήσῃ χριστὸν *Si quis eum confiteretur Christum*, atque ita omnem ambiguitatem, omnem dubitandi ad Christumne an ad cæcum referendum sit occasionem tollit. Hîc verò neque ab ipso Euangelista nominatus fuit Deus, neque Euangelista de Deo agebat aut loquebatur, sed de Christo tantùm, neque ad pronomen adiungitur nomen Dei, aut aliud quiddam quo, Christo excluso, referri doceatur ad Deum: multa autem suadent imò persuadent referendum esse ad Christum, vt mox liquebit. Adde quod uocatiuo *Domine* non Filium Dei compellari nihil est quo possit euinci.

XIX. At, inquit Socinus, *In græca Roberti Stephani editione in folio (vt vocant) annotatum est in margine nota quadam id significante codicem quendam vetustissimum in Italia ab amicis Typographi collatum pro τὴν δόξαν αὐτοῦ, id est, gloriam eius, habuisse τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ, id est, gloriam Dei. Eadem lectio adnotata est in margine codicis græci editi a Christoh. Froschouero Tiguri anno* 1559. *Et ego habui quondam in Italia græcum codicem manu scriptum antiquissimum & elegantissimum, quem mihi eripuit quidam, in quo, nisi me memoria fallit, eadem lectio in ipso contextu consignata erat.* Quorsum hæc? vultne Socinus vnius codicis græci ab vno aut altero visi authoritate præponderari consensum omnium aliorum codicum græcorum, omniumque versionum, etiam antiquissimarum, quæ habent constanter τὴν δόξαν αὐτοῦ *gloriam eius*? Id nimis iniquum foret. Nonne potuit codex ille manuscriptus alicuius Arriani vel photiniani fuisse, qui cum pronomen αὐτοῦ putaret ad Deum referendum esse, vt errandi scilicet ansam præscinderet, scripserat τοῦ θεοῦ? Nam non esse illam lectionem de mente Apostoli sequentia argumenta planum, vti spero, facient.

XX. Vt igitur pergamus, Hoc esto quintum argumentum. *Ad vtrumque Esaiæ testimonium*, inquit ipse Socinus, *verba ista Iohannis sine dubio referri debent, præsertim cum dicat*, Hæc dixit, *non autem* Hoc dixit. Iam autem negari non potest, quin Esaias, cum dixit prius testimonium, loqueretur de Christo. Legatur cap.

Resp. ad Vvietũ Arg. 6. claſſ. 1.

52. pro-

52. proximè antecedens verſiculum primum capitis 53. quem Apoſtolus laudauit: legantur verſus ſequentes toto cap. 53. de Chriſto vbique loquitur, Chriſtum vbique deſcribit, Deum quatenus à Chriſto differt, non item. At Deum compellat verſu illo primo. Eſto, nempe aliud eſt Deum alloqui, aliud de Deo loqui. Eum ſæpe alloquimur de quo tamen non loquimur. Si igitur Eſaias prius teſtimonium dixit cum de Chriſto, non de Deo loqueretur, annon manifeſtum eſt in verbis Euangeliſtæ, *Hæc dixit Eſaias cum vidit gloriam eius, & loquutus eſt de eo*, pronomen *eo* ad Chriſtum, non ad Deum eſſe referendum?

XXI. Idem dicendum eſſe de poſteriore teſtimonio, nemo, opinor, inficiabitur, præſertim cum in confeſſo ſit, verba illa Euangeliſtæ ad vtrumque teſtimonium referri: Nec poſſit negari in eo ſermonem eſſe de ea Iudæorum incredulitate, qua factum eſt, vt Chriſtum videndo & audiendo non viderent oculis, nec intelligerent corde, nec in eum crederent, aut credere poſſent, ad quem tamen vt ſanarentur reſpicere & conuerti eos neceſſe erat. Quod ſi in verbis, *locutus eſt de eo*, pronomen *Eo* ad Chriſtum refertur, quis non videt, etiam in verbis, *vidit gloriam eius* pronomen *eius* ad eundem Chriſtum referendum eſſe?

XXII. Sextò, aut pronomina iſta referri debent ad Chriſtum, aut intelligi non poteſt quorſum poſt recitata duo Eſaiæ teſtimonia prudentiſſimus Euangeliſta verba illa addiderit. *Hæc dixit Eſaias cum vidit gloriam eius, & locutus eſt de eo*: de Deo enim, non de Chriſto, intellecta quid faciunt ad propoſitum? quem vſum habent? Non modò inutilia ſunt, ſed, quod deterius eſt, lectorem vel incautum fallunt, vel attentum implicant pronominum ambiguitate fallaci.

XXIII. Socinus dicit, *Iohanni cauſam addendi, quod Eſaias illa dixiſſet, cum vidit gloriam Dei, hanc fuiſſe, vt indicaret locum in Eſaia libro, vbi hæc ſcripta erant. Viſio enim illa magnifica & glorioſa admodum celebrem locum faciebat; gloriaque Dei nominata, quam Eſaias vidiſſet, ſtatim viſio iſta intelligebatur. Nihil enim ſimile nec antè, nec pòſt, ei conſpectum fuiſſe legitur.* Viſionem intelligit deſcriptam Eſai. cap. VI. Hæc verò cauſa quatuor rationibus refellitur. Nam primò recurrit quæſtio, quorſum Apoſtolus locum in Eſaiæ libro indicaſſet, vbi hæc ſcripta erant? Id enim alijs locis vbi laudatur idem teſtimonium factum non eſt:

nec cum alia citantur testimonia factum est vnquam à scriptoribus sacris, nisi cum illa loci notatio iuuauit eorum scopum. Deinde sic Euangelista locum indicasset posterioris testimonij duntaxat, non autem prioris, cum tamen ipse Socinus affirmauerit ad vtrumque verba, *Hac dixit Esaias cum vidit gloriam eius*, &c. sine dubio debere referri. Deinde, Sic sapientissimus autor lectorem lusisset innuendo duo illa testimonia eodem tempore dicta, eodemque loco scripta fuisse, quæ tamen quadraginta nouem capitum interuallo à se inuicem distant. Postremò id non inutiliter tantùm Apostolus obseruasset, sed periculosè etiam, multis inde occasionem accipientibus existimandi, eum, cuius gloriam Esaias vidit eo capite, Iesum fuisse. Non autem tanti esse apud Apostolum non necessaria, nec vtilis loci notatio debuit, vt propterea vel minimam errandi occasionem fidelibus præberet.

XXIV. Pergit Socinus, *Quod autem adiungit*, & locutus est de eo, *ideò pertinet, vt sciamus, verba, quæ ex eo loco recitauerat, ad id confirmandum, quod dixerat, Iudæos credere non potuisse, ad ipsum* Deum *referenda esse: verba, inquam, illa*, Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum; *quatenus scilicet Dei consilio excæcatio ista, & induratio euentura prædicitur, quod alioqui non facilè animaduersum fuisset*, Ita rursus verba illa ad posterius testimonium restringit contradicens sibi afirmanti, vt est à nobis obseruatum § xx. *verba illa Iohannis ad vtrumque testimonium sine dubio referri debere*, idemque paulò pòst inculcanti his verbis, *Cum ad vtrumque locum Iohannis verba respiciant, & illa duo, vidisse gloriam eius, & locutum fuisse de eo coniunctim ponantur; verissimile planè est, vel potius necessarium, vt istorum duorum vtrumque similiter ad vtrumque locum spectet.* Hoc primum. Deinde, verba, *indurauit & excæcauit*, ad ipsum Deum referenda esse, neque verbis illis dicit Iohannes disertè, neque per consequentiam. Nam dicit quidem Esaiam, testimonium illud dixisse cum vidit gloriam eius & locutus est de eo, sed non dicit Esaiam, aut vidisse gloriam eius, aut locutum esse de eo in illis ipsis verbis quæ citauit.

XXV. Adde quod istiusmodi obseruatio, verba, *indurauit & excæcauit*, ad Deum esse referenda, nihil facit ad scopum Euangelistæ. Is enim probare instituit Iudæos non potuisse crede-

re in Iesum. In eum finem profert Esaiæ testimonium, *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum: vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur & sanem eos.* Egregium argumentum. Qui non possunt videre oculis, intelligere corde, conuerti, illi non possunt credere. Quorum oculi sunt excæcati & cor induratum, illi non possunt videre oculis, intelligere corde, conuerti. Ergo quorum oculi sunt excæcati & cor induratum, illi non possunt credere, tales autem erant Iudæi quibus Christus prædicauit Euangelium Esaia teste: quare non poterant credere. Quis eos excæcauit, ipse Deus; an natiua prauitas (sumus enim omnes *natura filij*, vt *iræ*, sic *rebellionis*,) an Deus huius seculi, Eph 2. 2. 3.
quem Apostolus Paulus testatur excæcasse mentes incredulorum, 2. Cor: 4. 4.
ne irradiet eos illuminatio Euangelij gloriæ Christi, ad vim argumenti nihil interest. Oculi excæcati à quocunque sint excæcati videre non possunt. Cor induratum à quocunque sit induratum, cum sit durum rigidum & lapideum, nec intelligere potest, nec flecti, nec conuerti ad Deum.

XXVI. Denique non solùm inutilis fuisset illa Euangelistæ obseruatio, sed noxia etiam & periculosa, quippe quæ neque facilè sic accipi posset, & sic accepta lectorem perturbaret. Nam seu locum vt est in libro prophetæ inspicias, seu eum quemadmodum extat in editione græca quæ 70. interpretibus tribuitur, & citatus est ab Apostolo Act. 28. spectes, non videtur illa excæcatio & induratio Deo tanquam autori ascribi: Neque isto loco, quo grauiter, vti par est, Iudæorum cæcitas, durities, incredulitas reprehenditur, conueniebat eam cæcitatem & duritiem ad Deum tanquam ad autorem referre, idque ne præteriret inobseruatum, lectorem monere. Ad hæc *posset quis*, ipso teste, nec refellente, Socino, *apud Iohannem verba excæcauit, & indurauit, hebraica phrasi ita interpretari, acsi scriptum fuisset excæcati sunt & induratum est.*

XXVII. Vt sit finis, vel verba Excæcauit & indurauit non referuntur ad Deum, vel sunt plures personæ diuinæ. Non enim possunt ad eandem personam referri, ad quam refertur verbum *Sanem*: sunt enim tertiæ personæ, cum hoc sit primæ. *Excæcauit oculos eorum & indurauit cor eorum*, &c. *ne sanem eos.* Non potuerunt apertius personæ distingui. Affirmat quidem Socinus personarum tertiæ & primæ distinctionem non obstare, quominus

idem fit omnium illorum verborum nominatiuus: sed affirmat tantùm, non probat, imò ne conatur quidem probare. Atqui nominatiuus verbi *Sanem* est ego: verborum verò *excæcauit* & *indurauit* est ille. Num sit verissimile pronomina, *Ille*, & Ego, ad eãdem personam loquentem in eadem sententia referri debere? An est quisquam qui de se vno sic loquatur, ille hoc fecit ne illud Ego faciam, semetipsum duobus pronominibus altero tertiæ personæ, altero primæ designans?

XXVIII. Ad superiora argumenta illud septimo loco accedit, quod hoc idem testimonium Esaiæ ad incredulitatem Iudæorum accommodatur ab ipso Christo Math. XIII. 14. necnon ab Apostolo Paulo Act. 28. 25. quibus tamen in locis additum non est, hæc dixisse Esaiam cum vidit gloriam eius, & de eo locutus est, aut aliud simile quidpiam. Quod cum non temerè acciderit vt sit additum isto loco, quod duobus illis additum non fuit, huius discriminis subesse aliquam rationem oportet: mirabili enim sapientia vbique Scriptura collucet. Ea verò ratio, si ad Iesum pronomina, *Eius* & *eo* non referuntur, nulla prorsus apparet, si referuntur, obuia est: Ad eam enim accommodationem huius testimonij, quæ Math. 13. & Act. 28. facta est, satis fuit cum vaticinio congruere euentum. Hìc verò aliquid amplius desiderabatur: instituit enim probare sapiens Euangelista, non simpliciter quod Iudæi non crediderunt id consentaneum esse cum hoc Esaiæ vaticinio, sed Iudæos non potuisse credere in Christum. Ad id autem probandum accommodatione vaticinij opus fuit, quæ euentum antecederet, atque nominatim ad illos ipsos Iudæos pertineret, quibus suam Christus gloriam contemplandam & credendam ob oculos posuit. Quominus autem sic accommodaretur obstare videbatur, quod eo loco nulla sit Christi mentio, tantùm gloria Dei quæ Prophetæ apparuit magnificentissimè describitur. Monet igitur Apostolus non esse cur lector proptereà conturbetur: Iesum enim esse illum Dominum cuius gloriam Esaias vidit, & de quo tam magnificè locutus est eo loco. Quod moniti fideles facilè credunt: quippe quos Filij Dei Seruatoris sui amor, admiratio, imò adoratio totos occupat. Hanc eandem fidem iuuant multa alia prophetarum & Apostolorum testimonia: Nec desunt in ipso textu prophetæ quibus fulciri possit, in extremo huius disputationis protrahenda in lucem.

XXIX. Addamus & octauum argumentum. Hoc Esaiæ vaticinium, vel relationem habet ad magnificam illam visionem, quæ eo capite VI. describitur: vel non habet. Si non habet, intelligi non potest, quare visio illa nec antè nec pòst prophetæ exhibita nullum alium exitum habuit, nisi quod missus est ad promulgandum hoc vaticinium. Si habet, necesse est, vt visio fuerit gloriæ Christi, quam Iudæi neque oculis visuri erant, neque corde intellecturi. Cum enim vaticinium teste Euangelista de Iudæorum incredulitate intelligi debeat, qui Christum videndo non viderunt oculis, & audiendo non audierunt auribus, nec corde intellexerunt, nec ad eum conuersi sunt vt sanarentur, manifestum est nullam esse inter vaticinium & visionem χέσιν, si Dominus, cuius gloriam Esaias vidit, Christus non fuit.

XXX. Sed ne longior sim in re clara probanda, sic argumentor. Is quē Iudæi videndo non erant visuri, & audiendo non erant audituri, & ad quem non erant conuertendi vt sanarentur, est ille Dominus qui sese videndū & audiendū ostendebat paratus ad sanandum eos qui ad ipsū conuerterentur. Atqui Iesus est ille quem Iudæi videndo non erant visuri, & audiendo non erant audituri, & ad quē vt sanarentur non erant conuertendi. Ergo Iesus est ille Dominus qui sese videndum & audiendum ostendebat paratus ad sanandum eos qui ad ipsum conuerterentur. Minor conceditur à Socino: fatetur enim, sic descriptam fuisse ab Esaia *cæcitatem & indurationem Iudæorum in Christo non agnoscendo & amplectendo:* nec potest negari quin contradicatur Apostolo Iohanni. Major autem vix eget probatione. Primùm enim negari nequit, quin is Dominus qui sese videndum & audiendum ostendebat debuerit cordis oculis & auribus videri, audiri, intelligi, cum tamen à Iudæis rebellibus visus, auditus, intellectus non sit. Negari non potest quin ad eum conuerti debuerint, cum tamen ad eum conuersi non sint. Negari igitur non potest major propositio argumenti nostri. Deinde cur Dominus gloriam suam reuelauit, sesèque ostendit videndum & audiendum, vt mandaret dici populo Iudaico *videndo videte & ne intelligatis, audiendo audite & ne cognoscatis,* &c. nisi vt significaret fore vt quum sese populo illi videndum & audiendum præbiturus esset, populus tamen ille eum videndo non esset agniturus nec audiendo intellecturus. Denique perspicuum est eundem esse autorem sanationis qui est objectum con-

uerſionis, viſionis, auditus. Sanationis autem ſeſe autorem eſſe ille ipſe Dominus profitebatur, qui Eſaiam conſpicuus alloquebatur.

XXXI. Denique hoc Eſaiæ teſtimonium laudat Euangeliſta, vt probet Iudæos, quibus ſeſe Ieſus videndum & audiendum multis editis miraculis exhibuit, credere in eum præ cæcitate & duritie cordis non potuiſſe, vel igitur de eiuſmodi Iudæorum tali incredulitate teſtimonium illud dictum eſſe colligi poteſt ex textu Eſaiæ, vel non poteſt. Si non poteſt, haud ſatis prudens fuit Apoſtolus, qui teſtimonium citauit cuius nulla vis eſſet ad id probandum, quod eo probare inſtituit. Id quod de tanto Apoſtolo vel cogitare nefas duco. Si poteſt, igitur aliquid eſt vel in illo ipſo teſtimonio, vel in antecedentibus aut conſequentibus verſibus, vnde id colligi poſſit. Atqui nihil eſt prorſus præter magnificam illam viſionem: quæ ſi non eſt viſio gloriæ Chriſti, contendo nihil prorſus eſſe in toto capite vnde poſſit concludi, quod concludi voluit Apoſtolus, Iudæos non potuiſſe credere in Ieſum.

Ref. 2. Reſp. XXXII. Refutata prima reſponſione confugit Socinus ad ſecundam, *Demus*, inquit, *Aduerſarijs, omnino pronomina eius & eo Chriſtum referre. Num continuò ſequetur, Chriſtum eſſe illum Dominum ab Eſaia in viſione illa conſpectum? Nullo modo.* Immò id continuò ſequitur: nullius enim gloriam vidit Eſaias eo capite niſi Domini illius & Seraphim. Vidit autem gloriam Chriſti. Chriſtus igitur erat ille Dominus. Nam eum fuiſſe Seraphim illos, aut vnum ex illis non dicent, opinor, Aduerſarij. Subijcit rationis loco, *Vtrumque teſtimonium ad rem futuram reſpicere: & ſi ad rem futurum non reſpicerent, minimè potuiſſe à Iohanne proferri ad confirmandum id quod voluit.* Eſto. Addit *ex eo etiam ſequi gloriam iſtam ab Eſaia viſam, futuram gloriam fuiſſe illi repræſentatam*, &c. nempe ſpecimen fuit gloriæ Chriſti reuelandæ, quid id facit ad infirmationem argumenti noſtri?

XXXIII. Sed *Nihil cogit*, inquit, *gloriam iſtam quam vidiſſe Eſaiam Iohannes affirmat, ad illam gloriam referre, cuius viſio deſcribitur apud eundem Eſaiam cap.* VI. Immò cogunt rationes multę partim iam propoſitæ, partim mox proponendæ. Sed fac nihil cogere, Num ita durum eſt cor aduerſariorum cum de redemptore ſuo agitur, vt eum, cum ſe reuelat, agnoſcere nolint, niſi cogantur? Nonne ſufficit probabilis ratio, cum in contra-

rium vel nulla est, vel minus probabilis? Ego verò putabam admonitos ab Apostolo, Esaiam illa dixisse cum vidit gloriam Christi, dubitare amplius nos non debere, quin gloriam Domini intelligamus, quam Esaias vidisse se profitetur, neque vt id credamus coactione opus esse, sed potius ne id credamus, siquidem credendum non esset. Cui enim legenti, deque Christo, vt par est, accipienti verba Euangelistæ, *hæc dixit Esaias cum vidit gloriam eius*, non veniat in mentem Domini gloria, quam eo loco vidisse Esaias perhibetur, quo illa dixit? Si igitur illa gloria intelligenda non est, obstare rationes oportet graues &, vt loquuntur Aduersarij, cogentes. Nihil tamen afferri potest præter hæc duo: vnum, Christum tunc nondum fuisse: alterum, eum diuina essentia præditum non esse: quorum illud libro præcedente multis argumentis refutauimus; istud toto isto, Domino fauente, refutabimus. Argumenta autem quibus vtrumque probare conantur, facilè & solidè diluere libro tertio, dabit, vti spero idem misericors Dominus.

XXXIV. Nunc si nolunt Aduersarij verba Euangelistæ de gloria illa Domini intelligere, quam eo loco vidisse Esaias dicitur, ostendant nobis in eodem illo capite gloriam Christi, quam tunc Esaias viderit. Nulla enim totum caput attentè perlegenti mihi alia apparet. Eo capite, inquit Socinus, *Christi gloria prædicitur, eaque non vulgaris, sed maxima & præclarissima. Quandoquidem post mentionem factam futuræ cæcitatis & indurationis Iudæorum in Christo non agnoscendo & amplectendo, prædicitur desolatio, & vastatio illius populi, eiusque reiectio: & v. 12. qui per parenthesim legi debet, Gentium, post Iudæorum reiectionem istam vocatio, & ad Christum conuersio, idque ingente numero, ac statim postea subiungitur eiusdem populi Iudaici in pristinum, atque adeo meliorem statum restitutio; quæ nimirum per Christi agnitionem illis est obuentura.* En gloriam Christi quam Esaias scilicet vidit, Iudæorum desolationem vers. XI. Gentium vocationem vers. XII. Iudæorum restitutionem vers. XIII. Egetne refutatione tam aperta Scripturæ contortio, quæ, præterquam quod rationes modo expositas § 28. 29. 30. 31. non declinat, tota absurda est?

XXXV. Primùm ista Esaias vidisse non dicitur, sed audiuisse, *& dixi*, inquit, *vsquequo Domine? & dixit, Donec desolentur ciuitates absque habitatore, & domus sine homine, & terra relinquatur*

tur deserta. Hoccine est videre? igitur audire est videre, auditus est visus. At *dicuntur propheta videre qua pradicunt & futura norunt.* Non certè omnia, sed quæcunque illis in visione vel per somnium videnda objecta sunt. Tota quidem prophetia visio sæpè dicitur à majori vel potiori parte; sed in visione alia prophetis ostenduntur, alia tantummodò dicuntur: Hæc cum ab ostensis & visis seorsum sumuntur, audita ab illis, dicta, prædicta dici possunt, visa nequaquam. Haud enim audita & visa magis in visione quàm extra visionem confundi debent. Non hoc igitur duntaxat affirmare Socinum decebat, sed exemplo aliquo firmare, quo, id quod in visione tantummodò auditum est, nullo modo visum, præcisè sumptum dicatur visum fuisse. Resistit igitur huic Aduersariorum interpretationi videndi verbum quantum potest, quo non est Euangelista vsus temerè & præter suam, & omnium sacrorum autorum, atque hominum loquendi consuetudinem.

XXXVI. Deinde, amabo te, desolatio, vastatio, rejectio populi Iudaici est ne gloria Christi? Videre desolationem & vastationem gentis Iudaicæ, est ne videre gloriam Christi? Quid est magis oppositum gloriæ, quam desolatio, vastatio, rejectio? At ista desolatio est *gloriosa punitio inimicorum Christi.* Primùm non commemoratur tanquam punitio, sed tanquam temporis, quo duratura erat Iudæorum induratio & incredulitas, circunstantia & declaratio. Nihil enim aliud petit prophetæ interrogatio, *vsquequo Domine?* Nihil aliud exprimit Domini responsio, *donec desolentur ciuitates*, &c. Deinde si spectatur vt punitio, quis autor illius punitionis ex textu Esaiæ colligi potest, nisi ille Dominus qui eam reuelabat? quod peccatum, nisi illius non agnitio, illi non habita fides? Si igitur punitio ista gloria est, vtique gloria est illius Domini qui sese ostendebat prophetæ, non autem alterius, quantum quidem ex verbis Esaiæ intelligi potest. Aut igitur non est gloria Christi, aut Christus est ille Dominus quem Esaias vidit.

XXXVII. Quod si desolatio ista & vastatio, punitio est contemptus Christi, ex quibus prophetæ verbis id colligitur? Annon ex eo quod, vt dicit Socinus, *post mentionem factam futura cacitatis & indurationis Iudaorum in Christonon agnoscendo & amplectendo pradicitur ista desolatio?* vnde verò colligitur in versibus

sibus antecedentibus factam esse mentionem cæcitatis Iudæorum in Christo non agnoscendo, si Christus non est ille Dominus, qui se tanquam fidei & conuersionis obiectum videndum & agnoscendum præbebat? Quis verborum audiendi, videndi, intelligendi accusatiuus subaudiri debet in verbis Domini sese magnificè reuelantis, *audiendo audite, & ne intelligatis: & videndo videte, neque cognoscatis*? Profectò nullus ex Prophetæ verbis subintelligi potest, præter illum ipsum Dominum, qui sese audiendum & videndum exhibebat: neque negari potest quin is accusatiuus subintelligi debeat, & puniti sint Iudæi propterea quod non habuerunt fidem illi Domino qui Esaiæ apparuit. Si in versibus antecedentibus de Christo agitur tanquam de fidei & conuersionis obiecto, cur in illis potius non agnoscunt Christi gloriam, quàm in hac Iudæorum vastatione? non potest enim sic considerari, quin spectetur vt Dominus templi & populi Iudaici, qui non agnosci pertinaciter à subditis sine grandi & inexpiabili scelere non potest, alioqui peccati Iudæorum grauitas non ex Christi, sed ex Dei, cuius seruus erat, dignitate æstimanda esset.

XXXVIII. Sit ergo ista vastatio & desolatio punitio Iudæorum ob fidem non habitam Christo, Num propterea dici potest Christi gloria? Num possunt Aduersarij locum proferre in quo per gloriam Dei aut Christi nihil significatum sit, nisi vastatio & desolatio hostium? Quis ferat dicentem in inferis conspectum iri gloriam Christi, & quidem maximè? illic enim maximè punientur increduli & contumaces. Quousque abutentur pro libitu Aduersarij verbis & phrasibus Scripturæ sacræ?

XXXIX. Quid quod ista Iudæorum vastatio conjuncta est cum horribili contemptu Christi, & blasphemijs execrandis, quibus eum, quantum in ipsis est, contumeliosè dilacerant, & summa ignominia afficiunt? videre gloriam Christi, est ne talem vastationem videre? Num prudentissimus Euangelista præter suum & aliorum sacrorum autorum morem sic vsus fuisset phrasi *videre gloriam Christi*, quasi ænigmata potius quàm historiam scriberet, & decipere potius lectores suos quam docere studeret? Nonne enim & verba Euangelistæ, *Hæc dixit Esaias cum vidit gloriam Iesu*, & Esaiæ cum dicit, se eo loco *vidisse Dominum sedentem super solio excelso*, lectoris animum præiudicijs vacuum statim occupant, nec sinunt ab illa visione gloriæ Domini diuertere ad va-

ſtationem Iudæorum non viſam ab Eſaia, ſed auditam, ac contumeliis iactis in Chriſtum & contemptu eius gloriæ vbique aſpectu horrendam & deteſtandam, vt eam pro gloria Chriſti, eiuſque auditionem pro viſione gloriæ Chriſti, non ſine ſtupenda quadam cæcitate, accipiat.

XL. Ad verba Euangeliſtæ & Prophetæ accedit natura gloriæ Chriſti per ipſummet Iudæis reuelatæ, quæ poſita non fuit in vaſtatione, deſolatione, reiectione, punitione, ſed in rebus contrariis, lenitate, manſuetudine, patientia, charitate, miſericordia, clementia, liberatione â peccatis & pœnis peccatorum, potentia in fugandis Diabolis, ægris ſanandis, mortuis ad vitam reuocandis, &c. quam gloriam & Iudæi non agnouerunt, & qui agnoſcunt in deſolatione hominum non collocant. Certè, præter Aduerſarios, nemo eſt qui, cùm nominari audit gloriam Chriſti, vâſtationem & deſolationem Iudæorum cogitet. Chriſtus enim non venit vt iudicaret mundum, ſed vt mundus ſeruaretur per eum, non vt perderet Iudæos, ſed vt ſeruaret quod perierat. Itaque Iacobum & Iohannem petentes Samaritanorum,
Luc. 9. 54. qui eum non receperant, punitionem *obiurgauit dicens, neſcitis qualis ſpiritus vos ſitis. Filius enim hominis non venit vt perderet*
Luc. 19. 41. *animas hominum, ſed vt ſeruaret:* Idemque Chriſtus ſuper Hieruſalem fleuit futuram eius vaſtationem cogitans.

XLI. Adhæc, vaſtatio iſta & deſolatio Iudæorum non dicitur gloria Chriſti ab Aduerſarijs, niſi quatenus eſt punitio glorioſa Chriſto. Non poteſt autem dici glorioſa Chriſto, niſi quia, aut à Chrîſto inflicta eſt, aut propter Chriſtum. Priore reſpectu conſiderari hoc loco nihil eſt quod innuat. Fac tamen ſic conſiderari, glorioſa eſt punitio infligenti quatenus eius, aut potentiæ, aut iuſtitiæ effectum illuſtre eſt. Potentiæ Chriſti, (præſertim diuina eſſentia non præditi, qualem ſibi fingunt Aduerſarij) documentum illuſtre non eſt vaſtatio & deſolatio Iudææ, à Romanis profecta, numero viribus peritia militari potentioribus, quique Iudæos, iam antequam veniret Chriſtus, ſibi ſubjecerant armis. Iuſtitia quoque Chriſti in ea rejectione & vaſtatione, neque celebratur vſpiam ab Apoſtolis, quod ſciam, neque ita aperta eſt, quin cùm rejectionem Iudæorum & vocationem gen-
Rom. 11. 33. tium Apoſtolus attentè conſiderat, exclamet, *O profunditatem diuitiarum ſapientiæ & cognitionis Dei! quam inſcrutabilia ſunt*

eius iudicia, & imperuestigabiles viæ eius! Non sunt autem iudicia inscrutabilia in quibus iustitia gloriosè conspicua elucet. Posteriore respectu vt gloriosa Christo vastatio illa nobis appareat, primùm spectanda est vt punitio, deinde inquirendum est in causam meritoriam illius punitionis, sitne non agnitio Christi, quo comperto rursus considerandum est, an Christi non agnitio merita sit tantam pœnam, quia est peccatum aduersus Deum, an quia est peccatum aduersus Christum: si hoc posterius agnoscitur, inde tandem deuenitur in cognitionem gloriæ Christi, ex magnitudine peccati aliquomodo æstimandæ. Sed quis vnquam, quia vidit vnum ex quo per multas ambages & consequentias alterum quoddam deduci potest, hoc alterum vidisse dictus est, præsertim cum hoc in illo non continetur? potest videri desolatio nec tamen videri vt punitio, potest videri punitio, nec tamen videri crimen ob quod punitio irrogatur, potest crimen videri, nec tamen videri gloria eius in quod crimen commissum est. Sed vereor ne ineptus videar, qui tamdiu immoror in refutanda tam inepta responsione. Vnum tantùm addam videre gloriam Christi singulare Dei beneficium esse: optare vt gloria Christi sit diuturna, immò æterna, officium esse hominis Christiani. Absit tamen vt indurationem & desolationem Iudæorum, vel videre lætemur, vel esse perpetuam optemus.

XLII. Propior est Christi gloriæ vocatio gentium, Sed eam prædici in vers. 12. eumque versum per parenthesim legi debere, vnde habet Socinus? parenthesi certè conjunctio *&* repugnat, necnon series orationis. In verbis autem prophetæ gentium aut vocationis gentium, neque vola neque vestigium vllum apparet, aut ab interpretibus obseruatur. Nam, neque *multiplicari* est vocari ad communionem Christi, & הַעֲזוּבָה *derelicta* est gens Iudaica à Deo deserta, de qua sola in verbis præcedentibus & sequentibus agi manifestum est. Quanquam multi vertere malunt *vastitatem, desolationem, derelictionem*, &c. cuius multiplicatio, vel secundum durationem, vel secundum numerum, vel secundum magnitudinem prædicitur. Munsterus, *Et Dominus elongabit homines, eritque multo (tempore) derelictio in medio terræ.* Vatablus, *longissimè autem ablegabit Dominus homines, eritque desolatio multa in terra.* Tremell. & Iun. *& procul amouente Iehoua hominem quemque, maxima sit ipsa derelictio in ista terra.* Alij in-

dem satis multi, quos breuitatis causa omitto.

XLIII. Restitutio populi Iudaici in pristinum, atque adeò meliorem statum, an prædicatur vers. 13. dubitari potest; variè enim ab interpretibus redditur & exponitur. Si prædicitur, id fit ita obscurè, vt qualis futura, & quam σχέσιν habitura sit ad Christum ex verbis prophetæ colligi nequeat. *At per agnitionem Christi Iudæis obuentura est.* Id in eo versu non dicitur, neque exculpi potest ex verbis prophetæ, si Dominus qui ei apparuit Christus non est. Deinde, num prædicere restitutionem Iudæorum per Christi agnitionem illis obuenturam, est videre gloriam Christi? Vno verbo cum locutio ista, *gloria Christi*, cum phrasis, *videre gloriam Christi*, in Scriptura occurrit, nunquam accipi debet de vastatione aut restitutione populi Iudaici. Itaque nouam & inusitatam isti phrasi in Scriptura satis frequenti, significationem pro libitu affingunt Aduersarij: quod fideles & religiosos interpretes minimè decet.

XLIV. Adde quod nullo modo intelligi posset, quorsum testimonijs Esaiæ subjunxisset Euangelista, *Hæc Esaiam dixisse cum vidit gloriam Christi*, aut quid ista obseruatio faceret ad propositum. Nam neque valet ad locum designandum vnde petitum est testimonium, neque ad firmandum argumentum Apostoli. In istis enim versibus aliquid prædici quod ad gloriam Christi pertinet, non aliunde colligunt Aduersarij, quàm ex versibus antecedentibus, in quibus *prædici cæcitatem & duritiam cordis Iudæorum in fide Christo adhibenda constat* ex Apostolo. Denique desolati sunt Iudæi propter non agnitam gloriam Christi, & restituentur per agnitionem gloriæ Christi. Itaque aliud est Christi gloria, aliud illa vel desolatio vel restitutio. Itaque veniamus ad tertiam Responsionem.

Ref. 3. Resp. XLV. *Demus præterea Aduersarijs*, inquit Socinus, *Iohannem locutum fuisse de gloria in visione illa Esaiæ conspecta. Non tamen ex hoc concludere poterunt, Christum esse illum Dominum seu Iehouam, quem Esaias tunc se vidisse ait.* Quam igitur propositionem argumenti nostri negat? Num majorem, ille cuius gloriam Esaias vidit initio cap. VI. est ille Dominus seu Iehoua quem vidit? alium igitur nobis in visione illa magnifica ostendat, cuius gloriam Esaias viderit. Nullum certè alium animaduerto. Num minorem, Atqui Christus est ille cuius gloriam Esaias vidit ini-

tio cap. VI. Eam hac responsione apertè concedit. Quid igitur superest, nisi vt admittat conclusionem?

XLVI. Subjicit tamen aliquid quod ad infirmationem majoris spectare videtur, *præsertim*, addit, *cum aliud sit videre gloriam alicuius, aliud verò aliquem videre, & Iohannes dicat Esaiam non quidem ipsum Christum vidisse, sed gloriam eius.* Id verò non fuit sine aliquo exemplo affirmandum. Nullus enim occurrit locus in quo dicatur videri gloria eius qui non videtur. Est enim gloria vel res, vel rei opinio, vel deprædicatio. Opinio & deprædicatio hoc loco intelligi non possunt. Res autem, quid est, nisi pondus, magnitudo, splendor pulchritudinis aut virtutis alicuius, qui si nullomodo est aut videtur, quî videtur eius magnitudo aut splendor? Erit gloria absque glorioso, hoc est, accidens absque subiecto.

XLVII. Addit rursus, *Iam in illa Dei vnius gloria, quam Esaias vidit, Christi quoque gloria continetur, propter quam causam tunc Christi gloriam vidisse à Iohanne dicitur: non autem propterea quod Christus sit ille Deus.* Atqui primùm ea causa nulla est. Quis enim credat Apostolum inductum esse vt hoc diceret mero sophismate vel paralogismo, Esaias vidit gloriam Dei. Christi gloria continetur in gloria Dei. Ergo Esaias vidit gloriam Christi. Vel, Qui videt continens videt id quod continetur. Gloria Dei continet gloriam Christi. Ergo qui videt gloriam Dei videt gloriam Christi. Prior syllogismus constat ex quatuor terminis, posterioris major falsa est. Num sit verisimile sic ratiocinatum fuisse Apostolum, ac quia Esaias vidit gloriam Dei, & in gloria Dei continetur gloria Christi, collegisse Esaiam vidisse gloriam Christi?

XLVIII. Deinde vt se habet gloria Christi ad gloriam illius Domini, sic se habet Christus ad illum Dominum. Si igitur gloria Christi continebatur in gloria illius Domini, Christus continebatur in illo Domino, cur igitur non vult Socinus Christum quia continebatur in Domino illo quem vidit Esaias, pariter visum ab Esaia fuisse?

XLIX. Tum in Domini illius gloria ita continebatur Christi gloria, vt, aut Domini illius gloria sola Esaiæ appareret, lateret gloria Christi; aut lateret Domini illius gloria, sola Christi conspicua esset; aut appareret simul vtraque. Si primum, solam

Domini illius gloriam Esaias vidit, non vidit gloriam Christi: quod contra Apostolum dicitur. Si secundum, non vidit Domini illius gloriam, sed solam Christi: quod cum visione non congruit. Si tertium, vtraque illa gloria in visione apparet distinctè, id quod experientiæ repugnat. Non potest enim in magnifica illa visione distingui gloria Christi à gloria illius Domini quem Esaias videbat; ac quàm vnus est qui apparet, tam gloria quæ apparet, vnius videtur esse. Certè nihil vidisse Esaias memoratur præter Dominum sedentem, solium super quo Dominus sedebat, fimbrias Domini, Seraphim, templum, altare, fumum, prunas, forcipes. Ostendant nobis in harum rerum vna vel pluribus contentam illam gloriam Christi, quam ab Esaia conspectam fuisse testis est Iohannes.

L. Audiuit etiam (at non vidit: nam vox non videtur) clamantes Seraphim, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.* Num in hoc clamore contineri volunt gloriam Christi, quam vidisse prophetam confitentur? Certè in extrema illius parte eam collocare videtur Socinus, cum eam dicit, *in verbis in visione ipsa ab Esaia auditis apertè commemorari. Dicitur enim*, inquit, *in illis, plenam esse omnem terram Iehouæ seu vnius illius Dei gloriâ. Hoc enim tunc verè factum est, quando Christus primùm Israelis populo apparuit, & deinde prædicatus est gentibus per vniuersum orbem.* At non profitetur Esaias se vidisse omnem terram plenam gloria Domini, sed id Seraphim clamasse, quæ duo quantum differant nemo non videt. Deinde Deus Pater non apparuit Israelis populo, neque prædicatus est gentibus, nisi quia Filius apparuit, Filius prædicatus est, nec gloria eius repleuit omnem terram, nisi quia gloria Filij in omnem terram peruenit. Itaque potius continetur gloria Patris in gloria Filij, quàm contrà, & potius videtur gloria Patris quia videtur gloria Filij, quàm contrà.

LI. Porrò hinc sequitur, Esaiam vidisse gloriam Dei reuelandam per Christum. Id quod etiam Socinus disertè affirmat. *Intelligendum enim est*, inquit, *Esaiæ, in visione illa, non præsentem quidem Dei gloriam, sed futuram repræsentatam fuisse.* Inde sequitur, Deum non apparuisse Esaiæ, nisi, quia apparuit ei Christus, Esaiam non conspexisse gloriam Dei, nisi quia conspexit gloriam Christi. Non enim futurum erat, vt Deus aliter

videretur quàm videndo Christo, aut gloria eius aliter videretur Ioh.14.
quàm videndo gloriam Christi. *Philippe*, inquit ipse Christus, 9.
qui vidit me vidit Patrem, & quomodo tu dicis ostende nobis Patrem? Itaque fatetur Socinus, *non modò, cognito Christo, cognosci Patrem, sed non nisi per Christi cognitionem ad Patris cognitionem perueniri.* Resp. ad Arg. 5. class. 3. Vvjeki.

LII. Adde quod aliud est nosse omnem terram plenam esse gloria Dei, aliud gloriam illam Dei qua plena est omnis terra videre. Aliud est prædicere omnem terram fore plenam gloria Christi, aliud prædicere quæ & qualis gloria futura sit. Prius in Prophetam cadit, non posterius. Quid quod non fit mentio illius gloriæ, nisi quatenus est gloria Domini, hoc est, Iehouæ. Si igitur Christus non est Dominus Iehoua, non fit mentio gloriæ Christi. Si contingit gloriam illam, aut eandem Christi gloriam esse, aut eam continere, id, si Christus non est Dominus quem Esaias vidit, non est de visione Esaiæ: Non enim eam gloriam Esaias vidit sub eo respectu. Vidit eam vt est gloria Dei, non autem vt est gloria Christi. Id autem non est gloriam Christi videre, & de eo loqui.

LIII. Hîc libenter quærerem, quæ sit Christi gloria, quam contineri in Domini gloria reuelata & posita ob oculos Esaiæ volunt Aduersarij? Estne potentia, authoritas, maiestas, pulchritudo, dignitas, etiam religiosè, atque in templo, colenda? Ad talem gloriam reuelandam nihil potuit esse visione illa Domini super solio excelso in ipso templo sedentis accommodatius. Sed neque illa videri potuit non viso Christo, neque repræsentari non repræsentato Christo. Itaque Christus aut fuit ille Dominus qui Esaiæ se videndum præbuit, aut, quod maius est, per eum fuit repræsentatus. Estne mirabilis illa sanctitas, qua Christus & in se sanctus est & nos sanctificat? Ea non est Esaiæ representata, nisi clamore Seraphim, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum*, in quo de nullius, nisi Domini seu Iehouæ exercituum, sanctitate agitur. Ostendant nobis Aduersarii, quomodo in Iehouæ gloria ita contineretur gloria Christi, vt illa visa hæc visa fuerit, viso verò Iehoua non sit visus Christus, quàm enim nullus visus est præter illum Dominum & Seraphim, tam nullius gloria, præter gloriā Domini illius & Seraphim visa nobis videtur.

LIV. Quæro etiam quomodo gloria Christi in gloria Iehouæ

contineretur? Non continebatur, opinor, tanquam in loco vel vase, aut tempore, aut subiecto inhæsionis, aut genere, aut specie vel indiuiduo, aut parte, aut toto, aut materia, aut effecto, continebaturne igitur tanquam in causa efficiente, aut finali? Eo modo tam ipse Christus continebatur in Deo, quàm eius gloria in Dei gloria, cur igitur pariter visus non creditur ad Aduersariis, ac ipsius gloria? Deinde, quid est quod priusquam fieret, non sic fuerit in Deo, Deiue gloria? Et, an visa causa dici potest id videri, quod ex ea liberè post annos multos proficiscetur? Fortè contineri dicitur ob similitudinem, quia gloria Dei ostensa Esaiæ simillima erat gloriæ Christi, sed ita etiam Deus visus ab Esaia simillimus fuisset Christo. Non minus igitur ipse Christus visus fuisset quam ipsius gloria, quod tamen Socinus & Volkelius negant. Deinde, vt propter similitudinem simile dicatur in simili contineri, alienum est ab vsu loquendi. Tum si gloria Domini illius ita similis fuit gloriæ Christi, vt illâ visâ hæc conspecta dicatur, necesse fuit vt illa hanc repræsentaret. Nam alioqui absolutè & citra comparationem non potuisset Esaias dici gloriam Christi vidisse, propterea quod similem gloriam vidit. Iam si constituta ob oculos prophetæ species gloriæ Domini repræsentauit gloriam Christi, quid est cur obiecta Domini species non repræsentauerit similiter Christum? Certè si nulla species, nulla imago gloriæ Christi posita fuit ob oculos Prophetæ, intelligi non potest, quomodo dicatur ab Apostolo vidisse gloriam Christi. Nulla autem illi ob oculos constituta species legitur, nisi Domini gloriosi. Ea igitur aut repræsentauit Christum, aut quomodo verè & absolutè dictus sit ab Apostolo vidisse gloriam Christi intelligi non potest. Itaque posita opinione Aduersariorum magis ad decipiendos lectores, quàm ad propositum Apostoli confirmandum valeret obseruatio, *Hæc dixit Esaias cum vidit gloriam eius*. Quis enim existimans, & pronomen *eius* ad Christum, & verbum *vidit* ad illustrem illam visionem Esaiæ referri, nihilque in ea visione animaduertens præter gloriosum repræsentamen Domini exercituum, non inducatur vt putet, eundem esse Dominum illum & Christum, præsertim si sit, & præiudicio vacuus, & Christi, vt decet, adorator?

LV Hactenus autoritate pugnauimus Apostolici testimonij. Nunc, ea seposita, quid ex visione illa Esaiæ colligi possit videamus.

deamus. Principiò notanda est temporis circunstantia. *In Anno*, inquit, *quo mortuus est rex Ozias vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum*, &c. Extincto rege Iudæ vmbratili verus Rex apparuit, innuens se tum demum prodituru m majestatem suam regiam, cum fuerint de medio reges Iudæ sublati. Itaque & Ozias, & is qui eo sublato sese ostendit *Rex* appellatur. Sed cur non potius anno quo mortuus est Iotham hæc tam magnifica visio objecta est prophetæ, quam anno quo mortuus est Ozias? Aut cur non est potius alicui prophetæ indulta anno quo vel Ezechias, vel Iosias mortem obiit? Equidem cur selectus sit Ozias nulla mihi ratio succurrit, præter istam quam lectori diiudicandam propono. Fuerunt Reges Iudæ typi Christi veri regis Iudæorum, præsertim illi, qui aliquid non commune nec vulgare habuerunt. In eo numero censendus videtur Rex Ozias pius, bellicosus, turrium & propugnaculorum extructor, puteorum effossor, pecora multa habens in deserto, in montibus, in locis planis, necnon agricolas & vinitores, & exercitum numerosissimum, cui vniuerso arma omnis generis parauit clypeos, hastas, galeas, loricas, arcus, fundas, etiam tormenta & machinas bellicas ad eiaculandum sagittas & lapides magnos, quibus rebus nomen sibi maximum comparauit, etiam apud alias gentes: quorum omnium qui non videt spiritualem veritatem in rege Christo reperiri nemo est, opinor, verè Christianus.

LVI. Sed nisi longiùs progrediamur, nondum videmur assecuti mentem Spiritus Sancti. Solus rex Ozias coniungere sacerdotium voluit cum regio munere, ausus adolere incensum super altare thymiamatis. Quod fecit Ozias malè, id Christus fecit optimè: vtrumq; enim munus regium & sacerdotale in se suscepit vocatione legitima, sed Iudæis ignota. Restitit Oziæ sũmus Sacerdos cũ reliquis Sacerdotibus, benè: restitit Christo sũmus sacerdos cum reliquis sacerdotibus, pessimè. Non potuit à malo illo proposito dimoueri Ozias, Nec à bono illo proposito Christus. Percussus est Ozias lepra, plaga immunditiem legalem secum trahente, Percussus est Christus ea plaga, quam vt immundam horrebant Iudæi cruci suffixus, ac, si vulgatam versionem audis, *nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo.* Ozias pro immundo à Sacerdotibus & populo habitus excommunicatus est, & eiectus è Templo, & domo regia, & aliorum Iudæorum consortio. Christus Esai 53. 4.

D

itidem pro immūndo à Sacerdotibus & populo habitus excommunicatus est, ac extra vrbē eiectus à reliquorū Iudæorum cōmercio separatus. Ita Rex Ozias desiit dominari Iudæis, ac cum eis vllum amplius habere cōmercium: Similiter Rex Iudæorum Christus in Iudæos regnare desiit nullum amplius cum eis habens cōmercium. Interim tamē retinuit Ozias ius regni, quāuis illud non exerceret. Christus quoq; retinet ius regni, quāuis eo in Iudæos non vtatur. Hæc omnia manifestum est competere in Christum seruata proportione inter vmbram & corpus, ac dempto peccato, quod vmbræ est proprium. Sublata igitur vmbra viua imago veritatis sese ostendit Esaiæ. Apparuit enim illi vt Rex super solio excelso, necnon vt summus Sacerdos intra templum, quod suffitus fumo impleuit: sed augustiore quàm caperet templum maiestate, ita enim fimbriæ vestis eius amplæ erant, vt eas continere templum vix posset. Addidit congruens typo vaticinium, fore vt suam illam regiam & Sacerdotalem dignitatem ad contemplandum & credendum expositam Iudæi præ nimia cæcitate & duritie, neque oculis videant, neque corde intelligant, neque ad ipsum conuertantur vt fiant participes sanationis, quam vt rex & Sacerdos ex altari suo emittit, ac ministerio Seraphim applicat: quo fiet vt reiectus ab illis ipse eos reiiciat à se ac deserat, & procul submoueat, & in manus hostium tradat, nihilque cum illis commercij per multa secula habeat. Sic omnia congruunt inter se, visio, vaticinium, notata typi circunstantia, quæ posita interpretatione Aduersariorum quam χέσιν inter se habeant non intelligo.

LVII. *Vidi*, inquit Esaias, *Dominum sedentem*, &c. Is qui apparuit Esaiæ, vel fuit persona Patris separatim à Filio, vel Filius, vel Angelus creatus. Hoc vltimum dici non potest. Nam nec nomina Domini, Regis, יהוה צבאות cadunt in Angelum, nec tanta maiestas, præsertim in Dei templo. Soli Patri & Filio erectus est in templo Dei thronus excelsus, & quidem non alius Patri, alius Filio, sed idem vtrique. Necesse est igitur vt qui Esaiæ apparuit, Pater aut Filius fuerit. Non fuit autem Pater, intellige immediatè, & Filio excluso. Id quod probo, 1. Qui hoc loco Esaiæ apparuit est ille idem, qui olim patriarchis & Israelitis apparuit, vocaturque יהוה. אל. אלהים. Deus Abrahami, Isaaci & Iacobi.
Gen. 31. 11. 13. & 32. Hic autem non fuit Pater separatus à Filio. vocatur enim *etiam Angelus*, quod nomen tribuitur quidem Filio aliquando, Patri ve-

tô numquam. Hic enim nullo modo, neque naturæ, neque muneris respectu angelus dici potest. II. Si Pater immediatè sese reuelauit & videndum exhibuit Patriarchis & Prophetis, quomodo verum est, quod dicitur Ioh. 1. 18. *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarrauit?* Quominus enim hoc ad præsens vel futurum restringatur, obstat aduerbium *vnquam*. Et Math. 11. 27. *Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui voluerit filius reuelare*. & Ioh. 14. 16. *Ego sum via veritas & vita nemo venit ad Patrem nisi per me?* III. Cur etiam Philippi petentis Patrem sibi immediatè ostendi, petitionem Dominus vt absurdam reiecit Ioh. 14. 9. si Pater separatim à Filio & ostendi potuit, & ostensus est olim prophetis? Cur enim Apostolis, qui fuerunt prophetis maiores, vtrumque illud concedi non potuit, vt, & Patrem viderent mediatè in Filio tunc tẽporis multiplici infirmitate & ignominia circundato, & eundẽ etiam viderent extra Filium immediatè sũma maiestate adorandum, siquidẽ hoc posterius Esaię indultũ est? IV. Cur etiam Dominus eam rationẽ subiecit, quamobrẽ absurda videri debeat petitio Philippi, quæ pariter, nec videri posse filiũ quin videatur Pater innuit, nec Patrẽ quin videatur Filius? *Non credis*, inquit, *me in Patre & Patrem in me esse?* Itaque alterum seorsum ab altero videri non posse. V. Euangelium anteponitur legi Heb. 2. 1. quòd hæc per Angelos, illud per Filium angelis præstantiorem promulgari cœpit. Ratio sine dubio optima, sed quæ ad vocationem Esaiæ & Apostolorum accõmodata illum his præstare doceret, siquidem Ille patrem immediatè vidisset; Hi Patrem non vidissent nisi mediatè: Ille à Patre missus esset immediatè, Hi tantùm mediatè: Ille Patrem audiuisset loquentem immediatè, Hi tantum loquentẽ mediatè. Quis tamen nescit Apostolos singulos non Esaia solùm, sed etiam ipso Mose præstantiores fuisse? Nam, si inter natos mulierum nemo surrexerat maior Ioh. Baptista, & tamen minor in regno cœlorum maior illo erat, quis propheta non concedat Apostolis sedentibus super duodecim thronis & iudicantibus duodecim tribus Israelis?

18. 30. Osée 12. 3. Exod. 3. 6. 16. Act. 7. 30. 38. Iudic. 2. 1. & 6. 14. 16. Vide arg. 8. lib. 1.

Math. 11. 11.

Math. 19. 28.

LVIII. Huc accedit quod, cum Pater in Scriptura partes Dei perpetuò agat, censetur omni tempore sedere in cœlis in throno maiestatis gloriosus, indeq; omnia gubernare. Itaque mittit semper, nunquam mittitur; Et si quid facit id emisso verbo & spiritu facere creditur. Quare qui in terra apparet, is ab eo

missus, eiusque legatus dici potest; eo magis quod constat ipsam Patris personam immediatè non venire cum agitur de negotijs summi momenti. Certè non venit immediatè cum redimendum fuit genus humanum à peccato, à Diabolo, à morte, à lege, nec veniet immediatè cùm erunt suscitanda corpora, & vniuersus mundus iudicandus vltimò. Si igitur cum de rebus tantis, de negotijs tam diuinis agitur, Pater tamen non venit, non apparet immediatè, quanto minus existimandum est, eum immediatè venisse & apparuisse Esaiæ isto loco, vt id faceret per sese, quod neque tanti momenti erat; & per legatum fieri optimè potuit?

L I X. Adde quod, vt vaticinium in quod hæc visio desinit, ad tempus prædicationis Christi & Apostolorum pertinet, testibus hoc nostro Euangelista, & ipso euentu; sic ista reuelatio gloriæ Dei ad idem tempus referenda est. Id quod & Socinus agnoscit, & ipsa visio clamat: quæ cum talis, tam clara, tam gloriosa semel tantùm, certo tempore, nec antè, nec pòst, vel ipsi Esaiæ, vel alij prophetæ indulta sit, cum reuelatione maximæ & longissimæ populi Iudaici indurationis & vastationis, sine dubio specimen est reuelationis illius diuinæ omnium illustrissimæ ac clarissimæ, quam sequuta est Iudæorum maxima maximeque diuturna & contumacia, & desolatio. Talis autem est ea, quæ in consummatione seculorum facta est, Dei in carne patefactio quo tempore, vt iam obseruaui, Pater non apparuit, nisi quia Filius apparuit, non est conspectus, nisi quia Filius est conspectus, non est reiectus à Iudæis, nisi quia Filius est rejectus. Non igitur in hac visione sese Pater immediatè conspiciendum dedit, sed in Filio, quo videndo, & non aliter, videri debuit & potuit Pater.

L X. Sed ipsam visionem expendamus. In ea consideranda sunt eius qui apparuit Nomina, Munera, Beneficia, ministri. Vocatur primò אדני κύριος, *Dominus*: quod nomen Christi proprium esse docet Apostolus 1. Cor. 8. 6. & 12. 5. & Eph. 4. 5. Deinde *Rex*: quod etiam nomen Christo conuenire κατ' ἐξοχήν, ac tanquam proprium, & quidem tum cum Dei gloria omnium magnificentissimè reuelatur, & Scriptura docet multis locis, & ipse Christus testatur Math. 25. 34. Tandem *Iehoua Sabaoth*, *Dominus exercituum*: quod nomen ei quoque Regi conuenire, qui est גבור מלחמה, & ἐν δικαιοσύνῃ κρίνει καὶ πολεμεῖ, & om-

Ps. 24.
Apoc. 19. 11.

nes Dei & nostros hostes vicit, alio loco opportuniore Deo dante probabimus. Nunc satis sit monuisse, qui id neget, huic refutanda esse argumenta illa omnia, quibus eum Esaiæ apparuisse probamus.

LXI. Nominibus subiungo Munera. Apparet enim Esaiæ hic Dominus, vt Rex & summus Sacerdos simul. De regio munere res clara est: nam & Rex appellatur & sedet in throno sublimi. Sacerdotium colligitur 1. ex eo quod intra templum apparet. Est enim, non regis populi Dei qua rex est, sed Sacerdotis ingredi in templum, hoc est, in loca sancta, & sanctissima. 2. ex fimbrijs eius, quæ dicuntur repleuisse templum. Est enim allusio, non tam ad fimbrias vestis regiæ, de quibus in Scriptura nulla mentio, quam ad fimbrias vestis summi Sacerdotis, quæ describuntur accuratè Exod. 28. 33. & 39. 23. & erant admodum amplæ: habebant enim in ambitu multa aurea tintinabula malis punicis pretiosissimis ordine dispositis interjecta, cuius vmbræ corpus est in Christo, quem certum est, vt regem & summum Sacerdotem, sedere in domo Dei, hoc est, in sua sublimem, eamque totam implere aureis tintinabulis & malis punicis, id est, pretiosissimis Sacerdotij sui nuntijs & fructibus. Idem enim ipse qui descenderat, *ascendit supra omnes cœlos vt impleret omnia*, & *est omnia in omnibus*. Si igitur negari nequit, quin Rex Christus ita sedeat in throno excelso valdè, vt fimbriæ eius impleant templum, nonne id argumento esse debet, Christum esse illum ipsum regem, quem Esaias sic sedentem vidit? Eph. 4. 10. Col. 3. 11.

LXII. Tertiò id etiam colligitur ex altari super quo erant prunæ, & fumo quo templum replebatur: fumo, inquam, sacrificij, & suffimenti, huius præcipuè. Nam victimæ, quæ in Atrio sub dio offerebatur, fumus in columnæ morem sursum ferebatur: suffimenti verò fumus, cum exitum non haberet, per loca sancta & loca sanctissima peruagabatur, eaque odore complebat: Hæc enim præsentiam arguebāt Sacerdotis in templo sacra peragentis: Non Sacerdotis Leuitici: (nullus enim in illa visione comparet: neque ei locus fuisset in templo, fumo & fimbrijs Domini pleno: & contactus prunæ ex altari sumptæ tollens à Propheta præputium labiorum & iniquitatem, diuersum à Leuitico altare arguit: nihil enim tale de prunis altaris legitur in lege.) Ergo Sacerdotis Christi, qui cum sit Rex, etiam in templo, religiosè adorandus, 8.

post peractum sacrificium sedens in excelsissimo solio thymiama intercessionis offert, & cœlesti sanctuario ministrat teste Apostolo Heb. 8. 1. 2. & Rom. 8. 33. Sic enim post oblatum sacrificium decuit eum Sacerdotem ministrare qui Rex est, iuxta illud Zach. 6. 13. *sedebit, & dominabitur super solio suo, & erit Sacerdos super solio suo.* Itaque respondentes viginti quatuor Sacerdotum leuiticorum ordinibus seniores viginti quatuor, quos ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione agnus fecit reges & sacerdotes, coram Dei throno coronati & sedentes in solijs inducuntur Apoc. 4. ac tenentes phialas aureas plenas suffituum Ap. 5. 8.

Apoc. 5. 10.

LXIII. Muneribus addo Beneficia, & sic argumentor. Is ad quem qui aspicit & conuertitur sanatur, est ille quem Esaias vidit. Christus est is ad quem qui aspicit & conuertitur sanatur. Ergo Christus est ille quem Esaias vidit. Maior probatur 2. argumentis. Primum ducitur à verbis eius quem vidit Esaias, *Ne videant oculis, & intelligant corde, & conuertantur, & sanē eos:* significat enim se paratum sanare quotquot videntes oculis, & corde intelligentes, ad ipsum conuertentur. Alterum à specimine illius sanationis edito in Esaia, qui simul ac vidit Dominum, & confessus est immunditiem suam sanatus est vi oblati sacrificij, adhibito instrumento idoneo, per vnum è Seraphim applicata.

Iohi 8. 14.

LXIV. Beneficijs addo ministros, quorum opera deferuntur, annuntiantur, & applicantur. Quandoquidem enim Dominus sese ostendit paratum ad sanandum eos, qui ad ipsum aspiciunt & conuertuntur, isque ad vim illam inexhaustam sanandi, quæ ab eo eiusq; sacrificio & intercessione copiosè manat, hominibus monstrandam, ferendam, applicandam, ministris vsus est quos secum, & populo Iudaico videndos & audiendos exhibuit, & populus ille præ cæcitate & duritia cordis reiecit, consentaneum rationi fuit, vt vna cum ipso Domino illi eius ministri Esaiæ apparerent. Vnde sic argumentor. Si Seraphim supernè Domino astantes comparati sunt ad repræsentandum Christi ministros, beneficium sanationis à peccato & morte, quod ab eius regio Sacerdotio proficiscitur, deferentes, reuelantes, applicantes, Dominus ille est Christus. Prius autem verum est. Ergo & posterius. Negabitur antecedens. Id autem multis argumentis ex hac ipsa visione petitis probari potest, nullo refelli.

LXV. Primum ducitur à nomine *Seraphim*, quod, si originem

ſpectes, *comburentes*: ſi vſum Scripturæ, *preſteres*, ſeu *ſerpentes vrentes* ſignificat: quales illi fuerunt, quos Deus miſit in populum ob viæ tædium & mannæ faſtidium murmurantem, morſu, velut admoto igne, homines comburentes & deſtruentes. Horum morſibus vt mederetur Moſes iuſſu Dei fecit *Saraph*, *preſterem*, eumque perticæ impoſuit, vt quicunque à preſtere morſus fuiſſet in illum aſpiciens ſanaretur. Hic Saraph ſalutaris Seraphim illis perniciosis & lethiferis figura ſimilis, natura diuerſus, effectu contrarius, typus fuit Chriſti: quem, *vt Moſes ſerpentem extulit in deſerto, ita extolli oportuit, vt quiſquis credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Ioh. 3. 14. Conſtat autem hos Seraphim, qui supernè Domino adſtabant, pernicioſos non fuiſſe, ſed potius ſalutiferos. Conſtat etiam eos ipſum Chriſtum non fuiſſe, Nam & plures erant, & faciem ſuam ac pedes tegebant, & Dominum non ſeipſos prædicabant, & prophetam non virtute inſita, ſed rebus à ſe diuerſis ſanabant, &c. Neceſſe eſt igitur, vt Domini illius, qui apparebat ſedens in excelſo throno, διάκονοι & οἰκόνομοι fuerint, gratiam ſanationis & ſalutis, quæ penes ipſum eſt, deferentes, offerentes, conferentes miniſterio, volatu, voce, mediis conuenientibus. Quoniam igitur comparati ſunt ad medendum morſibus præſterum ſeu ſerpentium vrentium ſpiritualiter intellectorum, idcircò videntur appellati Seraphim, hoc eſt, præſteres, alluſione ad Saraph illum quem Moſes in deſerto erexit. Vt enim Chriſtus in crucem primùm, deinde in cœlum ſublatus omnibus locis & temporibus videri poſſet fidei oculis, miniſtris volantibus opus fuit, qui ad eius imaginem transformati, Salutem eius deportarent, oſtenderent, & applicarent. Alioqui cur ſic appellarentur cauſam non video: nam, qui huius appellationis rationem ab ignis vel motu, vel calore, vel luce petunt, illi, nec Scripturâ nituntur, quæ ea voce conſtanter præſteres aut noxios, aut his oppoſitos intelligit: Nec vi vocis, quæ nihil poteſt ſignificare niſi ἐμπρησταὶ, hoc eſt, incendentes vel comburentes, à verbo שרף quod vrere, comburere, incēdere ſignificat, nihil præterea, & dicitur rarò de igne, frequenter de homine adhibito igne aliquid comburente ac deſtruente: nec ab eo vox vlla naſcitur, quæ ſplendorem vel illuminationem vel igneum colorem ſignificet. Itaque animalia quæ vidit Ezechiel, *quorum aſpectus erat quaſi carbonum ignis ardentium, & quaſi aſpectus lampadum* non Ezech. 1. 13.

vocantur Seraphim, sed Cherubim.

LXVI. Alterum ducitur à clamore horum Seraphim: clamabat enim זה אל זה *iste ad istum*, hoc est, vnusquisq; ad proximum & quidem in templo. Cur clamabat, nisi vt longe lateque audiretur? cur in templo, nisi vt à tota Ecclesia exaudiretur? Quid autem clamat? duo. Primum prædicat ac reuelat summam illam Domini potentissimi sanctitatem, qua in se sanctus est, & qua autor est sanctificationis nostræ, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum*, vt intelligamus non ipsos, sed Dominum esse eum qui nos sanctificat, nostram sanationem, quæ in sanctificatione sita est, in Domino solo quærendam, ab eo solo petendam sperandamque. Deinde addit, *plena est omnis terra gloria eius*, innuens locorum in terra & gentium sublatum discrimen, atque adeo abrogatum fœdus legale. Quinam autem ista Duo, & in Ecclesia, & ad obuium quemque clamauerint, est ne obscurum?

LXVII. Huius clamoris duo cõmemorantur effecta. Vnum, quod superliminaria & postes templi, tot seculis vno in loco immobiliter fixi, moti sunt loco, atque ita ingressus in loca sancta & sanctissima apertus. Alterum, quod domus repleta est fumo, nempe commotione illa postium ac liminum, atque adeo totius aëris, & fumus victimæ, qui in Atrio ex altari ascendebat, & fumus suffitus, qui in interiore domo offerebatur, ad latera quoquouersum sparsi sunt, omniaque templi loca suo odore compleuerunt. Quinam rursus prædicatione sua duo illa præstiterint satis notum est.

LXVIII. Tertium ex eo petitur quod simul ac Esaias Dominum agnouit, & suam immundiciem confessus est, *volauit ad eum vnus ex Seraphim habens in manu prunam, quam ab altari forcipibus sumpserat, admonuitque ori eius dicens, attingit hoc labia tua, iam amouetur iniquitas tua, & peccatum tuum expiatur.* Cuius autem quæso munus est, agnoscenti Dominum, & peccata sua confitenti sacrificii Christi uim applicare mediis ad eam rem aptis & destinatis, ac remissionem peccatorum verbis annunciare? Reliqua arg. ab apparitione, loco, vsu alarum, collatione cum animalibus Ap. 4. & 5. studio breuitatis prætereo: nec addo, nisi Dominum cum suis ministris visum & auditum oculis & auribus corporis, nec tamen agnitum & intellectum corde à populo Iudaico eam ob causam rejecto ac dissipato, præter Christum, nullum me nosse.

DISPVT.



DISPVTATIO SECVNDA

De Arg. II. Ex Esaiæ Cap. VII. ℣. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, laudato Matth. I. 23.

I. APVD eundem Esaiam cap. VII. vers. 14. habetur vaticinium, *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabis nomen eius Emmanuel*, quod Matthæus laudat his verbis, *Hoc autem totum factum est, vt impleretur quod dictum est à domino per prophetam dicentem, Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabis nomen eius Emmanuel, quod est, si quis interpretetur*, μεθ' ἡμῶν ὁ θεὸς *nobiscum Deus*: Hinc sic argumentor.

Emmanuel est Deus præditus essentia diuina. Christus est Emmanuel. Ergo Christus est Deus præditus essentia diuina. Minor, cùm habeat autorem Apostolum, negari nequit, Major sic probatur, Deus nobiscum, ὁ θεὸς μεθ' ἡμῶν, est præditus essentia diuina Emmanuel est Deus nobiscum, ὁ θεὸς μεθ' ἡμῶν. Ergo Emmanuel est præditus essentia diuina. Minor est Apostoli. Major est certa: adjectio enim עמנו μεθ' ἡμῶν *nobiscum*, non mutat significationem huius nominis אל ὁ θεὸς, *Deus*. Id autem nomen ipsi Aduersarij fatentur Deum significare præditum essentia diuina.

II. Ad hoc argumentum nihil legi à Socino responsum. At Crellius duo obijcit, vnum respondet. Obijcit 1. *sic damnari eos omnes, qui id nomen olim hodieque, vel alijs imposuerunt, vel vsurparunt ipsi.* Non desunt è nostris qui eos damnent. Ego, quia in impositione & vsurpatione illius nominis gratum sonum seu pronunciationem cogitasse tantùm arbitror, non significationem, excusatos cupio, alioqui grauiter culpandos.

lib. I. de vera relig. cap II. & com. in Math. I. 23.

E

III. Obijcit II. *Christum, cui id nomen Deus per Esaiam destinauit, eius Prophetæ ætate suam habuisse imaginem, cui eadem appellatio, istius temporis ratione habita competeret, imperfecta quidem significatione, sed tamen vera.* Resp. I. vllum ætate Prophetæ natum fuisse hoc insignitum nomine nullo sacrarum literarum testimonio doceri posse. II. Vt fuerit aliquis, in eum tamen nullo modo significationem illius nominis, ne imperfectam quidem, competiuisse: nullus enim post editum à Propheta istud vaticinium eo viuente natus est, aut qui Deus fuerit, aut per quem Deus cum populo Iudaico fuerit, illiue opem tulerit. III. Fac tamen aliquem eiusmodi fuisse, cui, & nomen illud, & eius significatio conueniret aliquomodo, id de argumenti nostri robore nihil detrahit. Fuit enim ille Emmanuel typicè tantùm: Christus est verè. Typus autem non est præditus illius rei essentia cuius est typus. Itaq; potuit mera creatura typicè Deus dici, verè non item.

IV. Respondet hoc vnum, verbis *nobiscum Deus*, addendum esse *est*; *integram enim enunciationem in vnum nomen coaluisse.* Itaque sic appellari Christum, non quod sit ille Deus qui nobiscum est, sed *quod per eum & in eo Deus ille summus reuera nobiscum sit, hoc est, nobis insigniter faueat, nobis opituletur, nobis ingentia beneficia præstet.* Verùm vnde habet addendum esse verbum ἐστι *est*, potius quàm participium ὢν *existens*, quo addito roboraretur potius quàm infirmaretur argumentum nostrum? Immò vnde habet aliquid esse addendum? Num sibi tale quid addi flagitat nomen Emmanuel? non certè qua nomen, sunt enim innumera nomina quibus verbum est, addi non debet; Nec qua nomen compositum, sunt enim etiam multa nomina composita absque tali additamento completa; Nec denique qua nomen sic compositum: Id quod intelliges, si articulum nomini θεὸς ab Euangelista præfixum, primo loco ponas, ὁ μεθ' ἡμῶν θεός. Hinc enim liquet non magis id nomen enunciationem esse quàm est hæc oratio, Deus pacis, Deus omnis consolationis, & similes. Nec reponendum est esse in Scriptura nomina quædam quæ sint enunciationes, id enim non nego, tantùm nego inde sequi nomen Emmanuel esse enunciationem.

V. Iam autem vt vox Emmanuel de sermone Hebræo in græcum aut latinum vertatur, addendum non esse vocibus, *Nobiscum Deus*, verbum substantiuum his argumentis probari potest. Pri-

mò, Nemo melius id nomen interpretari poteſt quàm Euangeliſta & Apoſtolus Matthæus id interpretatus eſt, atqui is verbum *eſt* non adjecit; adjecturus ſine dubio ſi opus fuiſſet. Cur enim id omiſiſſet, ſi pars cenſeri debet illius nominis? An quia ſponte ſubauditur? Non, poteſt enim, vt dixi, ſubaudiri participium, poteſt nihil ſubaudiri, vt in hac propoſitione, Deus nobiſcum eſt Deus noſter, Deus nobiſcum eſt ſubjectum, ſeu nomen complectum. An quia nihil intereſt vtrum ſine an cum, eſt, intelligatur? Ne id quidem reſpondere poſſunt Aduerſarij adjunctionem verbi illius vrgentes, qua ſublata quod huic noſtro argumento reſpondeant non habent. Si igitur prudentiſſimus Apoſtolus verbum, eſt, de nominis illius, vt ita loquar, eſſentia putauit eſſe, ſi vidit plurimi intereſſe Eccleſiæ vt adjiciatur ad euitandum errorem momentoſum, quî ſibi ab eo addendo temperauit, autor nobis exemplo ſuo ne illud addamus? Quod ſi id is non putauit addendum, ſunt ne tanto Apoſtolo ſapientiores Aduerſarij? quanquam quid Apoſtolum nomino, & non potius Chriſtum qui in eo loquebatur?

VI. Deinde, cum neminem fugiat nomen de perſona cuius eſt nomen prædicari in caſu recto, quis credat ita ſtupidum & cæcum fuiſſe Apoſtolum, vt non intellexerit, ſe Chriſti nomen Emmanuel interpretando μεθ' ἡμῶν τὸν θεὸν Chriſtum appellare τὸν θεὸν, indeque ſequi eum eſſe præditum natura ſeu eſſentia diuina? Hoc igitur ſi putauit & falſum & Deo patri injurioſum, poſſe autem ei malo occurri neceſſaria verbi ἐστι adjectione, cur id non adjecit, vt ſic veritati, gloriæ Dei, ædificationi Eccleſiæ conſuleret.

VII. Tertiò, hæc propoſitio, Chriſtus eſt Emmanuel, quomodo latinè reddi debet? Num ſic, Chriſtus eſt nobiſcum Deus? non concedent Aduerſarij: ſic enim valeret argumentum noſtrum. Num igitur ſic, Chriſtus eſt nobiſcum Deus eſt? ita oportet eos interpretari ſi ſibi conſtare volunt. Sed quis talem ferat interpretationem? Similiter hæc propoſitio, Emmanuel eſt Seruator noſter, non erit ſic reddenda Nobiſcum Deus eſt ſeruator noſter, ſed ſic, Nobiſcum Deus eſt eſt ſeruator noſter. Similiter cum ſic loquitur Eſaias cap. VIII. verſ. 8. *Et extenſio alarum eius implebit latitudinem terræ tuæ O Emmanuel*, quomodo reddendum erit græcè vel latinè illud O Emmanuel? certè autore Matthæo ὦ μεθ' ἡμῶν ὁ θεὸς, *O nobiſcum Deus*. Sic ne puer qui-

dem dubitabit quin nomen ὁ Θεὸς *Deus* sit vocatiui casus. Crellio verò autore sic erit vertendum ὦ μεθ' ἡμῶν ὁ Θεὸς ἐστι O nobiscum Deus est, vtrum autorem sequi tibi magis placet, lector pie, Apostolum an Crellium? Sic si dixero, Christum esse Emmanuelem, quomodo retento verbo infinitiui modi, esse, reddent Emmanuelem? Num, Christum esse Deum nobiscum? minimè, sic enim nomen Deus, ὁ Θεὸς, prædicaretur de Christo, quod illi nolunt; sed sic, Christum esse Deus est nobiscum.

VIII. Quartò, Apoc. 21. vers. 3. Audiuit Iohannes *vocem magnam de Throno dicentem*, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*, (loquitur de noua Hierusalem) *& habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus erit cum ipsis Deus ipsorum* καὶ αὐτὸς ὁ Θεὸς ἔσται μετ' αὐτῶν Θεὸς αὐτῶν. His verbis sine dubio vim nominis Emmanuel expressit, nisi quod pronomen primæ personæ mutauit in pronomen tertiæ, quia sese qui loquebatur hominibus non aggregabat; refertur enim pronomen primæ personæ *nobis* ad homines vocantes filium virginis Emmanuelem, itaque non dicitur Deus sic vocaturus eum, sed virgo, vel Ecclesia. Quàm igitur dixit vox illa, *Ipse Deus erit cum ipsis Deus*, tam dicere possumus nos fideles, Ipse Deus erit nobiscum Deus, id quod est dicere, erit Emmanuel. Hinc multa colligo I. sic argumentor, qui tunc erit Emmanuel idem nunc est Emmanuel. Sed tunc ipse Deus erit Emmanuel. Ergo nunc ipse Deus est Emmanuel. Minor nititur illo loco. Major est certa: idem enim tunc erit nobiscum Deus qui nunc est nobiscum Deus, tantùm erit nobiscum ratione perfectiore atque illustriore. Adde quod Filius est hæres Patris, non contrà. Itaque non fit verisimile Patrem hæredem futurum nominis Emmanuel, quod proprium esse Filij ipsi Aduersarij confitentur. II. vt se habet μετ' αὐτῶν Θεὸς *cum illis Deus*, sic se habet μεθ' ἡμῶν Θεὸς *nobiscum Deus*. Sed μετ' αὐτῶν Θεὸς est elogium completum sine additione verbi *est*, vt patet ex illa propositione *ipse Deus erit cum ipsis Deus*, ineptus enim esset qui post *Deus* adderet, *est*, ergo etiam *nobiscum Deus* est elogium completum sine illa additione. III. Quomodo intelligendum est μετ' αὐτῶν Θεὸς, eodem modo intelligēdum est μεθ' ἡμῶν Θεὸς: sed μετ' αὐτῶν Θεὸς non significat eum per quem Deus est cum illis. Ergo etiam μεθ' ἡμῶν Θεὸς non significat eum per quem Deus est nobiscum.

IX. Quintò, si addatur verbum, est, enunciatio seu nomen

fiet ambiguum: vel enim totum hoc, *nobiscum Deus est*, erit attributum, persona subjectum, & subaudietur pronomen iste, vel ille, vel hic, vt fit in nomine Iissachar significante *est merces*: vel erit integra enunciatio, cuius subjectum erit *Deus*, attributum *est nobiscum*. Si prius eligitur, accessio verbi, Est, nihil obest argumento nostro. Si posterius: oportet Christum esse comparatum ad significandum quod Deus nobiscum sit. Nunquam enim integra enunciatio imponitur vt nomen alicui vel rei vel personæ, nisi vt res illa vel persona sit veritatis eiusmodi enunciationis monumentum vel signum. Itaque quod dicunt Dominum nostrum vocari Emmanuelem, hoc est ipsis interpretibus, Deus nobiscum est, quoniam per eum Deus nobiscum est, seu nobis opem fert, in eo destituuntur omni exemplo. Non enim est vocatus filius Esaiæ *accelera, detrahe spolium, festina prædari*, quoniam per eum detrahendum esset spolium; Nec mons in quo Abraham filium suum immolare voluit, *Dominus videbit*, quod per eum montem Dominus esset visurus; nec altare *Deus fortis est Deus Israëlis*, quod per illud Deus esset Deus Israëlis; nec, vt mea memoria est, quisquam aut quidquam eo sensu enunciationem vice nominis obtinet in Scriptura. Conuenire autem Christo nomen Emmanuel tantùm vt signo quod Deus sit nobiscum, non puto Christianum vllum dicturum: potuit enim illius rei signum institui, si Deus voluisset, quæuis alia persona, immò res visibilis.

X. Sextò, Huc accedit quod negari non potest quin Christus vocetur אל *Deus*, & quidem ab hoc ipso propheta Esaia cap. 9. 6. *vocabitur nomen eius Admirabilis, consiliarius, Deus fortis* אל גבור, *Pater seculi, Princeps pacis*, nec id diffitetur Crellius. Si igitur vocandus erat אל *Deus*, cur non cum ista additione, עמנו *nobiscum*? Rursus negari non potest quin sit reuera nobiscum, *Ecce*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi*. Math. 28. 20 Si igitur nominis עמנואל pars ista עמנו *nobiscum* prædicatur de Christo verè & propriè, cur non similiter pars altera nimirum אל *Deus* de eodem Christo verè & propriè prædicabitur, præsertim cum certum sit eum nobiscum esse modo planè diuino? Certè non dicitur nobiscum esse quia per eum alius est nobiscum; nec dicitur Deus quia per eum alius est Deus: sed nobiscum est verè & propriè, Deus est verè & propriè, non figuratè, non metaphoricè.

XI. Septimò, nomina Emmanuel & Iesus idem valent testibus Matthæo & re ipsa: Matthæo quidem, Is enim quod dixerat de virgine Maria, *pariet filium, & vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*, confert vt euentum cum hoc Esaiæ vaticinio, *ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.* Itaque vt virgo virgini, partus partui, vocatio nominis vocationi nominis in illa collatione respondet, sic consentaneum est vt nomen nomini respondeat, non quidem literarum & soni ratione, sed rei. Re verò ipsa: Nam quid est nobiscum Deus nisi Iesus, hoc est, Seruator, qui nos à peccatis nostris, atque adeò ab omni malo seruat? Certè Deus nobiscum est Deus nos seruans, id est, Seruator, Et rursus Seruator est Deus nobiscum, *Ego sum, Ego sum Dominus*, inquit ipse Deus Esaiæ cap. 43. vers. 11. *Et non est absque me* (Heb. בלעדי *præter me, me excepto*, vt patet ex Esaiæ 44. 6. & Ps. 18. 32.) *Seruator.* Si non est præter Deum seruator, quomodo Iesus est seruator si non est Deus? Itaque ipse sibi Deus hoc tanquam proprium tribuit vt seruet populum suum à peccatis ipsorum, Esai. 43. 25. *Ego sum*, inquit, *Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Si igitur Christus is est qui delet iniquitates nostras, & nos seruat ab omnibus malis vi sua, quid est cur non credatur esse Emmanuel, hoc est, Deus nobiscum, nobis fauens, nobis opem ferens.

XII. Præterea Si Dominus noster vocatur Emmanuel hanc vnam ob causam, quoniam per eum Deus nobis opitulatur, cum Deus sit hominibus opitulatus per multos iudices, reges, prophetas, Sacerdotes, multi etiam alij potuerunt eo nomine insigniri, quî ergo factum est, vt nemini alij tributum legatur in Scriptura, non Mosi, non Iosue, non iudicum aut regum vlli, &c. Posita expositione Aduersariorum nulla ratio reddi potest, cur hoc nomen soli Christo reseruatum fuerit, nec sit ulli alij communicatum: posita vero nostra, ratio aperta est, nemo alius Deus fuit: itaque nemo alius Deus nobiscum fuit.

XIII. Denique nullus melior vaticinii interpres quàm ipse euentus. Constat autem ab omnibus Christianis Christum vocatum esse & vocari Emmanuelem non tam habita ratione syllabarum & soni quàm rei: nempe creditur Deus esse nobiscum, nobis

coniunctiſſimus, cum igitur prædictioni reſpondeat congruens noſtræ interpretationi euentus apertiſſimè, non eſt cur de veritate prædictionis ſic acceptæ dubitemus.

XIV. Nunc Apoſtoli authoritate ſepoſita ex ipſo textu Eſaiæ hoc argumentum ducimus. Caput regni Iudaici Achazo ſuperius vnde pendebat illius conſeruatio erat Deus. Emmanuel erat caput regni Iudaici Achazo ſuperius, ex quo pendebat illius conſeruatio. Ergo Emmanuel erat Deus. propoſitio, opinor, non negabitur. Quis enim neſcit populi illius caput & regem Achazo ſuperiorem ipſum Deum fuiſſe? Non te (inquit ipſe Deus ad Samuelem quod Iſraelitæ regem ſibi imponi flagitaſſent grauiter ferentem,) *reiecerunt, ſed me ne regnem ſuper eos. Tu ipſe*, clamabat pſaltes, *Rex meus es o Deus.* Minor incumbit mihi probanda: ac illud quidem nequit negari Emmanuelem eſſe Regem Iudæorum ſeu regni Iudaici caput, negabitur tantùm eum fuiſſe caput illius regni tempore Prophetæ. At ſi tunc fuit, certè tunc fuit caput illius regni. Tunc autem fuit. Id enim & probatum eſt toto libro ſuperiori, & deducitur ex ipſis verbis Eſaiæ.

1. Sam. 8.7. Pſ. 44.6.

XV. Primùm enim cum hoc ſignum fuerit ab ipſo Deo prudentiſſimè electum ac per Prophetam propoſitum, negari non poteſt, quin ad id confirmandum accommodatiſſimum fuerit, quod eo confirmari Deus uoluit, uoluit autem confirmari id quod Eſaias ipſius nomine credendum propoſuerat Achazo. Propoſuerat autem credendam aſſertionem & aſſertionis rationem. Aſſertio erat, conſilium Retſin regis Syriæ & filii Romeliæ regis Samariæ de Iudæa capienda, inter ſe diuidenda, Regeque in ea conſtituendo filio Tabeæ irritum fore. Ratio erat, *quia caput Syriæ Damaſcus, & caput Damaſci Retſin & caput Ephraim Samaria & caput Samariæ filius Romeliæ*, hoc eſt, quia regnorum Syriæ & Ephraim nullum erat caput Retſin & filio Romeliæ ſuperius vnde penderet illorum conſeruatio & conſiliorum euentus, cum eſſet Regni Iudaici caput ſuperius Achaſo, videlicet Deus, qui duorum illorum regum tam ſcelerato conſilio non minus quàm Achazus petebatur. Quæ ratio, quoniam, & propter eam aſſentiendum erat aſſertioni, & eius probè perceptæ ac perſuaſæ vi omnis alia ſimilis tentatio ſuperari poterat, propoſito ſigno confirmari debuit, Magis enim confirmare voluit Deus quod magis

credi voluit. Confirmata autem fuit illa ratio, quantùm quidem ad seculum illud attinuit, non ipso euentu seu exhibitione reali illius signi, neque etiam sola repetitione promissionis de venturo Messia: ita enim neque ad rationē illam accommodatum fuisset signum, & virginis mentio obfuisset: potuisset enim videri vel vnam virginem è Dauidica stirpe conseruatam ad promissionis de Messia nasciturо veritatem tuendam satis esse posse. Sed declaratione solenni, ac veritatis suæ notas quasdam præ se ferente, fore vt tandem aliquando caput regni Iudaici (quod tunc temporis, quoniam sola natura diuina præditum erat, non videbatur) fieret virgineo conceptu & partu visibile, Deusque cum Iudæis esse visibiliter appareret, & à piis agnosceretur: id quod Apostolus Iohannes expressit his verbis, *verbum erat* Deus, *& caro factum est, & habitauit inter nos plenum gratia & veritate, & spectauimus gloriam eius, &c.* caro enim factum est in vtero virginis.

XVI. Hinc perspici facilè potest, cur Virginis mentio fiat hoc loco, cur nominis Emmanuel, cur educationis eius. Nimirum, neque Deum decebat carnem fieri ex viri concubitu cum muliere; & pertinebat ad scopum Prophetæ vt Deus esse cum Iudæis, caput eorum & rex, agnosceretur; & obuiam eundum erat cogitationi obrepturæ lectori, Emmanuelem futurum fuisse quàm diuinitate & conceptu, & nomine tam naturæ humanæ conditione à reliquis hominibus diuersum, cui vt occurrat subjicit Propheta eum nasciturum infantem, nondum internoscentem objecta, & cibis consuetis vtentem, hoc est, aliis hominibus peccato excepto per omnia similem, quarum rerum cur hoc vno loco mentio facta sit, quæ alibi non fit in Veteri Testamento admissa opinione Aduersariorum nulla prorsus reddi potest ratio, vti nec cur potissimùm nitatur Esaias Emmanuelis nomine, quod bis repetit cap. VIII.

XVII. His accedit pronomen *vobis*, non enim dicit Propheta simpliciter, *dabit Dominus ipse signum*, sed addit *vobis*, innuens etiam ad eos quos alloquebatur Emmanuelem aliquo modo pertinere, quomodo? si tunc temporis nullus omninò erat, si nulla ab eo protectio, liberatio, salus, vtilitas proficisci poterat? cur etiam eius futura conceptio & natiuitas & reuelatio credenda & speranda ipsis proponebatur, si ab eo nihil erat ipsis sperandum boni?

XVIII. Id ipſum confirmat pronomen *nobis* expreſſum in voce Emmanuelis: hoc enim etiam ad ipſum Eſaiam alioſque illius ſeculi fideles referri ex eo patet, quod Eſaias innuere vult eo nomine Deum eſſe ſecum, ac cum populo Iudaico, & domo Dauidis, vt eam conſeruet. Id quod perſpicuum eſt ex Prophetæ verbis cap. 8. verſ. 8. in quibus ipſis, magnum eſt pondus, *ibit* (nempe Rex Aſſyriorum) *per Iudam, inundans & tranſiens vſque ad collum veniet, & erit extenſio alarum eius implens latitudinem terræ tuæ O* Emmanuel. His enim verbis primùm Emmanuelem compellat tanquam iam reuera exiſtentem. Deinde Iudæam vocat eius terram, ſignificans Emmanuelem eſſe illius terræ dominum. Tum ad eum in ſumma illa calamitate confugit, eique quanta eſſet illa miſeria futura miſericordiæ excitandæ cauſa exponit. Denique ab Emmanuele ſic compellato tantam ſpem tantamque fiduciam concipit, vt non dubitet hoſtibus veluti inſultare, *congregamini*, inquit verſ. 9. *populi & vincimini, & audite vniuerſa procul terra: confortamini & vincimini, accingite vos & vincimini, inite conſilium & diſſipabitur, loquimini verbum & non fiet, quia* (Emmanuel) *Nobiſcum Deus*, potuitne clarius innuere ita Emmanuelem τὸ κατὰ σάρκα naſciturum fuiſſe, vt tamen iam reuera eſſet τὸ κατὰ πνεῦμα, Iudeæ curam gerens tanquam rex & Dominus, ac tutiſſimum aduerſus ingruentes calamitates perfugium.

XIX. Reponit Crellius, *in hoc loco, vt in alijs multis, duplicem eſſe ſenſum, literalem nimirum ſeu hiſtoricum, & myſticum*, hunc de Chriſto, illum de filio propheteſſæ qui tunc conceptus & natus fuit eſſe accipiendum. Sed ipſe ſeſe ſtatim refellit: ſubjicit enim *verba* huius loci *ita eſſe comparata, vt nonniſi duriter, ac ſenſu valde tenui ad puerum Eſaiæ tempore natum accommodari queant.* Certè tum demum locus eſt diſtinctioni iſti ſenſus literalis & myſtici, cum literalis Chriſto non conuenit, ſed Chriſti typo. Hîc verò contra res habet: literalis enim Chriſto conuenit, & quidem propriè, immò magis propriè quam vlli alij, immò nulli alij niſi duriter ac ſenſu valde tenui ipſo confitente Aduerſario. Ad literam enim Maria maximè propriè & virgo fuit, & concepit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Emmanuel, & is puer mel & butyrum comedit donec ſciret reprobare malum & eligere bonum: abundabat enim regio in qua natus & educatus eſt lacte & melle non ſolum domeſtico, ſed etiam ſyluestri, vt patet ex

Math. 3. 4. Luc 24. 42. 1. Sam. 14. 26. Ierem. 11. 4. &c.

XX. Nulla alia virgo concepit vnquam aut peperit. Virginem autem literali sensu עלמה significare notius est quàm vt probatione egeat. Nullus alius Emmanuelis nomine insignitus comparet in Scriptura. Aut igitur non fuit vllus, aut is silentio Scripturæ contectus pro nullo habendus est. Taceo nomen Emmanuelis augustius quiddam sonare quam vt conuenire potuerit puero tempore Achazi nato. Taceo cap. 8. Iudæam appellari terram istius Emmanuelis *non vulgari*, vt ipse Crellius fatetur, *ratione, sed aliqua peculiari*, quæque cadere non potuit in filium prophetissæ.

XXI. Vrgeo miraculum. *Quis hîc*, inquit ipse Crellius, *non videt miraculum valde insigne diuinitus promitti? Quis enim credat, cum data fuisset Achazo facultas petendi signum aliquod maximè illustre atque admirabile, Deum, postea signum, quod Achazus petere noluisset, eligentem & proferentem signum valde vulgare & tale in quo vix quicquam miraculosi extitisset, tantummodo præbere voluisse?* Atqui nihil fuit miraculosi si fœmina iuuenis concepit ex viro & peperit filium. Dices *in eo consistere miraculum quod Esaias iam antea præsciuerit ac prædixerit eam & omnino concepturam & parituram non filiam, sed filium.* Primùm aliud est præscientia aut prædictio miraculi, aliud ipsum miraculum. Esaias miraculum in conceptione & partu, & Emmanuele posuit, non in sua ipsius præscientia & prædictione, *Dabit*, inquit, *vobis ipse Deus signum*, quodnam? vtique quod verbis sequentibus exprimitur, *Ecce virgo concipiet & pariet filium, &c.* Deinde miraculum intelligitur singulare, non autem eiusmodi quod in omni vero vaticinio contineretur: omnis enim futuri contingentis certa prædictio tale quid miraculi continet. Tum parum illustre fuisset hoc miraculum: Id enim euenturum Propheta prædixisset quod secundum ordinem naturæ sæpenumero euenit, vt quod euentus prædictioni respondisset posset ab Achazo fortunæ vel casui adscribi, & tamen in præsentissimo discrimine suspensos populi Dei animos expectatione sui tenuisset ferè per annum, ad fulciendũ fidem nutantem parũ potens & præsens adminiculum.

XXII. Vrgeo etiam prædictionem. Cuius enim prædicta fuisset diuinitus solenni ratione conceptio, natiuitas, nominis impositio, & educatio, hunc oportuisset virum admodum insignem.

ac planè extraordinarium esse, vt patet inductione eorum quorum natiuitas prædicitur in Scriptura, talis tamen aliquis Achazi vel Esaiæ tempore natus fuisse non legitur, haud tacendus in Scriptura si vllus extitisset.

XXIII. Vrgeo denique differentiam & analogiam inter vmbram & corpus, typum & τὸ τυπωθὲν, quæ hîc nullæ apparent. Nam quæ est proportionum similitudo inter signum positum in certitudine præscientiæ, & signum positum in conceptione virginea? Aut sensu literali virginem הנביאה significat, aut mystico: si literali, non igitur mystico: differt enim literalis à mystico. Si mystico, ostende in Prophetissa virginitatis Mariæ typum, & quomodo non virgo virginem, concipiens ex viro concipientem absque viri opera, conceptio vacans miraculo conceptionem miraculosam qua talem, hoc est, quomodo affirmatio negationem sibi oppositam, vel contrà negatio affirmationem adumbrauerit. Num per filium Prophetissæ Deus Iudæis opem tulit, eosque liberauit ab hostibus quibusdam, vt typus esset Emmanuelis per quem liberamur à peccato morte & Diabolo? Quid etiam in sequentibus Esaiæ verbis *butyrum & mel comedet vt sciat reprobare malum & eligere bonum*, butyrum mysticè significat? quid mel? quid reprobatio mali? quid electio boni? Quid quæ sequuntur, *quia antequam sciat puer reprobare malum & eligere bonum derelinquetur terra quam tu detestaris à facie duorum regum suorum, &c.* quem habent mysticum sensum? Nullum equidem rationi consentaneum excogitare valeo: itaque contentus sum literali apprimè congruente.

XXIV. Objicit Crellius, *talis ibi pueri natiuitatem promitti, in cuius adhuc infantia debeant relinquere terram, nempe Iudaam, duo illi reges.* Id nego, vnde enim id habet? ex versu 16. proximè à me commemorato, *quia antequam sciat puer reprobare malum, &c?* Minimè. Intelligitur enim hic versus 16. vel de eodem puero de quo duo proximè antecedentes, vel de alio. Si de alio, nihil ex eo colligi potest quod pertineat ad vaticinium de nascituro ex puella seu virgine filio. Si de eodem, occurrit Propheta cogitationi cuius proximo versu occasionem dederat, fore virginis filium insignem bellatorem, qui postquam adoleuisset, vel insito robore vt Samson, vel contracto exercitu vt Gedeon Iudæam ab illis regibus aliisque hostibus liberaret, cui falsæ opina-

tioni vt aditum præcludat subjicit fore vt ante id tempus & duo illi reges abducantur in captiuitatem aut etiam interficiantur, & Deus Iudæos per Regem Assyriorum, cuius opem implorare cogitabant, seuerè admodum castiget: id quod partim Achazi tempore, partim anno filij eius Ezechiæ decimo quarto factum est.

XXV. Instat Crellius, *ex capite*, inquit, 8 *si cum* 7. *conferatur, facilè apparet, intelligi nomine huius pueri filium Prophetissæ, per quam Esaiæ ipsius vxor intelligitur: quandoquidem ita ibi scribit Propheta*, & accessi ad prophetissam (*id quod verecundè vsum coniugalem significare doctores omnes intelligunt*) Et concepit & peperit filium. & dixit Dominus ad me: voca nomen eius, accelera spolia detrahere, festina prædari. Quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci (*quæ nimirum erat sedes regis Syriæ*) & spolia Samariæ coram rege Assyriorum, *vbi verba*, quia antequam sciat, *&c. respondere illis cap.* 7. *vers.* 16. quia antequam sciat reprobare malum, &c. *facile est videre.* Falsa quadam specie similitudinis delusus Crellius veras dissimilitudines non animaduertit. Nam cap. 7. virgo nominatur, cap. 8. prophetissa iam amissa virginitate mater. Illic conceptio miraculosa prædicitur, hic miraculo vacans narratur. Illic puer vocatur Emmanuel *nobiscum Deus*, hîc vocatur Maher Schalal Has Bas, quod vetus interpres reddidit, *Accelera spolia detrahere, festina prædari*: quæ nomina quantum inter se distent nemo non videt. Illic dicitur *Antequam puer sciat reprobare malum & eligere bonum, &c.* Hîc *Antequam sciat vocare patrem suum & matrem suam*, quæ duo differunt, potest enim puer sonare Abi & Imi, hoc est, Tatam & Mammam satis diu antequam sciat reprobare malum & eligere bonum.

XXVI. Opponent etiam huic secundo nostro argumento Aduersarij similia nomina composita, vrbis Hierosolymæ *voluntas mea in ea* Esaiæ 62. 4. *Dominus illic* Ezechielis vers. vlt. *Dominus iustitia nostra* Ierem. 33. 16. Altaris *Dominus exaltatio mea*, vel *Dominus vexillum meum* Exod. 17. 15. *Dominus pax* Iud. 6. 24. quorundam virorum, *Elnathan Deus dedit*, *Elzana Deus Zelotes*, *Elimelec Deus meus rex*, &c. Ex quibus concludi non potest Hierosolymam, Altare, viros illos ipsum Deum fuisse. Respondeo illorum nominum & Emmanuelis rationem esse valde disparem: est enim Emmanuelis nomen personæ adorabili diuini-

nitus impoſitum, cum illa nomina memorata, vel non perſonæ, vel non diuinitus impoſita ſint. Adde quod in nominibus *voluntas mea in ea*, & *Dominus illic*, ea, & illic, ipſam Hieruſalem cuius ſunt nomina deſignant, impediuntque quominus voluntas Dei, vel Dominus dici putetur. Nomen autem *Dominus iuſtitia noſtra*, vel non tribuitur Hieroſolymæ eo loco, vel ſi tribuitur, ei tribuitur quatenus Hieroſolyma, id eſt, Eccleſia Chriſtus dici poteſt teſte Apoſtolo. 1. Cor. 12. 12. Sed de eo nomine diſputandum erit copioſius alio loco. Ad altare quod ſpectat, id typus fuit veri altaris, verum autem altare eſt ipſe Chriſtus: Idem enim ſacerdos victima, altare, & quodam reſpectu tabernaculum fuit. Itaque nomina illa Altaribus tributa typicè, Chriſto conueniunt verè. Ad viros quod attinet, humanitus ſic appellati ſunt, ac proinde eorum nominum nulla ratio haberi debet, aut ſi qua haberi debet, ea ad Chriſtum tanquam ad veritatem, ad viros autem illos tanquam ad vmbras & typos Chriſti referenda eſt, cauſæque quam agimus fauet.



DISPVTATIO TERTIA.

De Arg. III. Ex Eſaiæ Cap VIII. ℣. 13. *Dominum Exercituum ipſum ſanctificate. Ipſe pauor veſter & ipſe terror veſter: & erit vobis in ſanctificationem, in lapidem autem offenſionis & in petram ſcandali duabus domibus Iſraël, &c.* Collato cum Rom. 9. 30. & 1. petr. 2. 3.

I. PERGAT, vt cœpit, Eſaias, iudice Hieronymo non ſolùm Propheta ſed Euangeliſta & Apoſtolus, teſtimonium de diuina Chriſti eſſentia dicere. Apud eum cap. VIII. verſ. 13.

Dominus sic loquitur, *Dominum exercituum* את יהוה צבאות *ipsum sanctificate: ipse pauor vester, & ipse terror vester: & erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in Petram scandali duabus domibus Israël, in laqueum & in ruinam habitantibus Ierusalem, &c.* Ex illis verbis sic argumentor

Ille qui Esai. VIII. *vers.* 13. *dicitur futurus in lapidem offensionis & petram scandali est Deus præditus essentia diuina.*

Christus est ille qui Esai. VIII. 13. *dicitur futurus in lapidem offensionis & in petram scandali.*

Ergo Christus est Deus præditus essentia diuina

Major nec negatur ab Aduersarijs nec potest negari. Minor probatur testimonio Apostoli Rom. IX. 30. *Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est,* Ecce *pono in Sion lapidem offensionis & petram scandali.* Quem enim lapidem offensionis intelligit nisi Christum? Quem dicendo lapidem offensionis & petram scandali locum Veteris Testamenti citat, nisi istum Esaiæ VIII. 13. Docet igitur Christum esse illum lapidem offensionis & petram scandali, cuius mentio fit Esai. VIII. 13.

II. Quid respondet Socinus? Negat locum Esai. 8. 13. citari ab Apostolo, *Ipsa prima verba,* inquit, *recitati ab ipso loci apertè docent, Paulum non istum* (Esai. 8. 13.) *sed illum alterum cap.* 28. *reuera citare.* Docent quidem certè prima verba Paulum citare locum Esai, 28. 16. At eum simul non citare locum Esai. 8. 13. quomodo docent? disertis verbis? An per consequentiam? nullo modo. Quid enim prohibuit duo loca Esaiæ citari ab Apostolo conjunctim? Annon idem Apostolus ad Rom. 3. vers. 10. & seqq. deprompta ex varijs Psalmis aliquot loca in vnum quasi testimonij corpus compegit? Non citari igitur illum locum nihil docet, citari multa euincunt.

III. Ac primò quidem verba, *lapidem offensionis & petram scandali.* Nam si prima verba, *Ecce pono in Sion,* docent Paulum citare locum Esai. 28. 16. nonne similiter verba sequentia *lapidem offensionis & petram scandali* docent Paulum citare locum Esai. 8. 13? par enim est ratio, Quàm enim prima illa non leguntur Esai. 8. sed Esai. 8. 28. tam sequentia ista non leguntur Esai. 28. sed Esai. 8.

IV. Id quoque euincunt verba, *Sicut scriptum est*: notant enim conuenientiam citati vaticinij cum euentu memorato verbis

immediatè præcedentibus, *Offenderunt in lapidem offensionis*. Cum illo autem euentu congruit vaticinium Esai. 8. 13. non verò vaticinium Esai. 28. 16. vt cuiuis patet. Citatur igitur vaticinium Esai. 8. 13. vel solum, vel saltem præcipuè.

V. Idem etiam docet scopus Apostoli, qui sine dubio fuit scandalum, quod ex Iudæorum incredulitate & reiectione nasci poterat, tollere: poterat enim offendi lector cogitans illum populum, cui promissus fuerat Christus & soli, & toties, tot subinde repetitis oraculis, Christum non agnouisse. Tollit autem hoc scandalum prolato Esaiæ vaticinio. Quis enim pius offendi possit eo euentu, quem tot antè seculis prædictum legit in Scriptura? Ad hunc scopum conducit per se locus Esai. 8. 13. non autem locus Esai. 28. Is igitur locus vel solus vel præcipuè citatus fuisse putandus est. Hoc etiam innuunt verba proximè antecedentia, *offenderunt enim in lapidē offensionis*, quis enim non videt per lapidem offensionis sic antonomasticè seu κατ' ἐξοχὴν appellatum eum potius intelligi debere, qui sic in Veteri Testamento appellatur, quàm eum qui sic nunquam vocatur? Nunquam autem sic Christus vocatur, si de eo locus Esaiæ cap. 8. intelligi non debet.

VI. Adde quod prima illa verba petita ex Esai. 28. *Ecce ego pono in Sion*, per se citari non potuerunt cum per se sola sensum perfectum non habeant. Cum igitur negari non possit quin citetur enunciatio, non autem duntaxat enunciationis pars lectoris animum suspensum tenens alterius partis expectatione, fatendum est non minus citari verba, *lapidem offensionis & petram scandali*, quàm antecedentia, *Ecce pono in Sion*, eandem enim componunt enunciationem citatam, cuius neutra pars citari per se seu separatim potuit.

VII. Prætermittenda non videtur hoc loco Apostoli prudentia. Non enim potuit apertius innuere eandem petram intelligi Esai. 8. & Esai. 28. quàm duo illa loca in vnum testimonium, immò in vnam enunciationem compingendo, ac verba quæ desumpsit ex Esai. 8. media inserendo inter illa quæ ex cap. 28. transcripsit, vt nihil dubitemus de quo lapide agitur in vno loco, de eodem agi in altero. *Certum est autem in cap. 28. 16. agi de Christo* ipso teste Socino. Agitur ergo etiam in cap. 8. de Christo.

VIII. Denique quid facit Apostolus cum verba è cap. 8. transcribit, ac cum antecedentibus connectit per illud, *sicut scrip-*

tum est, si ea non citat? *Ostendit tantùm*, inquit Socinus, *verba, quæ Esaia cap.* 8. *de illo vno Deo dicuntur, ad Christum accommodari posse, dum ea tanquam si de Christo dicta fuissent, adiungit verbis eiusdem prophetæ cap.* 28. *quem locum reuera citat, & meritò de Christo exponit.* At quomodo ad Christum accommodari possunt, si de Christo nec dicta sunt, nec intelligi debent? Aut, cur ea tanquam si de Christo dicta fuissent, adjungit verbis eiusdem prophetæ de Christo intelligendis, si non vult ea à nobis accipi tanquam si de Christo dicta fuissent? Certè talis accommodatio menti prophetæ magis repugnans quàm congruens nihil probaret, nihil faceret ad tollendum vel minuendum scandalum, nihil ad firmandam lectoris fidem, aut scopum Apostoli iuuandum: prtineret tantùm cum ad præbendam Iudæis occasionem querendi de Apostolo ad meram creaturam transferente præter mentem Veteris Testamenti, ea quæ de creatore, vno illo vero Deo, dicta sunt à Propheta, tum ad fallendos Christianos, qui videntes ea quæ dicta sunt ab Esaia de Domino exercituum ad Christum, tanquam si de eo à Propheta dicta fuissent, aptari, inducuntur autoritate Apostoli & Christi admiratione, vt credant Christum esse Dominum exercituum.

IX. Paulo suffragatur Petrus, qui prioris Epist. suæ cap. 2. vers. 6. 7. 8. tres Scripturæ locos simul iunxit, primum ex Esaiæ cap. 28. alterum ex Psal. 118. tertium ex hoc Esaiæ 8. 13. *Propter quod*, inquit, *continet Scriptura, Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, probatum, electum, preciosum, & qui credit in eum non confundetur. vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis & petra scandali, his qui offendunt verbo.* Horum trium locorum constat primum & secundum cum citari ab Apostolo tum de Christo debere intelligi, cur non igitur idem sentiamus de tertio, eoque magis quod Apostolus tertium diuisit, ac inter eius partes secundum locauit, & cum illis ita copulauit, vt videri possint in vnum testimonium coaluisse? Nam verba, *vobis igitur honor credentibus*, respondent verbis Esaiæ cap. 8. *& erit vobis in sanctificationem*, seu potius in *sanctuarium*: מקדש enim propriè sanctuarium, non autem sanctificationem significat, posuit autem Apostolus honorem pro sanctuario, hoc est, consequens pro antecedente: erat enim sanctuarium honor & gloria

Israëlis:

Iſraëlis: & quibus hic lapis eſt honori illis eſt in ſanctuarium, & vice verſa. Mirum certè eſt Apoſtolos verba Eſaiæ cap. 8. 13. ſi de Patre non de Chriſto dicta fuerunt, de Patre nunquam, de Chriſto perpetuò exponere, ac verba Eſaiæ cap. 8. alijs locis, in quibus de Chriſto agi certum eſt, conſtanter admiſcere & implicare, & cum eis in eandem enunciationem compingere.

X. Præterea confitentur Aduerſarij in locis Eſaiæ c. 28. & Pſ. 118. certum eſſe agi de Chriſto. Peto vnde id eis conſtet? Num ex eo quod Apoſtoli locos illos ad Chriſtum accommodarunt? At illi etiam locum Eſaiæ cap. 8. ad eundem Chriſtum accommodarunt: nec eſt in eorum verbis quicquam vnde poſſis colligere locum illum Eſai. 8. 13. duobus alijs eſſe diſparem. Cur igitur pari rationi pariter non aſſentiuntur? Num ex locorum illorum circunſtantijs? An igitur deprehenderunt aliquid in locis Eſaiæ cap. 28. 16. & Pſ. 118. 21. quod dici nequeat de eo de quo agitur Eſaiæ 8. vel contrà in Eſaiæ 8. quod non conueniat ei de quo agitur Eſaiæ 28. & Pſ. 118? Nihil prorſus. Quicquid enim de lapide ſeu petra dicitur Eſaiæ 28. 16. & Pſ. 118. 21. id etiam de petra memorata Eſaiæ 8. 13. dici poſſe manifeſtum eſt. Nam quî potuit Lapis deſcriptus Eſaiæ 8. eſſe lapis offenſionis & petra ſcandali duabus domibus Iſraëlis, ſi poſitus in Sion (poni autem niſi à Deo non potuit) & à duabus illis domibus, hoc eſt, ab ædificantibus reiectus non fuit? Quis lapis eo magis probatus, pretioſus, angularis, ſolidus, caput anguli? Quis magis cauet ne confundatur quiſquis credit in eum? Conueniunt igitur illi quæcunque de lapide dicta leguntur Eſaiæ 28. 16. & Pſal. 118. 21.

XI. Rurſus quid dicitur de lapide Eſaiæ 8. quod negari poſſit de lapide deſcripto alijs illis duobus locis? Hoc vnum, inquies quod vocatur Dominus exercituum. Vnde verò habes id nomen non conuenire lapidi deſcripto Eſaiæ 28. & pſal. 118? Lapis ille eſt Chriſtus. Chriſtus autem non eſt Dominus exercituum. Præter hanc τοῦ ἐν ἀρχῇ petitionem cauſari nihil poſſunt Aduerſarii, Nihil enim eſt in locis Eſaiæ 28. & Pſal. 118. quod lapidem quem deſcribunt vocari Dominum exercituum prohibeat, eſt potius quod iubeat: cum enim conſtet lapidem de quo agitur in duobus illis locis eſſe lapidem offenſionis & petram ſcandali, lapidem autem offenſionis & petram ſcandali eſſe dominum exercituum, patet lapidem de quo agitur in duobus illis locis eſſe Dominum

exercituum. Id quod etiam non obscurè innuunt verba illa Esaiæ 28. *Qui credit in eum non confundetur.* sic enim commendari solet in Veteri Testamento fides in Deum, non vero fides in meram creaturam.

XII. Responsionem suam Socinus tot telis confossam recreare conatur vnica ratione, *certum est*, inquit, *ista quæ de illo vno Deo apud Esaiam prædicantur, multò antè Christi aduentum & eius tempora impleta fuisse.* Hoc qua facilitate ab ipso affirmatur, eadem à me negatur. At subiicit rationem, *Est enim*, inquit, *ibi prædictio de vtriusque domus Israelis captiuitate, quarum altera, id est, decem tribuum, iam instabat, & propterea pluribus verbis paulo ante eodem cap. apertè prædicta fuerat, altera verò, id est, tribus Iudæ & Beniamin captiuitas, vt pote, quæ plurimis annis post futura erat breuius & obscuriùs (vrbe ipsa tamen Hierusalem nominata) in istis ipsis verbis quæ de illo vno Deo dicuntur, prænunciata fuit.* Hoc quoque nego: captiuitatis enim Babylonicæ nullum animaduerto vestigium in toto hoc cap. 8. vti nec nominatam vrbem Hierusalem. Addit, *Nec quisquam affirmare potest, istam prædictionem figuratè ad Christi quoque tempora pertinere.* Ego verò affirmo istam prædictionem non iam figuratè, sed propriè ad Christi tempora pertinere. Cum enim vaticinium istud tria contineat, Mandatum, *Timorem eius populi ne timeatis, neque paueatis. Dominum exercituum ipsum sanctificate*, &c. Promissionem, *& erit vobis in sanctuarium*: comminationem, *in lapidem autem offensionis & in petram scandali duabus domibus Israël,* Mandatum ad Christi tempora pertinere testis est omni exceptione maior Petrus 1. Ep. 3. 14. *Timorem*, inquit, *eorum ne timete, neque turbamini. Dominum Deum sanctificate in cordibus vestris.* Si Mandatum ad Christi tempora pertinet, quis non videt ad eadem Christi tempora etiam promissionem & comminationem pertinere? Potest ne etiam quisquam negare Deum temporibus Christi fuisse tum in sanctuarium fidelibus ipsum sanctificantibus, tum in lapidem offensionis & petram scandali duabus domibus Israëlis? Hoc vtrumque profectò aut antè impletum non fuit, aut saltem tunc quoque, & quidem maximè, impletum fuit. Qnod si antecedentia spectes, præcesserat cap. 7. prædictio de nasciturо ex virgine Emmanuele, & hoc ipso cap. bis iniecta Emmanuelis mentio. Emmanuel autem est Christus. Si sequentia, se-

quuntur verba illa, *Ecce ego & pueri quos dedit mihi Dominus* de Chriſto expoſita Heb. 2. 13.

XIII. Sed vt clarius perſpici poſſit nec agi de captiuitate Iudæorum in hoc Eſaiæ loco, & Spiritum Sanctum potiſſimum reſpexiſſe ad tempora Chriſti, eius mens pro menſura indultæ nobis gratiæ aperienda eſt. Habemus in hoc cap. 8. & ſuperiore ſpecimen ex vna parte hoſtium Chriſti & Eccleſiæ in Filio Romeliæ rege Samariæ atque Ephraim,& Retſin regeDamaſci & Syriæ, Ex altera vero parte Eccleſiæ quatenus in eâ ſunt *πρόσκαιροι* & hypocritæ in Achazo rege Iudæ populoque eius. Pekah enim & Retſin, Ephraimitæ & Syri, hoſtes inter ſe acerrimi, religione & animis diſcordes, alteri Iudeæorum fratres, alteri à Dei fœdere alieni poſitis inimicitijs, communi conſilio contra domum Dauidis & Iudæam conjurantes, vt illa deſtructa hanc partiantur inter ſe, & filio Tabeel ſubjiciant, ſpecimen ſunt illuſtre talium Chriſti eiuſque Eccleſiæ hoſtium, quales fuerunt Herodes & Pontius Pilatus, populi Iſraëlis & gentes, vt cuiuis conferenti illos inter ſe manifeſtum eſt. Achazus vero & populus eius, audita illa coniuratione, agnita ſua imbecillitate & hoſtium potentia, metu vehementiſſimo perturbati, opem regis Aſſyriorum contempto Dei verbo implorantes, eorum nobis in ſeſe ſpecimen exhibent, qui ingruente perſecutione Deo diffidentes metu velut vento agitantur, & ad fallacia perfugia verbo Dei neglecto confugiunt. Propheta quoque Eſaias partibus miniſtri Chriſti apud eum ſtrenuè fungitur. Hortatur metum deponat: pollicetur irritum fore hoſtium conatum: rationem addit, diſparem eſſe rationem regni Iudæ & regnorum Samariæ & Syriæ, illius caput eſſe Deum horum non item: neceſſitatem hoc credendi aperit: offert media ad fidem firmandam apta: ea reſpuentes increpat: Ac illud nihilominus proponit quod eſt fidei objectũ & pabulum, capitis Iudæę incarnationẽ, Dei nobiſcum patefactionẽ in vera carne humana, ſignum ſalutis credentibus exitij incredulis, cuius intuitu tunc promiſſi nunc exhibiti fides roboratur, omniſque tentationis victrix euadit. Denique vanitatem oſtendit carnalis prudentiæ & perfugij. In rege Aſſyriorum cernitur ſpecimen primò carnalis præſidij, quod perpetuò fallit & nocet, Deo per illud ipſum Eccleſiam caſtigante, ad quod ipſo ſpreto confugit: Deinde hoſtis impudentis & blaſphemi, qualem ſeſe prodidit tempore Eze-

chiæ, ſpeciminis eorum qui Deo reuera fidunt: qūo reſpectu regem Aſſyriorum Propheta deſcribens cap. VIII. ad Emmanuelem confugit, eiuſque ope implorata hoſtium deſtructionem, quantacunque eorum multitudo & potentia ſit, exultabundus prædicit, quàm præſtet carnali ſpirituale perfugium non obſcurè ſignificans.

XIV. Quoniam autem præter hoſtes externos latent in Eccleſia [illegible] & hypocritæ veris fidelibus permixti, eoſque nonnunquam auctoritate & numero ſuperantes, qui ingruente perſecutione cum trepidant ipſi, tum exemplo & ſermonibus fideles ad ſimilem trepidationem vitandæque perſecutionis carnalem rationem impellunt: quod genus tentationis eo nocentius eſt quo occultius: horum ſpecimen Propheta nobis exhibet in populo Iudaico, cui ex aduerſo fidelium ſpecimen opponit in ſe ipſo & filijs ſuis contēplandum, edoctis à Domino manu forti non eadem via cum populo illo incedere, non iiſdem ſermonibus vti, non iiſdem rebus terreri: quæ ab illo populo diuinitus & forti manu præcepta ſeceſſio Chriſti & Apoſtolorum tempore demum perfecta eſt. Sic antecedentia citatum ab Apoſtolis teſtimonium percurrentibus nobis neque captiuitas Babylonica occurrit, neque quicquam quod ad Chriſti tempora, ſaltem vt vmbra aut typus non pertineat.

XV. Ad citatum teſtimonium quod attinet, teneri nos Chriſtianos mandato illo, *Sanctificate Dominum exercituum ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter* iam probaui § 12. Addo, Emmanuelem eſſe huius ſanctificationis & pauoris objectum: quippe, habet omnem poteſtatem in cœlo & in terra, iudex eſt ſupremus totius mundi, poteſt animam & corpus mittere in gehennam ignis, *Ne timete ab ijs qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehenna*, Math. 10. 20.

XVI. Promiſſio, *Et erit vobis in ſanctuarium*, nobis argumentum ſuppeditat. Eſt enim credentibus ac timentibus Deum Chriſtus in Sanctuarium propriè, non Pater præciſè, & ſeorſim, Quod vt manifeſtum fiat ratio obſeruanda eſt, cur ſic promiſſionem Dominus conceperit. Iuſſerat ſuos fideles à populi Iudaici vijs, ſermonibus, &c. ſecedere: quod fieri vix poterat quin ſynagoga mouerentur, ijſque templo interdiceretur cui Deus præ-

ntiam suam salutarem & cultum affixerat. Id quoniam vnum oterat eos admodum perturbare, pollicetur, vt vt destituantur anctuario terreno, non tamen defuturum illis sanctuarium, imò abituros Sanctuarium infinities perfectius: ipsum enim Domium illis fore in Sanctuarium. patiantur igitur æquo animo se vmra priuari, ab incredulis Iudæis retenta, gaudentes corpore & eritate. Itaque tacita fit oppositio inter Sanctuarium typicum & verum, carnale & spirituale, terrenum & cœleste, legale & euangelicum, illudque cum adhærente illi populo deserendum tandem fuit fidelibus vt hoc fruerentur.

XVII. Ostendimus autem alibi Sanctuarium terrenum pro diuerso respectu tria adumbrasse, cœlum, Ecclesiam, Christum. De Cœlo & Ecclesia nunc quidem dicere nihil opus est. Christum fuisse Sanctuario seu tabernaculo vel templo adumbratum, & ipse innuit, cum corpus suum vocat templum, & Apostolus, Ioh. 2.
cum carnem eius velum appellat (non enim seruabuntur propor- 19.
tiones inter velum & sanctuarium, si caro Christi dicatur velum Heb. 10
esse tabernaculi, quod locum seu cœlum significat) & ipsa res 20
id clamat: videmus enim in Christo tabernaculi terreni foris vilis intus magnifici cœlestem veritatem. In eo enim, non iam vmbratiliter, vt in sanctuario typico, sed σωματικῶς *corporaliter habitat omnis plenitudo deitatis.* In eo est vera arca fœderis, verum pro- Col. 2.
pitiatorium, verum altare, verum sacrificium, verus intercessio- 9.
nis suffitus, verus panis propositionis, vera lux aurei candelabri, omnia denique quæcunque sunt nobis ad salutem & cultum diuinum necessaria. Ab eo vno manat omnis peccati expiatio, omnis sanctificatio & perfectio, omnis benedictio spiritualis, orationes nostræ, gratiarum actiones, sacrificia spiritualia in eo & per eum offerri debent. In eo præsentissimum numen habemus, ac tutissimum perfugium omni tempore, &c. In Patre si separetur à Christo illa non habemus, nec vllus nobis patet ad eum aditus teste ipso Christo, *Ego sum via, veritas, & vita, nemo venit ad Patrem nisi per me.*

XVIII. Comminatio, *& in lapidem offensionis & petram scandali duabus domibus Israëlis*, ipsa per se aliquot argumenta nobis suppeditat. Primū ducitur à Petra; & sic habet. Petra est Deus. Christus est Petra. E. Christus est Deus. Deum intelligo Israëlis præditum essentia diuina. Major non videtur negari posse, est enim petra vnū

ex nominibus Dei non infrequens in Scriptura. Id quod ita clarum est, vt non dubitauerint 70. Interpretes viginti fere locis pro πέτρα θεὸν vsurpare, vnum exempli causa citasse sufficiet ad firmandam majorem nostram aptissimum Ps. 18. 34. *Quis est Deus præter Dominum? & quis est* צור *petra præter Deum nostrum?* versio græca & vulgata latina habent, *Et quis est Deus præter Deum nostrum?* Hæc interrogatio negandi vim habet, idemque valet ac propositio negatiua, *nullus est petra nisi Deus Israëlis.* Respondent etiam sibi inuicem duæ illæ interrogationes, ac vocibus mutatis idem sonant: vt igitur Dominus *Iehouah*, & Deus noster, sic Deus & Petra æquiualent. Christum autem esse petram, quæ minor est argumenti, quis possit inficiari?

XIX. Nobis sine dubio Petrum Apostolum Aduersarij opponent petram appellatum ab ipso Christo super qua ædificetur Ecclesia: ita enim sentit VVolkelius. Sed quominus existimemus per petram eo loco Petrum esse intelligendum obstant, vt cæteras nunc omittam, tres hæ rationes. Prima ducitur ab autoritate Euangelistæ mentis Christi optimi interpretis, qui non temerè sed prudenter inter Petram & Petrum distinxit, quæ autem ille distinxit actus à Spiritu Sancto nostrum non est confundere. Cur enim πέτραν dixit non πέτρον, si Petrum intelligi voluit? Christus, inquies, non distinxit, non mutauit genus, eadem vocis forma Petrum & Petram designauit. Vnde id habetur, nisi quia creditur Syriacè locutus, quæ lingua distinctionem illam non admittit? Cur ergo id linguæ illius inopiæ non adscribis potius quàm menti Christi per interpretem suum, cum id lingua tulit, Petram à Petro distinguentis? Dices, Matthæum non dixisse ἐπὶ τούτῳ τῷ πέτρῳ quoniam vox πέτρος, nisi apud autores Attica dialecto vtentes, est insolens. At quid erat causæ cur ab illa voce attica Apostolus magis abhorreret quàm autor libri 2. Maccab. qui ea voce bis vsus est, semel cap. 1. 16. & iterum cap. 4. 41.? Sit tamen ita. Cur igitur vt dialectum atticum vitaret & seruaret genus vocis non dixit σὺ εἶ πέτρα, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, vel σὺ εἶ λίθος, καὶ ἐπὶ τούτῳ τῷ λίθῳ? Non patiebantur leges græcæ linguæ, vt rei nomen absq; aliqua inflexione personæ imponeretur. At id aliæ linguæ, Hebræa, Syriaca, &c. patiebantur quarum idiotismos non refugiunt Apostoli græcè scribentes. Itaque neglectis illis linguę græcæ legibus occurrunt in Nouo Testamento græcis nominibus appellatiuis sinę

Math 16.

vlla mutatione insigniti Viri quidam, vt στέφανος *corona* Act. 6. 8. στάχυς *spica* Rom. 16. 9. νάρκισσος *narcissus* flos Rom. 16. 11. καρπὸς *fructus* 2. Tim. 4. 13. βλάστος *germen* Act. 12. 20. Nec-non mulieres, vt δορκὰς *capra syluestris* Act. 9. 39. ῥόδη *rosa* Act. 12. 13. χλόη *herba virens*, 1. Cor. 1. 11. εὐοδία *bonus odor* Phil. 4. 2. εὐτυχία *bona victoria* 2. Tim. 1. 5. &c. Sed tamen vt valeat illa ratio, cur igitur saltem non dixit Apostolus ἐπὶ σοὶ τῇ πέτρᾳ? cur pronomen secundæ personæ mutauit in pronomen demonstratiuum tertiæ? imò cur non dixit simpliciter καὶ ἐπὶ σοὶ? quid opus fuit addere τῇ πέτρᾳ? stat igitur firma hæc prima ratio.

XX. Secunda ratio petitur ab ipsa veritate sententiæ Christi, quæ non patitur Petrum per Petram intelligi. Non enim super Petrum Christus ædificauit Ecclesiam suam, ædificatus fuit ipse Petrus, ædificati sunt alij Apostoli & discipuli à Christo, nec tamen super Petrum: Ipse Petrus tanquam minister Christi ædificauit, non tamen super semetipsum, ædificauit Paulus, ædificauerunt alij Apostoli, ædificant hodie pastores fideles sed super Christum, non super Petrum. Christus quatenus ædificat petra non dicitur, sed quatenus super eo ædificatur, quis enim vnquam architectum aut structorem lapidem vel petram vel domus alicuius fundamentum appellauit, propterea quod is fundamentum illius domus jecit, aut lapides posuit vt eam ædificaret? separanda est relatio Architecti vel ædificantis quatenus est talis à relatione petræ, fundamenti, lapidis. Lapis non ædificat sed ædificatur Petra super quam ædificatur qua talis non ædificat, sed lapides qui ædificantur suscipit, sustinet, eorumque ædificationem passiuam & vnionem terminat. Cum igitur Petrus spectari possit duobus modis, vt ædificans & vt ædificatus, lapidis autem sit ædificari non verò ædificare, satius est existimare lapidis seu petri nomen illi quatenus ædificatus est potius tributum fuisse à Christo, quàm quatenus ædificauit: ædificatus est autem vt electus aut fidelis, ædificauit verò vt pastor & Apostolus; Itaque fideles quatenus ædificantur omnes lapidum elogio ornantur & quidem ab ipso Petro. Pastores verò aut Apostoli qua tales nunquam. Et sunt multi architecti multi ædificantes partim coordinati partim subordinati inter se, sed vnica est Petra, vnicum fundamentum totius ædificii, quod, si Paulum audis, Petrus non est sed Christus. *Fundamentum*, inquit, *aliud nemo potest ponere, præter id quod po-*

1. Petr. 2. 5.

1. Cor. 3. 11.

situm est, quod est Iesus Christus. Id *de primario ædificij istius fundamento intelligendum est*, inquit VVolkelius. Sed si duo ponuntur fundamenta vnum primarium alterum secundarium, cur non addetur & tertium & quartum & sic deinceps. Id enim mihi demum fundamentum appellandum videtur, quod in ædificio imum ac primum est, cuique ædificium quamdiu stat innititur. At dicuntur fideles *ædificati super fundamento prophetarum & Apostolorum* Eph. 2. 19. Fundamentum intelligitur, non quod ipsi Prophetæ & Apostoli fuerunt, sed quod illi posuerunt, & super quo semetipsos & alios fideles ædificauerunt. At Apoc. 21. 14. *Murus vrbis* dicitur, *habere fundamenta duodecim, ijsque inscripta nomina duodecim Apostolorum Agni.* Certè, & *duodecim* etiam *portas, eisque inscripta nomina duodecim tribuum Israelis.* Vt igitur duodecim tribus Israëlis non sunt duodecim illæ portæ, sic nec duodecim Apostoli sunt duodecim illa fundamenta, vnica est porta Christus Ioh. 10. 7. 9. & 14. 6. sed per quam vndiquaque patet commodissimus ad vitam & ad Patrem accessus. Vnicum etiam est fundamentum idem Christus, sed à duodecim Apostolis separatim diuersis in locis ædificantibus positum ita, vt cuiusque Apostoli opus proprium & laus operi consentanea in eo jaciendo diluceat. Enimuerò fundamento nomen fundamenti non solet inscribi, sed eius potius qui fundamentum iacit: hic autem qua talis vt fundamentum dicatur, nisi me animus fallit, alienum est à consuetudine Scripturæ, & omnium hominum. Ipse Christus dicendo *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* ædificantem, ædificium, & petram per oppositas relationes distinguit, ac proinde ædificans qua talis nec est ædificium quod ædificat, nec petra super quam ædificat.

XXI. Tertia ratio inde oritur, quod totius Ecclesiæ & singularum eius partium firmitas & soliditas pendet à Petra, cui inædificata est. Non pendet autem à Petro sed à Christo. Non igitur Petrus sed Christus est petra cui inædificata est. Pendere firmitatem & constantiam ædificij ex petra, super qua extructum est, ipse Christus docet Math. 7. 25. *Decidit*, inquit, *nimbus, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram*: nec-non hoc loco cum addit, *Et portæ inferorum non præualebunt aduersus eam.* Vnde enim ista firmitas, nisi à fundamento, quia non super arenam,

sed

sed super Petram ædificata est ? quale enim est fundamentum tale est ædificium prudenter ædificatum. Hæc autem firmitas, & toti Ecclesiæ, & singulis eius membris conuenit, id est, omnibus verè fidelibus, propterea quod omnes super Petram ædificati per fidem viuam ei immutabili, mundi, Satanæ, mortis, sepulchri victrici immediatè adhærent. Vt igitur promissa hæc firmitas ad omnes verè fideles pertinet, ne Petro quidem excepto, sic Ecclesia, quam erat Christus ædificaturus, omnes fideles complectitur, etiam Petrum ipsum, qui ipse quoque à Petra super quam ædificatus fuit suam soliditatem & à morte resurrectionem accepit. Iam verò firmitatem illam fidelium, quos neque mors, neque sepulchrum, neque Diabolus vincere potest, non à Petro, sed à Christo, cui innituntur, proficisci, non puto opus esse vt probem.

XXII. Quid igitur, inquies, Christus reponit Petro hoc loco ? & cur Petram dicendo ad Petri nomen alludit ? Petrus ex interrogatis discipulis dignitatem personæ & muneris Christi, quam omnes fideles confiteri tenentur, primus erat confessus: Christus vicissim dignitatem personæ & muneris, alijs etiam Apostolis prædestinatis communem, Petro primo pollicetur, & veluti applicat: Et dignitatem quidem personæ priùs vers. 18. Deinde muneris vers. 19. Tu dixisti mihi me esse Filium Dei, Et ego dico tibi quod tu es beneficio meo Petrus, lapis viuus, & quod super me, qui sum Petra solidissima, ædificabo Ecclesiam meam vsque adeo firmiter, vt ne portæ quidem inferorum ei præualere possint, quo non obscurè innuit Petrum vnum fore ex lapidibus, ex quibus indissolubile illud & magnificentissimum templum erat ædificandum. Quod beneficium omnium maximum auditoribus Euangelij promittitur quidem, sed promissione generali & sub conditione fidei & perseuerantiæ, Petro verò primo & soli singulariter à Christo promittitur absolutè hoc loco: qua prærogatiua nulla potuit esse optabilior. Eius autem veluti tessera Petri nomen fuit illi à Christo impositum, aduersus ipsius naturalem inconstantiam, ob quam paulo pòst audiit à Christo Satan, & qua factum est, vt ter Christum, & quidem se deuouendo & iurando, abnegauerit, magnum solamen. In se igitur Christus dicendo *hanc Petram*, vti dicendo *hoc templum* Ioh. 2. 19. digitum intendebat: Erat enim tam visibilis quam Petrus, quamuis

non qua Petra, aut templum, vt nec iste qua Petrus, hoc est, lapis.

XXIII. Hanc expositionem ipse Petrus tradidisse videtur prioris Ep. suæ cap. 2. vers. 3. *Si tamen gustastis quam dulcis est Dominus, ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum: & ipsi tanquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis*, &c. docet enim fideles esse lapides viuos: docet eos, non super se Petrum, sed super Christum lapidem viuum ædificari. Qui locus ad rem quam agimus non parum facit: verba enim, *Si tamen gustastis quoniam suauis est Dominus*, transcripsit Apostolus è Ps. 34. vers. 8. vbi *Dominus* hebraicè est *Iehouah*. Docet igitur Petrus Christum esse Iehouah. Meritò autem locum illum de Christo exponit: Is enim semetipsum gustandum & videndum quàm sit suauis præbet immediatè. Edimus eius carnem, bibimus eius sanguinem. Eoque cibo & potu nihil est suauius. Si Patrem gustamus, non extra Christum separatim, sed gustando Christum eum gustamus, videndo Christum eum videmus.

XXIV. Adde quod si Pater est vna Petra & Christus altera, duæ sunt Petræ fundamentales, duo fundamenta Ecclesiæ, quomodo igitur Paulus clamat, *poni non posse aliud fundamentum præter id quod positum est, quod est Iesus Christus*? Non potest VVolkelius confugere ad distinctionem fundamenti primarij & secundarii. Fassus enim est Paulum loqui de fundamento primario. Et, si potest aliud poni, siue dicatur esse secundarium, siue primarium, verum non est quod dicit Apostolus, aliud non posse poni. Quid quod Christus, non modò spectatur vt Ecclesiæ fundamentum vnicum, sed etiam vt tenens in fundamento locum imum & primum? dicitur enim lapis ἀκρογωνιαῖος, & caput anguli. Quis locus relinquitur Deo Patri, si is quoque Petra est à Christo diuersa? Aut igitur is Petra non est, aut saltem Petra non est à Christo diuersa.

XXV. Hic notandum est petram super quam ædificatur Ecclesia duobus modis accipi posse, vno propriè, pro rupe immobili: altero minus propriè, pro lapide illo qui primus ab ædificante ponitur, quique est pars prima & ima totius ædificij. Vtroque modo Christus dicitur Petra: posteriore quidem Matth. 21. 42. & Eph. 2. 20. priore verò, ne longè abeam, loco citato Matth. 16. 18. *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* In eo enim

petra conſideratur non vt pars ædificij, ſed vt diſtinguitur a toto ædificio, non tanquam ab ædificante ponenda, atque aliquo modo ædificanda, ſed tanquam toti ædificationi ſubſtrata, non tanquam firmitatem aliunde accipiens, ſed tanquam eam toti ædificio impertiens. Pendet autem ædificij firmitas, non tam a primo & imo eius lapide quàm a rupe ſeu petra, cui primus ille lapis adhæret. Vt vt enim ſolidus ſit in ſe primus lapis, tamen ſi ſuper arenam ædificatur, non eſt ſtabile ædificium. Itaque tacita ſit hoc loco oppoſitio inter petram & arenam: opponitur autem petra arenæ, quatenus rupem propriè ſignificat, non autem quatenus impropriè pro lapide vſurpatur: quemadmodum rurſus *hæc* petra alij omni petræ vel rupi tacité opponitur, tanquam quæ ſola poſſit tribuere ædificio eiuſmodi firmitatem, cui ne portæ quidem inferorum poſſint præualere. Id vidit Cardinalis Perronius. Itaque petram vertit gallicè *Roc, Rocher*, quod nomen ſpiritualiter intellectum, et Scriptura, vt dixi, ſoli Deo vendicat, & quomodo Petro tribui poſſit ab ipſo Chriſto ædificato equidem non intelligo. Petra enim eo ſenſu accepta ſuper quam extruitur ædificium, etiam ipſum lapidem ἀκρογωνιαῖον ſuſtinet. Itaque Chriſtus non eſſet lapis ille qui eſt prima pars Eccleſiæ, ſi homo non eſſet; nec rupes ſeu petra ſuper quam ædificatur Eccleſia, ſi Deus non eſſet. Ea in re, vt in alijs omnibus, verum eſſe deprehenditur quod ait Apoſtolus, Chriſtum *omnia eſſe in omnibus.*

XXVI. Aliud argumentum nobis dant voces *offenſionis & ſcandali duabus domibus Iſraëlis.* Significant enim corporis populi illius, vt loquitur Apoſtolus Rom. 11. παράπτωμα & ἀπιστίαν, atque adeò ἀποβολὴν & ἐκκοπὴν, quæ tum accidit cum, (vt idem Apoſtolus teſtatur loco laudato Rom. 9. 32.) *offenderunt in lapidem offenſionis*, hoc eſt, in Chriſtum. Id negabunt Aduerſarij: probandum eſt igitur, non autoritate Apoſtoli, (Hoc enim jam præſtitimus octo primis theſibus huius diſputationis) ſed argumentis ductis ab ipſo textu Eſaiæ. Primùm non ſignificatur illis verbis ruina temporalis ſeu abductio tribus Iudæ & Benjamin in captiuitatem Babylonicam, vti velle videtur Socinus. Nam, & nihil eſt in antecedentibus & ſequentibus verſibus quod eò ſpectet: Et in ea captiuitate domus Iudæ perſeuerauit populus Dei eſſe, ac ſtetit in diuino fœdere. Hic autem intelligitur lapſus &

ruina ſpiritualis. Opponuntur enim duæ domus Iſraëlis illis qui ſanctificant Dominum, hoc eſt, fidelibus: ſanctificatur enim per fidem, vt patet ex Num. 20. 12. Innuitur igitur populi Iſraëlitici incredulitas & rebellio. Deinde opponitur prædictio, *erit in lapidem offenſionis & Petram ſcandali*, promiſſioni, *erit in Sanctuarium*. Quàm igitur iſta de bono ſpirituali, tàm illa de malo ſpirituali intelligenda videtur. Præterea captiuitas temporalis communis fuit pijs & impijs, ſanctificantibus Dominum & eis qui Dominum non ſanctificabant, cum tamen Dominus non fuerit in lapidem offenſionis & Petram ſcandali niſi illis qui ipſum non ſanctificarunt. Captiuitas etiam illa temporalis Iudæos omnes nullo excepto complexa eſt: ſi qui relicti ſunt in Iudæa, illi in Ægiptum deſcenderunt, inque captiuitatem deteriorem inciderũt: lapſione verò & ruina quę hoc loco deſcribitur, ita populus Iudaicus & nominatim incolæ Hieruſalem implicandi erant, vt ea ad diſcipulos Domini non pertineret, vt patet ex verſibus ſequentibus.

XXVII. Denique infidelitas & rebellio populi Iudaici intelligitur quam ſequuta eſt reiectio a fœdere ſeparatioque Eccleſiæ ab illius populi corpore: ſequũtur enim hæc verba ℣. 16. *liga teſtimonium & ſigna legem in diſcipulis meis*, quibus innuitur teſtimonium ſeu legem atque adeo fœdus diuinum non amplius ad populum illum pertinere, ſed proprium eſſe eorum, qui a populo illo ſeceſſionem fecerunt, Domini diſcipulorum, hoc eſt, Chriſtianorum. Itaque continuò Chriſtus ſub alia relatione cum filijs ac diſcipulis ſuis Eccleſiam a Synagoga diuerſam conſtituentibus inducitur fidem ſuam profitẽs his verbis, *Et expectabo Dominum qui abſcondit faciem ſuam à Domo Iacob*, (quibus verbis rurſus populi excæcatio & reiectio innuitur) ſeſeq; cum filijs & diſcipulis ſuis, ſeorſum ab illo populo in vnam ſocietatem religioſam coactis, cognoſcendũ oſtendens ac dicens, *Ecce ego & pueri quos dedit mihi Dominus* &c. Dixi *ſub alia relatione*. Fuit enim lapis offenſionis, & petra ſcandali, & in laqueum et tendiculam incolis Hieruſalem potiſſimum ratione diuinitatis ſuæ, quam cum profiteretur, pro blaſphemo habitus eſt, & condemnatus in illa vrbe. Rurſus ratione humanitatis docuit verbo & exemplo, fuitque inſtar doctoris ac patris familias diſcipulos ſuos ac filios ad ſe in vnum congregantis. Id quod certo, eoque breui, temporis ſpatio ab eo ita

factum est in diebus carnis eius, vt tamen pertineat ad fideles omnes vsque ad consummationen seculi. Vtrumque illud, quoniam eodem tempore factum est, consentaneum fuit vt eadem contextus serie prædiceretur, atque ea ratione Emmanuel describeretur. Ne tamen qui dicit *Expectabo Dominum* &c. alius videretur a Domino qui dicebat *liga testimonium* &c, duas illas sententias Propheta copulauit interposita coniunctione, *&*, continuatum ab eodem loquente sermonem, non autem ab alio inchoatum, non obscurè significante, quem ipsum sermonem Christi hominis versibus 17. & 18. comprehensum copulat etiam per eandem coniunctionem cum verbis sequentis versiculi, *Et cum dixerint vobis &c*, quæ sunt manifesta continuatio inchoatæ ℣. 11. concionis Domini suos discipulos docentis. Ex quo intelligitur eundem esse Deum & hominem, et modo vt Deum, modo vt hominem decet, loqui.

XXVIII. Ex his omnibus perspicuum est Lapidem offensionis & Petram scandali esse non propriè Patrem, sed eius Filium Dominum nostrum. Offendit enim in lapidem seu petram, non qui petram videt & agnoscit, sed qui eam non videt, aut si aliquomodo videt, pro petra non habet. Cum igitur Christus profiteretur se esse Petram, id est, Deum, Dei filium, Iudæi præ cæcitate & duritie cordis eum non agnoscentes, ac temerario quodam zelo Dei, qui pater est Christi, abrepti totis viribus in eum irruerunt & confracti corruerunt. Incurrerunt etiam ijdem in Christi Apostolos & discipulos, qui tamen propterea lapides offensionis vel petræ scandali nunquam dicuntur. Causa enim per accidens offensionis non erat in personis Apostolorum & discipulorum Christi, sed in solo Christo, quem per Apostolos prædicatum & oblatum nolebant agnoscere. Deum etiam ante aduentum Christi peccatis suis ad iram prouocarunt frequenter, Is tamen propterea petra scandali & lapis offensionis dici non potuit. Non enim in persona dei Patris hæsit causa per accidens scandali. Etenim de se nihil dixit, quod populo illi absurdum videretur vsquè adeò, vt eum non haberet pro Deo: tantùm eius seruos & prophetas, pro veris Dei prophetis, cum ingrata docuerunt, habere noluit. In ipsam personam Dei Patris nunquam ausu nefando incurrit. In solam Filij personam fecit impetum, eamque agnoscere noluit, & persecutus est apertè, atque ita ad eum solum tanquam ad lapi-

dem seu petram scandali offendit.

XXIX. His omnibus addi potest typus illustris. Constat Petram ex qua percussa aquæ manarunt ad restinguendam sitim populi sitientis in deserto typum Christi fuisse. Id enim & Paulus disertis verbis docet 1. Cor. 10. 4. & ipse Christus innuit Ioh. 7. 37. & res ipsa abundè testatur. Peto igitur quorsum Dominus non dixit simpliciter Exod. 17. 6. *percuties Petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus*, sed præmisit hæc verba, *Ecce ego sto ante te, ibi, super Petra, in Horeb, & percuties Petram*, &c. Id enim non est nullo consilio dictum & factum: potuit enim hoc totum omitti, potuit dixisse tantùm, Ego ibi ero, sed his non contentus verba accumulat singula per se digna attentione, Ecce, ego stabo, vel potius, sto, coram te, ibi, super Petra, in Horeb. Vt videri possit Moses percutiendo Petram, ipsum Dominum quodammodo percussisse stantem coram ipso percutiente, ibi super Petra quam percutiebat, an esset in medio ipsorum Dominus populo ignorante. Sic quoad eius fieri potuit adumbratum est veram Petram, ex qua in consummatione seculorum percussa aquæ manarunt salientes in vitam æternam, ipsum Dominum seu Iehouah esse, quamuis nihil nisi vilis quidam lapis Iudæis percutientibus visus fuerit.

XXXI. Vnum adhuc addam, *maledicet* inquit Propheta hoc capite V. 21. *Regi suo & Deo suo*. Cui Deo suo? Idolo? dixisset igitur potius idolo suo: nunquam enim Deus populi Iudaici cum dicitur, idolum intelligitur. Adde quod sic describitur summa populi illius impietas, non autem resipiscentia (qua nemo inducitur vt maledicat regi suo: hoc enim lege prohibitum est) nam anté & pòst quæ commemorantut mala sunt. Si non intelligitur idolum, intelligitur Iehouah. Hoc enim nomen est Dei Israelis. Atqui intelligitur Christus. Is igitur est Deus Israëlis, est Iehouah. Probo Christum intelligi. Intelligitur aut Pater aut Filius. Non Pater præcisè, nunquam enim legitur populus ille ei maledixisse. Etiam prolapsis in Idololatriam, etiam vicinis gentibus, etiam reiecto vsque a tot seculis populo illi nomen Iehouah fuit estque sacrosanctum. Sed maledixit horribiliter, atque etiamnum maledicit Deo suo Dei sui Filio. Id etiam colligitur ex regis nomine: nam cui regi suo populus ille post editum istud vaticinium maledixisse legitur? Præter vnum Christum nullus comparet in

Scriptura, Nullus etiam præter eum idem simul propriè rex est & Deus Iudæorum. Nisi autem idem vtroque illo Regis & Dei nomine intelligeretur, postpositum fuisset pro more Scripturæ Regis nomen nomini Dei.

XXXII. Accedit quod describitur illis verbis vel Rex Assyriorũ, cuius mentio facta est ꝟ. 7. & 8. vel populus Iudaicus de quo agebatur in versibus proximis, suadet proximitas vt hic potius intelligatur: suadet hoc ipsum connexio huius descriptionis cum versibus immediatè præcedentibus & sequentibus: necnon hæc ipsa verba, *Regi suo, Deo suo*: Nam maledixit quidem Deo Israelis Rex Assyriorum: sed abhorret a stilo Scripturæ Veteris Testamenti, vt Deus Israelis dicatur Rex & Deus gentis aut regis a republica Israelis origine & religione prorsus alieni. Describitur ergo populus Iudaicus incredulus, qualis fuit tempore aduentus Christi. Describitur enim populus *cui non fuit matutina lux* ꝟ. 20. Intelligitur autem sine dubio lux Christi, solis justitiæ, lucis mundi: quis enim alius oriens diem mundo intulit? Sic autem lux venit in mundum, seseque omnibus promiscué ostendit, vt tamen Iudæis diligentibus magis tenebras quã lucem non fuerit aurora: lucem enim orientem non receperunt. *Transibit*, inquit Propheta, *per eam*, Si terram intelligit, notat irrequietum animum mare terramque circumeuntium, vt faciant vnum proselytum, & vt lucem, quominus ad alios perueniat, impediant. Si legem in proximo antecedente versu nominatam, significat populum illum legem vel transgressurum, vel lecturum & auditurum transeundo per eam, non immorando &, vt ita dicam, habitando in ea, quemadmodum is facit, qui reiectis humanis traditionibus eam habet pro fundo suo hæreditario, ac in ea cum maximo gaudio meditatur die & nocte. Addit *induratus*, id quod Euangelium passim testatur, *& famelicus*, non fame justitiæ quæ est ex fide, sed, justitiæ ex operibus, *Et cum Esurierit irascetur, & maledicet regi suo & Deo suo*, quo fuerit vehementior ista fames, eo magis intumescet atque efferuescet irâ aduersus Euangelium, vsque adeo vt regem suum & deum suum, sese ei tam familiariter ostendentem, ae vitam æternam offerentem maledictis & conuicijs prosequatur: & tamen *sursum aspiciet*, quasi culturus deum, ab eoque salutem expectaturus, sed *terram intuebitur*, terrena quæret, terrena sapiet. vbicunque autem erit, quocunque se vertet, quacunque

Matth. 23. 15.

Psl. 119. 111. Psl. 1. 2. Rom. 9. 31. & 11. 7.

ſpe ſe lætabit, *Ecce afflictio, tenebræ, obſcuritas, anguſtia, caligo, inquietudo.* Non potuit conuenientius deſcribi interna conſtitutio animi Iudæorum rebellium, præſertim ſcribarum, phari-
1. Cor. ſæorum, & vt loquitur Apoſtolus, τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου,
2. 6. 8. qui *crucifixerunt Dominum gloriæ. Sed,* addit, *non erit obſcuritas*
Ioh. 1. *ei cui fuit afflictio*: orietur enim Euangelium pauperibus, contem-
47. & 7. ptis, paruulis, confractis corde peccatoribus, *Quemadmodum*
52. *primo tempore contemptibilis fuit terra Zabulon, & terra Nephtali, ſic vltimo tempore eam glorificabit. via maris, trans Iordanem, Galilææ gentium, populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis.* Sic enim Prophetæ verba reddi poſſe nemo, opinor, inficiabitur, debere autem cum Matthæus innuere, tum oppoſitio inter tempus primum & vltimum & verba הקל & הכביד ſuadere videtur, euentu
Math. aperte conſentiente. Ex quibus omnibus apparet Prophetam lo-
11 23. qui de tempore aduentus Chriſti, & inchoatæ prædicationis Euan-
Matth. gelij.
4. 15.



DISPVTATIO

DISPVTATIO QVARTA

De Arg. IV. Ex Esaiæ Cap. xxxxv. ỿ. 23. *Per memetipsum iuraui, &c. quod mihi curuabitur omne genu*, citato Rom. 14. 10.

I. IDem Esaias Dominum inducit sic loquentem & iurantem cap. 45. vers. 22. *Respicite ad me, & salui eritis omnes fines terræ: quia ego Deus, & non est alius. Per memetipsum iuraui, Egressum est ex ore meo iustitiæ verbum, & non reuertetur, quod mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua.* Eum, qui sic loquitur & iurat, Deum Israëlis esse diuina essentia præditum ambigit nemo. Eundem autem esse Christum non obscurè significat Apostolus Rom. 14. 10. his verbis, *Omnes enim sistemur tribunali Christi, Scriptum est enim, viuo ego, dicit Dominus, quod mihi sese flectet omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Itaque vnusquisque nostrum de se rationem reddet Deo.*

II. Respondet Socinus, *Hoc argumentum constare ex quatuor terminis.* Nam inquit, *in propositione medius terminus reuera est, Omne genu alicui curuari, in assumptione verò, Omnes stare ante tribunal alicuius. Atqui aliud est curuare genua alicui, aliud verò, ante tribunal eius stare, & potest quis vno & eodem tempore vni curuare genua, & ante tribunal alterius stare, veluti si Rex aliquis, cui præsenti genua omnes flectere semper debeant, præsens esse velit, cum coram tribunali Iudicis à se delegati causæ iudicantur; annon qui venient, vt ab isto delegato iudice causæ suæ iudicentur vno & eodem tempore & ante iudicis istius tribunal stabunt, id est, apparebunt, seseque tribunali illius subijcient, & Regi præsenti genua curuabunt? Nonne ex eo, quod stant ante tribunal iudicis istius,* Refut. Resp. I.

consequetur necessariò, quia Rex perpetuò sit præsens, vt Regi genua flectant? Nec tamen vlla prorsus ratione inde sequetur, iudicem istum esse vnum & eundem cum ipso Rege.

III. Primùm hac responsione Socinus per latus nostrum ipsum Apostolum ferit. Is enim ex propositione Domini, *viuo ego, quod mihi curuabitur omne genu*, infert hanc conclusionem, Ergo *Stabimus* (vel potius, *Sistemur*) *omnes ante tribunal Christi.* Itaque in enthymemate Apostoli, Socini iudicio, sunt quatuor termini: curuare genua Domino in propositione, sisti tribunali Christi in conclusione, nullusque terminus est in conclusione, qui fuerit in præmissa expressa. Sed recidit hic ictus in Socinum illæsis Apostolo & nobis. Quamuis enim in genere curuare genua alicui, & sisti ad tribunal alicuius admodum differant, tamen cum de supremo totius mundi Iudice & Domino agitur, omne genu illi curuari, & omnem personam creatam illius tribunali sisti, phrases sunt reciprocæ, atque æquipollentes. Christum autem esse totius mundi Iudicem & Dominum omnis Christianus confitetur, alioqui non dignus Christiani nomine. Supremum autem esse Iudicem & Dominum credit quisquis apud se perpendit, nullam ab eo prouocationem dari, eum habere omnem potestatem in cœlo & in terra, (qui autem dicit omnem, nullam excludit) Eum esse hæredem omnium. Tantum autem est ius Hæredis quantum fuit illius cuius est hæres. Nos quidem etiam hæredes sumus, sed Christi beneficio, cuius membra suo modo participant id qnod est capitis.

IV. Deinde Socinus sua ista responsione Christo facit iniuriam. Perinde enim loquitur, ac si ipsi Christo curuandum non esset omne genu, cum tamen Apostolus clamet, *in nomine Iesu flectendum esse omne genu cœlestium, & terrestrium & infernorum.*
Phil. 2. 10. Itaque claudicat omni ex parte Regis & delegati à Rege iudicis quam subijcit, similitudo. Primò iudex à Rege delegatus non est Rex, non est Regi æqualis, datur ab eo prouocatio ad Regem, non debetur ei adoratio. Contrà hic res habet. Christus enim Rex est, Deus est, Deo æqualis, Iudex supremus, cui tanquam suo Domino, Regi, Deo, debent genua flectere omnes Angeli
Heb. 1. 6. & homines, atque data opera Pater noluit per suam ipsius perso-
Ioh. 5. 22. nam iudicem agere: sed *dedit omne iudicium Filio, vt omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem, qui non honorat Filium, non ho-*

norat Patrem. Secundò Iudici delegato non flectit genũa quiſquis ſe illius tribunali ſiſtit, in quo valdè diſtat à Chriſto, cui, ſi vnquã omne genu flectetur, (flectetur autem certè tandem aliquando) flectetur profectò ei ſedẽti Iudici in throno gloriæ ſuæ. Tertiò, Rex non eſt in iudice delegato, nec iudex in Rege: ſed Rex eſt perſona ſeparata à Iudice, & iudex à Rege: præſens eſt Rex in propria perſona, neque idem eſt Regis thronus & Iudicis, eadem gloria, ijdem miniſtri, idem regnum, iidem ſubditi, &c. vt hîc cernitur. Nam Pater eſt in Filio & Filius in Patre: Pater non oſtenditur, non videtur, niſi quatenus oſtenditur & videtur Filius: Ioh. 14. 9. 10.
Idemque vtriuſque eſt thronus, idem regnum, iidem ſubditi, iidem miniſtri, eadem gloria, idem honor, vno verbo omnia quæcunque ſunt Patris ſunt etiam Filij, & vice verſa. Itaque non Ioh. 16. 15. & 17. 10.
apparebit in Iudicio Pater in propria, vt loquuntur, perſona nec videbitur niſi quia videbitur Filius.

V. *Applicat hoc exemplum* Socinus *ad rem noſtram. Certum eſt*, inquit, *Chriſtum in munere mundi iudicandi eſſe iudicem à Deo delegatum: per quem videlicet, Deus mundum iudicare conſtituerit. Id enim expreſſe affirmat Paulus Act. 17. 31.* Quantum interſit inter iudicem delegatum & Chriſtum iam oſtendimus. Nec nobis obeſt locus Act. 17. 31. Decreuit enim Deus omnia quęcunque facit, & quomodo ea facit. Cum igitur tres ſint, ſecundum Scripturam & fidem noſtram, perſonæ diuinæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quæ potuerunt mundum iudicare, quod eæ partes potius perſonæ Filij quàm perſonæ Patris aut Spiritus Sancti ſint attributæ à diuino conſilio & beneplacito proficiſci oportuit. Pergit Socinus. *Hinc ſequitur, quod cum Chriſtus in tribunali ſuo ſedebit, mundum iudicaturus, ibi Dei maieſtas vehementiſſimè & clariſſimè, immò magis quàm vnquam antea, elucebit: & conſequenter ab ijs, qui ante iſtud tribunal ſtabunt, agnoſcetur & approbabitur. Itaque iſtis Deus, vt mortalibus eſſe poteſt, planè erit præſens.* Sunt quidem iſta vera, ſed nihil obſunt argumento noſtro. Illa enim Dei maieſtas quæ tunc elucebit, erit eadem maieſtas Chriſti, & elucebit non extra Chriſtum in perſona Patris, ſed in perſona Chriſti; & videbitur agnoſceturq; non extra Chriſtum, ſed in Chriſto; & Deus erit præſens, non diuerſus aut ſeparatus à Chriſto, ſed quia Chriſtus erit præſens. Eadem erit Dei & Chriſti præſentia. Videre Deum & videre Chriſtum idem erunt.

Itaque venturū & apparitucum Filium Scriptura Noui Testamenti sæpè docet & inculcat: venturum & appariturum Patrem, nunquam. Et, si Philippo dicenti *Domine, ostende nobis Patrem,* Christus respondit *tanto tempore vobiscum sum, & non cognouisti me? Philippe, qui vidit me vidit & Patrem. Et quomodo tu dicis ostende nobis Patrem?* Et tamen Christus tunc apparebat in carne mortali nostræ per omnia, si peccatum excipias, simili, quid ei diceret, qui cum ipsum gloria & Majestate coronatum vidisset, sibi tamen Patrem ostendi postularet? Nihil profectò est, quo se Pater hominibus ostendat excellentius, clarius, magnificen-
Heb. 1. tius, quàm Filius, qui est ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς
3. ὑποστάσεως αὐτοῦ.

VI. Addit Socinus, *Præsente autem Deo, genua ipsi flectenda esse, nemo est qui neget. Ergo qui ante Christi tribunal stabunt, genua Deo flectent. Stabunt autem omnes. Omne igitur genu se Deo flectet tunc, cum ante Christi tribunal stabitur. Atque hoc pacto verba illa ipsius Dei apud Esaiam, de curuando sibi omni genu, ad effectum perducentur. Vides, conclusum esse id ipsum quod Paulus concludere voluit, idque ea ratione, quæ in verbis ipsius expressa est: nec tamen necesse fuisse statuere, quod Christus sit ipse Deus.* Ludit hoc loco lectorem suum Socinus. Sic enim ratiocinando neque concludit id ipsum quod Paulus concludere voluit, neque ea ratione quæ in verbis ipsius expressa est, Sed opposita planè. Inuertit enim argumentationem Apostoli, atque vtitur conclusione Apostoli tanquam medio ad id concludendum, quod in argumento Apostoli tenet medij locum. Quod Apostolus vult concludere habetur vers. 10. his verbis, *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi.* Medium cuius vi id vult concludere habetur vers. 11. *Scriptum est enim, viuo ego, dicit Dominus, quod mihi curuabitur omne genu.* Concludit nos omnes sistendos esse tribunali Christi, quia omne genu Domino curuabitur. Contrà Socinus concludit omne genu Deo curuandum esse, quia omnes sistemur tribunali Christi. Hoc non est exponere argumentationem Apostoli, sed conuertere faciendo ex præmissa conclusionem, & ex conclusione præmissam. Ita Socinus inducit Apostolum sumentem, aut, vt vulgò loquuntur, præsupponentem id quod probare instituit, & contra probantem id quod sumit, tanquam argumentum seu medium, ex Propheta Esaia: quæ stupenda est Socini

ἀβλεψία, ad quam tamen altera accessit. Inducit enim Apostolum præmissa angustiore vtentem ad probandam conclusionem multò latius patentem. Id quod fieri vetant Logici. Nam in illa propositione Apostoli, *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi*, nota quantitatis, *omnes*, de Christianorum vniuersitate intelligitur, vt patet ex antecedentibus & scopo Apostoli, & vers. 12. In popositione verò Domini, *mihi curuabitur omne genu*, vox, *omne*, de omni persona creata angelica & humana, nulla excepta, intelligitur. Itaque ex nostra omnium coram tribunali Christi apparitione non probat Apostolus, omne genu curuatum iri Deo, (vitiosa enim esset argumentatio) sed ex eo quod curuabitur omne genu Domino probat omnes nos, hoc est, Christianos staturos ante tribunal Christi, quæ optima est argumentatio, quod dictum est de genere ad speciem applicans.

VII. His igitur duobus fœdis vitijs laborat expositio Sociniana argumenti Apostolici, & tamen vix aliud concludere potest, quàm quod conclusum volumus. Sic enim habet, cum Christus in tribunali suo sedebit mundum Iudicaturus, Deus illis qui ante eius tribunal stabunt planè erit præsens. Præsente autem Deo genua ipsi flectenda esse, nemo est qui neget. Ergo qui ante Christi tribunal stabunt genua Deo flectent, stabunt autem omnes. Omne igitur genu se Deo flectet. Propositio, præsente Deo genua ipsi flectenda esse, eget distinctione. Est enim Deus præsens inuisibiliter cum non apparet, & est præsens visibiliter cum apparet creaturæ. Verba etiam, genua Deo flectenda esse, ambigua sunt: nam, vel officium creaturæ, siue ab ea omitti possit, siue non possit, significant, vel necessarium atque ineuitabilem euentum. Priore significatu Deo, seu visibiliter seu inuisibiliter præsens sit, genua flectenda esse nemo negat, sed ea significatio non est huius loci. Verbis enim illis, *Viuo ego, dicit Dominus, quod mihi curuabitur omne genu*, non tam officium creaturæ significatur, quàm euentus prorsus necessarius & ineuitabilis. Intelligitur enim omne genu, etiam impiorum, etiam diabolorum, nullo excepto, vt manifestum est. Posteriore significatione Deo præsente curuandum est ipsi omne genu, non quoquo modo præsente, sed quemadmodum decet summum mundi Iudicem, cum eius tribunali omnis creatura sistitur. Quis autem tum præsens erit eo modo? quis visibiliter aderit? quis sedebit pro tribu-

nali? Quis? nisi is qui cum venerit in majestate sua, & omnes sancti Angeli cum eo, sedebit in solio majestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes? Hic enim est ille Dominus à cuius facie, & à gloria virtutis eius luent pœnas æterni supplicij omnes increduli & rebelles, cum venerit vt glorificetur in sanctis suis, & admirandus fiat in omnibus credentibus. Ex eo igitur quod omnes cogentur se sistere coram tribunali supremo magni illius Dei, qui est Rex regum & Dominus dominantium, sequitur necessariò omnes illi genua flexuros. Si Iosepho, insigni Christi typo, in secundo curru Pharaonis sedente, *præco clamabat, vt omnes genua coram eo flecterent*, (sic enim habet vetus versio) quantò verissimilius est, Christo sedente in throno majestatis suæ ad iudicandum viuos & mortuos, proclamatum iri, *Incuruate vos ei omnes dij*, hoc est, *Angeli*, omnesque homines?

2 Thess. 1. 9. Tit. 2. 13. Apoc. 19. 16. Gen. 41. 45. Ps. 97. 8. & Heb. 1. 6.

VIII. Socinus deprauata argumentatione Apostoli eo modo, quem commemoraui, concludit, *Ex hoc loco Pauli nullo modo posse colligi, Christum esse illum vnum Deum Israëlis: quippe, quod ibi non dicatur id, quod assumendum in argumentatione ista fuisset, videlicet, Christo curuatum iri omne genu: sed tantùm omnes staturos ante tribunal Christi.* Atqui istæ phrases Apostolo æquipollent, sese enim mutuò ponunt & tollunt. Nam si curuabitur omne genu Domino, sistentur omnes tribunali Domini, alioqui falsa esset argumentatio Apostoli; &, si omnes sistentur tribunali Domini, omne genu curuabitur Domino. Cogentur enim sine dubio omnes, cum sistentur tribunali Domini, eius autoritatem & majestatem summam agnoscere, ei se subjicere, cum ea reuerentia & demissione, quæ tanto Iudici, Regi, immò Deo debetur: debetur autem illi adoratio seu genu flexio. Flectent igitur illi genua. Et quando quæso in nomine Iesu flectetur omne genu, si non flectetur tunc cum ad eius tribunal omnes sistentur?

Phil. 2. 10.

IX. Progreditur longius Socinus, *Finge* inquit, *Paulum dixisse, Christo omne genu curuatum iri. Nunquid hinc necessariò sequetur, Christum esse illum ipsum Dominum, qui apud Esaiam dixit, Mihi curuabitur omne genu, quia videlicet Paulus ex hoc Esaiæ loco, istud de Christo concludat? Nullo pacto.* Non videtur Socinus percepisse vim argumenti quod ex hoc loco ducimus. Id quale sit, Deo dante, statim proferemus. Interim dico, non esse

Ref. Resp. 2.

fingendum id quod reuera eſt. Non dixit quidem Paulus totidem verbis, Chriſto omne genu curuatum iri, ſed dixit quod idem valet. Nam, & neceſſe erit omnes flectere genua Chriſto, quotquot ſtabunt ante eius tribunal iudicandi, (ſtabunt autem omnes:) is enim honor Chriſto debetur, etiam ab ipſis Angelis, teſte Apoſtolo Heb. 1. 6. & tacitè ſumit Apoſtolus, Dominum qui iurat apud Eſaiam, ſibi curuatum iri omne genu, eundem eſſe Chriſtum. Id enim cum ad eius argumentationem eſt neceſſarium, tum ex verbis ipſis Domini colligi poteſt. Quod vtrumque ipſo Domino dante faciam, vt ſpero, manifeſtum.

X. Dico etiam id neceſſariò ſequi, quod ſequi negat Socinus. Nam quo pacto ex verbis Domini, *mihi curuabitur omne genu*, concluderet Apoſtolus curuatum iri omne genu alij, quam Domino, qui hoc dixit? Qui dicit *mihi curuabitur*, per pronomen *mihi* ſemetipſum ſignificat, non alium, præſertim à ſe tota eſſentia, immò toto genere diuerſum, ac nondum exiſtentem.

XI. Conatur tamen Socinus quomodo id non ſequatur docere, *Nam*, inquit, *cum ex eiuſdem Pauli clariſſimis verbis, quæ alibi id eſt Philip. 2. ſcripſit, apertiſſimè conſtet, hoc, quod Chriſto omne genu curuari aliquando debeat, ex illius vnius Dei dono profectum eſſe: & ſic, Chriſtum, hac in re, vt in alijs omnibus, totum ab illo vno Deo pendere, & huius ipſius rei ratione, ab vno illo Deo diſtingui; neceſſe eſt, Chriſtum, etiam quatenus omne genu illi curuari debet, illi vni Deo ſubordinatum eſſe; ita vt quicunque Chriſto genua flectit, illi vni Deo genua flectat. Ex quo conſequitur, iure potuiſſe Paulum affirmare, impletum iri vaticinationem illam apud Eſaiam de curuando vni illi Deo omni genu, hac ratione, quod Chriſto omne genu curuabitur, etiamſi Chriſtus non ſit ille vnus Deus.* His verbis tria peccat Socinus. Primò, ait *Chriſtum, etiam quatenus illi omne genu curuari debet, illi vni Deo ſubordinatum eſſe:* Idque effici putat ex Phil. 2. 10. Ex quo tamen contrarium ſequitur. Subordinatio enim inæqualitatem ſignificat, cum tamen ex loco illo ſumma æqualitas concludi poſſit. Nam eo loco Chriſtus dicitur cum ſeſe exinaniuit fuiſſe *in forma Dei*: Non autem forma Dei falſa intelligitur, ſed vera. Vera autem non eſt forma Dei, cum abeſt eſſentia diuina. Deinde additur, cum *non duxiſſe rapinam eſſe ſe æqualem Deo.* Erat igitur æqualis Deo, & quidem iure. Id quod veram Dei formam arguit. Plurimum enim inter-

est inter similitudinem aliquam & æqualitatem. Tum subiungitur, Deum habita ratione tantæ eius cum dignitatis naturalis, tum voluntariæ humiliationis, eum *superexaltasse*, hoc est, vt Vatablus, & Beza vertunt, *in summam extulisse sublimitatem*, summa autem sublimitas diuinæ æqualis est: alioqui non esset summa, sic respondet dignitati personæ, (nulla enim dignior forma concipi potest quàm Dei, nulla maior dignitas quàm ea quæ diuinæ est æqualis.) & voluntariæ humiliationi, qua, spectatis terminis à quo & ad quem, nulla maior esse potuit. Denique subiungitur, Deum illi *nomen dedisse, quod est supra omne nomen*, hoc est, nomen supremum. Quod est autem nomen supremum nisi nomen proprium Dei? Illud enim nomen non est supra omne nomen, quo est nomen aliquod superius. Atque hæc fortè causa est cur Apostolus subiiciens, *vt in nomine Iesu flectat se omne genu cœlestium & terrestrium & subterraneorum, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus est Iesus Christus ad gloriam Dei Patris*, non dixit cum articulo ὅτι ὁ Κύριος, sed absque articulo ὅτι Κύριος Ἰησοῦς χριστὸς: constat enim, nomen Κύριος absque articulo præfixo id esse, quo 70. interpretes, omnesque Noui Testamenti autores nomen Dei Israëlis proprium, quod est supra omne nomen, exprimunt. Itaque non potuit clarius innuere supremum illud nomen Christo conuenire. Taceo nullam dari prouocationem à Christo, quæ tamen dari solet à subordinato Iudice ad eum cui subordinatus est. Taceo Christum habere omnem potestatem in cœlo & in terra: non autem habere omnem potestatem eum, qui summam non habet. Taceo omnia quæcunque sunt Patris esse etiam Filii: id quod æqualitatem summam arguit, cui cum subordinatione non benè conuenire palam est. Hæc enim iam attigi thes. 3. & 4.

XI. Addo verba Apostoli, 1. Cor. 15. 28. *Cum verò subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subÿcietur ei, qui subiecerit ei omnia, vt Deus sit omnia in omnibus.* Innuunt enim Christum, quandiu regnat & iudicat, Patri subiectum non esse. Regnat
Matth. enim cum Patre vt æqualis cum æquali, summa cum autoritate &
25. 35. Maiestate. Iudicabit eos qui flexis genibus ante ipsius tribunal erunt, non tanquam alienos seruos aut subditos, sed tanquam suos, ac prout sui vnius Domini ipsorum rationem habuerint, vel non habuerint in hac vita, absoluet, vel damnabit. Quibus om-

nibus peractis, tum demum, quatenus homo est, quiescet ab imperando & iudicando. Non quiescet tamen Pater atque diuinitas à Sanctis suis omni gaudio & fœlicitate perpetuò beandis. Ita Patri regnum tradet & subjicietur Filius. Ad regendos enim atque in beatitudine & gloria conseruandos glorificatos sola diuinitatis efficacitas abundè sufficiet, nec erit opus vt Filius, quatenus à Patre distinguitur, aut quatenus homo est munere aliquo fungatur.

XII. Alterum Socini peccatum in illis verbis est illa ipsa argumentationis Apostolicæ inuersio, quam in eo iam reprehendi. Conatur enim explicare, qnomodo quicunque genua flectet Christo, ea flectet etiam Deo, id quod ad exponendam argumentationem Apostoli nihil prorsus facit. Non enim Apostolus ex eo quod omne genu flectetur Christo concludit omne genu flexum iri Deo, sed contrà ex eo quod flectetur Deo concludit flexum iri Christo. Itaque frustrà laborat Socinus in deducenda consequentia à Christo ad Deum: aberrat enim ab Apostoli scopo & verbis.

XIII. Tertium Socini peccatum est in istis verbis, *Ex quo consequitur, iure potuisse Paulum affirmare impletum iri vaticinationem illam apud Esaiam de curuando illi vni Deo omni genu, hac ratione, quod Christo omne genu curuabitur.* Perinde enim accipit verba Apostoli, ac si dixisset, *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi, vt impleatur quod scriptum est, viuo ego, dicit Dominus, quod mihi flectet se omne genu*; Cum tamen Apostolus longè aliter sit locutus, *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi: Scriptum est enim, ego viuo, dicit Dominus, quod mihi curuabitur omne genu.* Illud, *enim*, clamat Apostolum argumentari? Nonne manifestum est, Apostolum necessitatem apparitionis omnium coram tribunali Christi probare, ducto ab illo Domini iureiurando argumento? Nonne Apostolus, prolato illo iureiurando, rursus ex eo eandem diuersis verbis necessitatem deducit atque repetit? *Itaque*, inquit, *vnusquisque nostrum de seipso rationem reddet Deo*? Certè nullum locum dubitandi relinquit, quin ex verbis illis Domini apud Esaiam necessitatem illam certissimè concludat. Et tamen Socinus, quasi putaret se posse lectorem ludificare ac fallere nuda affirmatione, paulò pòst subijcit hæc verba, *Est præterea animaduertendum, Paulum non dixisse, scriptum esse, id tri-*

buendum esse Christo, quod ipse commemorat: *sed tantummodo, se propterea id commemorare quia scriptum sit,* viuo ego, &c. Ad hoc refellendum sola lectione verborum Apostoli opus est. Quod enim iste negat Paulum dixisse, Paulus dixit; & quod affirmat Paulum dixisse, Paulus non dixit. Negat Paulum dixisse, scriptum esse, omnes staturos ante tribunal Christi. Non dicit quidem Paulus id scriptum esse in eo Esaiæ loco totidem verbis, at dicit quod idem valet, cum id ex eo quod ibi scriptum est, colligit, & deducit necessaria consequentia. Quomodo enim ex verbis Domini scriptis ab Esaia id elicuisset atque expressisset, si in illis non continebatur? Affirmat Paulum dixisse *Tantummodo, se propterea id commemorare, quia scriptum sit,* viuo ego, &c. Id nullo modo Paulus dixit, nec ex ipsius verbis colligi potest, sed contrarium potius. Non enim quia scriptum sit *viuo ego*, &c. idcircò commemorat nos staturos omnes ante tribunal Christi: sed contrà illud propter istud commemorat & citat. Absterret enim nos à iudicandis & spernendis fratribus nostris argumento ducto à necessitate nos omnes sistendi ad tribunal Christi. Hanc verò necessitatem probat iureiurando isto Domini apud Esaiam, *viuo ego*, &c.

XIV. Sic refutatis responsionibus Socini, qui argumenti nostri neruum non tetigit, (suane an eorum quibus respondebat culpa, alij viderint) id nunc, quale esse debet, paucis exponamus. Id ita concipi potest.

Ille qui Esaiæ 45. 23. iurat, *Viuo ego, &c. quod mihi curuabitur omne genu*, est Deus Israëlis præditus essentia diuina.

Christus est ille qui Esaiæ 45. 23. iurat, viuo ego, &c. quod mihi curuabitur omne genu.

Christus igitur est Deus Israëlis præditus essentia diuina.

De maiore nulla potest esse controuersia. Immediatè enim præcedunt apud Esaiam hæc verba, *Ego sum Deus, & non est alius.* Minor probatur primùm autoritate Apostoli, Deinde argumentis ex illo ipso loco Esaiæ petitis. Apostolus probat omnes staturos ante tribunal Christi, quia omne genu se flectet Domino, argumentatur autem sine dubio bene & prudenter, sequitur ergo id quod concludit necessaria consequentia ex eo vnde id concludit. Ostendant igitur nobis, si possunt, Aduersarij, quomodo posita ipsorum sententia ex hoc antecedente, Omne genu se fle-

ctet Domino sequatur hoc consequens, Ergo omnes stabimus ante tribunal Christi. Nam aliud Socino est flecti omne genu alicui, aliud stare ante tribunal alicuius, alius etiam est Dominus alius Christus. Doceant igitur quomodo ex flexione omnis genu Domino, sequatur apparitio omnium coram tribunali Christi. Certè si Dominus idem non est Christus, quomodo id doceri possit non video. Nam à Christi cultu ad cultum Dei valet secundum eorum doctrinam argumentatio, à cultu verò Dei ad cultum Christi non item. Nam & olim colebatur Deus & hodie coli potest ac colitur nonnunquam non culto Christo. Itaque, si illis creditur, possumus genua curuare Domino iuranti apud Esaiam sibi omne genu curuatum iri, nec tamen ea curuare Christo. Si dixerint non curuatum iri omne genu Deo in hoc seculo, nec post latam sententiam ab iis qui erunt in inferno, quare id impletum iri in die iudicii. Non repugnabimus. verum id nondum satis erit ad eliciendam hanc conclusionem, ergo stabimus omnes ante tribunal Christi. Relinquitur enim ostendendum, quomodo ex eo, quod in die iudicii curuabitur omne genu Domino, deduci possit bona consequentia, ergo stabimus omnes ante tribunal Christi, siquidem Dominus non est Christus. Si addiderint, omnes esse per Christum iudicandos: quippe cui omne iudicium sit à Patre datum, ex eo quidem sequetur, omnes staturos ante tribunal Christi. Sed sequetur vi assumptæ propositionis, non vi citati loci. Aut igitur non benè argumentatus est Apostolus, aut falluntur Aduersarii. Absit vt prius dicamus: id enim non Apostolo modò, sed Domino etiam, qui in Apostolo loquebatur, iniuriosum foret. Posterius igitur verum est.

XV. Adde quod hæ duæ locutiones, curuari omne genu Domino, & sisti tribunali Domini, idem Apostolo valent, vel non. Si non idem valent, fieri poterit vt Domino qui sic iurauit curuetur omne genu, nec tamen omnes sistantur eius tribunali, & rursus vt omnes sistantur tribunali Christij, nec tamen illi curuetur omne genu: Attamen constat quàm omnes sistentur tribunali Christi, tam omne genu illi curuatum iri. Et quàm omne genu curuabitur Domino apud Esaiam iuranti, tam omnes eius tribunali sistendos esse. Hoc si negant Aduersarij, dicant igitur nobis, quomodo ex eo quod Domino flectetur omne genu sequitur, omnes staturos ante tribunal Christi; & tamen non sequitur

omnes ſtaturos ante tribunal Domini. Si igitur phraſes illæ reipſa idem valent, ſeſeque mutuò ponunt & tollunt, idem etiam dicendum eſt de duobus iſtis nominibus, Dominus & Chriſtus, vt quemadmodum ſe habent omnes ad omne genu, &, ſiſti omnes tribunali, ad, curuari omne genu; ſic ſe habeat etiam Chriſtus ad Dominum, atque adeò tota concluſio ad totam præmiſſam vnde deducitur. Idem igitur valent Apoſtolo Dominus & Chriſtus, quod vt facilius inſinuaret in mentem lectoris, quinque proximis verſibus antecedentibus Domini nomen ſepties vſurpauit pro Chriſti nomine: ac ne nos à Chriſto intelligendo abſentia articuli in verbis, *dicit Dominus*, abſterreret, quater eo nomine abſque præfixo articulo Chriſtum deſignauit. Ac vt res eſſet teſtatior, ſubjunxit alteram æquipollentem concluſionem verſ. 12. *Itaque vnuſquiſque noſtrum rationem de ſe reddet Deo.* Cui Deo, niſi ei cuius ante tribunal omnes ſtabimus, hoc eſt, Chriſto? vt enim in hac concluſione conſequente, *vniſquiſque noſtrum* idem valet quod *nos omnes* in concluſione antecedente, & *rationem reddere de ſe* quod *ſiſti tribunali*; ſic *Deus* idem valet quod *Chriſtus* quem igitur Chriſtum appellauerat in antecedente concluſione, eundem appellat in conſequente, Deum, τῷ θεῷ. Id quod etiam hoc argumento poteſt firmari. Ille cui vnuſquiſque noſtrum rationem de ſeipſo reddet, eſt Deus, Apoſtolo teſte. Chriſtus eſt ille cui vnuſquiſque noſtrum de ſeipſo rationem reddet. Ergo Chriſtus eſt Deus. Quam propoſitionem poſſint Aduerſarij negare non video, reddemus enim rationem vnuſquiſque noſtrum pro ſe ei, qui nos iudicaturus eſt. Hic autem eſt Chriſtus, non Pater quatenus à Filio diſtinguitur, teſte ipſo Filio, Ioh. 5. 22. Cui enim ſerui potius reddant rationem de ſeipſis quàm Domino ſuo, cui viuunt, cui moriuntur, cuius, ſiue viuunt ſiue moriuntur, ſunt, cui faciunt quicquid faciunt, & cui non faciunt quicquid non faciunt? Talem autem omnium noſtrum Dominum eſſe Chriſtum, ipſe Paulus totis ferè ſeptem proximis verſibus inculcauit.

XVI. Sed age, miſſo Apoſtolo, videamus quid ex ipſis Domini verbis colligi poſſit. Si Domino ſe flectet omne genu, & omnis lingua iurabit, vel, confitebitur, Dominus ſeſe tam clarè tamque potenter reuelabit atque oſtendet, vt non poſſit non agnoſci ab omnibus, etiam ab illis qui omnium maximè increduli, rebelles, contumaces fuerint; nec id modò, ſed hi etiam

non poterunt sese occultare, aut ab eo fugere, aut majestatem eius effugere, sed cogentur coram eo apparere, ac genua flectere, ei iurare vel confiteri. Nam contumacissimi vel homines vel diaboli, si Dominum possent non agnoscere, ei nunquam se honoris causa incuruarent, aut si possent eius præsentiam vitare, atque aliquò fugere aut latere, id sine dubio eligerent potius, quàm ei sese maxima cum demissione subijcere. Itaque cogentur, velint nolint, Dominum agnoscere, atque ei præsenti cum debita tantæ majestati reuerentia sese sistere, alioqui nunquam sua illi genua flecterent. Quis autem ita clarè, ita apertè, cum tanta gloria maiestate potentia omnibus apparebit, vt ab omnibus nullo excepto agnoscatur? quis mittet Angelos suos vt omnes è latibulis ipsorum pertrahat atque congreget, & sistat ante se, cogatque sibi debitam exhibere reuerentiam, atque, quod solet exigi à reis, sibi iurare & confiteri? Quis? nisi iudex viuorum & mortuorum, Dominus Iesus, *qui veniet cum nubibus, quem omnis videbit oculus, etiam illi qui eum compunxerunt?* Nullius aduentus, nullius reuelatio, nullius præsentia promittitur, prædicitur, creditur, expectatur in Ecclesia, *Nisi gloriæ magni Dei, & Seruatoris Iesu Christi.* Ipsius Patris, quatenus à Christo distinguitur, aduentus futurus neque promissus est, neque speratur.

Apoc. 1. 7.

Tit. 2. 13.

XVII. Hoc ipsum confirmant versus qui apud Esaiam antecedunt & sequuntur. Qui proximè antecedit sic habet, *Respicite ad me & salui eritis omnes fines terræ, quia ego sum Deus, & non est alius.* Primùm compellat non gentem Iudaicam, sed omnes fines terræ, id est, omnes gentes, etiam procul à Iudæa dissitas. Itaque non proponit legem sed Euangelium, & pertinet hæc Domini concio, non ad tempus legis, sed ad tempus Euangelij. Deinde pollicetur, non simpliciter vitam vt fit in lege, sed salutem vt in Euangelio. Denique conditionem ab iis exigit, non obedientiam vt in fœdere legali, sed fidem vt in fœdere Euangelico, *Aspicite*, inquit, *ad me & salui eritis.* Atque sub ea conditione salutem omnibus gentibus absque discrimine offert. Est igitur concio Euangelica, non ad tempus Esaiæ, sed ad tempus Christi reuelati spectans. Si igitur quæritur cuius sit concio, si Esaiam audis, Deus est, si Euangelium, est Christus. Dic eundem esse Deum & Christum, & vtrumque conciliasti. Non enim

Deus qua Pater sub Euangelio concionatur, non promulgat Euangelium, non compellat & vocat ad se gentes vt seruentur. Hæ sunt partes Filij.

XVIII. Sed expendamus verba, *Respicite*, inquit, *ad me*, פנו־אלי *omnes fines terræ*. Primùm qui sic loquitur sese ostendit & reuelat & offert conspiciendum omnibus finibus terræ, omnibus gentibus. Id proprium est Dei patefacti in carne. Pater enim non
Ioh. 12. præbet se videndum, nisi quatenus, cum sit in Filio & Filius in
45. & ipso, qui videt Filium videt Patrem, qui contemplatur Filium
14. 6. contemplatur Patrem. Itaque toto Euangelio describitur, prædicatur, aspiciendus proponitur omnibus Christus. Deinde qui sic loquitur, iubet ad se aspici, atque ad se respiciendum omnes obligat. Et Christus etiam omnes gentes, quibus sese Euangelii sui prædicatione contemplandum offert, iubet ad ad se vnum oculos fidei conuertere.

XIX. Huic mandato subnectit promissionem, *& salui eritis*, id quod de salute spirituali accipiendum esse nemo, opinor, ambigit. Promittit igitur salutem omnibus illis qui ipsum aspexerint, quæ promissio facta est ab ipso Christo iis qui ipsum aspexerint Ioh. VI. 40. *Hæc est autem voluntas eius qui misit me, vt omnis qui conspicit Filium, & credit in eum habeat vitam æternam, & suscitabo eum ego in vltimo die.* Certè Pater qua distinguitur à Filio, neque se ostendit nobis, neque ad se videndum nos obligat, neque potest videri à nobis, neque vlla occurrit promissio in Euangelio, qua Patrem aspicienti salus promittatur.

XX. Rationem addit, *quia*, inquit, *Ego sum Deus & non est alius*, innuens frustrà eos ad alium respecturos, frustrà in alio quæsituros salutem. Hoc Euangelium inculcat, credentem in
Ioh. 3. Christum seruari, non credentem damnari. *Non est*, inquit Pe-
18. 36. trus Act. 4. 12. *in alio quoquam salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Cum igitur qui sic loquitur significet in se vno salutem esse, & non in alio, & constet in vno Christo salutem esse, & non in alio, fatendum est qui sic loquitur Christum esse.

XXI. Aliud argumentum nobis hæc verba suppeditant. Negat enim qui sic loquitur alium Deum esse præter se: idque proximo versu inculcauerat, *Nunquid non ego Dominus*, inquit, *& non est vltra Deus absque me? Deus iustus & seruans non est præ-*

ter me. Quod quomodo congruat cum opinione Aduersariorum duos Deos esse existimantium, verè inquam & propriè dictos Deos, non metaphoricè aut figuratè, totis essentijs diuersos ac separatos, equidem non intelligo. Non enim possunt eò confugere vt dicant, Deum sic loqui habita ratione temporis Veteris Testamenti, cum nondum esset alter ille Deus, videlicet, Christus. Inducitur enim hoc loco omnibus finibus terræ salutem euangelisans, ac propterea hæc eius concio ad tempora Euangelij pertinet. Quod etiam iurat versu sequente refertur ad tempus iudicij vltimi docente Apostolo, & agnoscente Socino. Et quorsum gentes alloquens clamaret & inculcaret se Deum esse, & præter se non esse amplius Deum, nisi quia vult hoc credi ab omnibus gentibus? vultne igitur ab omnibus gentibus credi Christum non esse Deum, non esse adorandum, non esse ad eum, vt in eo vno salus quæratur, aspiciendum? Hoc esset Euangelium non prædicare sed abolere. Non possunt etiam confugere ad solennem illam suam distinctionem Dei summi, & Dei subordinati. Nam dicendo, *Ego sum Deus, & non est* עוד *amplius, Ego sum Iehouah, & non est amplius Deus,* אלהים, *præter me,* si non prorsus tollit omnem alium Deum propriè dictum, siue ponatur summus siue non summus, quomodo prorsus tolli possit non intelligo. Certè negari non potest quin illis verbis vniuersæ multitudini deorum, quos gentes colebant, diuinitatem omnem detrahat: colebant tamen illæ vnum duntaxat summum Deum.

XXII. Sequitur autem iusiurandum Domini hic versus, *Certè* vel *Tantùm* (אך enim vtrumque significat) *in Domino mihi, dicet, iustitia & robur,* &c. nempe ad salutem nostram duabus rebus opus est, iustitia nos iustificante vt de iure; & robore vt de facto à peccatis nostris & hostibus liberemur. Ambæ sunt in vno Christo, vt patet ex toto Euangelio. Quid ergo cunctamur affirmare Christum esse vnum illum Dominum, præter quem nullus est Deus?

XXIII. Hunc versum excipit vltimus capitis, *In Domino iustificabuntur, & gloriabuntur omne semen Israëlis.* Atqui iustificabuntur in Christo, in quo vno habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, propitiationem pro peccatis, iustificationem, atque omnia: est enim omnia in omnibus. In eo solo habitat corporaliter plenitudo diuinitatis.

Qui eum habet habet vitam, qui eum non habet non habet vitam. In eo est Pater, in eo est Spiritus Sanctus: Qui eum habet habet etiam Patrem, qui non habet non habet Patrem. Qui eum honorat honorat Patrem, qui eum non honorat non honorat Patrem, Concludimus igitur eum esse eundem cum Patre, necnon cum Spiritu Sancto, Deum, Deum, inquam, illum vnum præter quem nullus est alius Deus, ei sit gloria in secula seculorum, Amen.



DISPVTATIO
QVINTA

De Arg. V. Ex verbis Domini apud Esaiam Cap. 41. 4. & Cap. 44. ℣. 6. & Cap. 48. ℣. 12. *Ego primus, & ego nouissimus,* collatis cum verbis Christi apud Iohannem in Apocalypsi Cap. 1. ℣. 11. 17. & Cap. 2. ℣. 8. & Cap. 22. ℣. 13. *Ego sum primus & nouissimus.*

I. IDEM Dominus apud eundem Esaiam clamat ter se esse primum & vltimum. Christus similiter apud Iohannem in Apocalypsi clamat ter se esse primum & vltimum, quo apertè innuit se illum ipsum Dominum esse, qui sese sic descripsit apud Esaiam. Hinc oritur Arg. V.

Ille qui est primus & vltimus est Deus Israëlis præditus essentia diuina.

Christus est ille qui est primus & vltimus.

E. Christus est Deus Israëlis præditus essentia diuina.

Maior nititur locis Esaiæ 41. 4: 44. 6: 48. 12. Minor locis Apoc.

Apoc. 1. 11. 17: 2. 8: 22. 13. conclusio igitur vera est.

II. *Respondeo*, inquit Socinus, *Aut istud, quod Christus in Apocalypsi de seipso dicit, habet per seipsum hanc vim, vt ostendat, eum esse vnum illum verum Deum, aut non habet. Si habet, nihil attinuit, aut certè nihil necesse fuit ad argumentum formandum, afferre loca illa Esaia, vbi hoc idem de Deo Israëlis dicitur. Quod si non habet, iam non satis est, ad argumentum concludendum, docere, hoc idem de Israelis Deo dici.* Huius dilemmatis neutrum cornu ferit argumentum nostrum. Non prius. Habet enim id quod Christus de se dicit illam vim, & per seipsum, & quatenus de se ipso idem Dominus dixit apud Esaiam. Nec posterius. Non enim sic argumentamur, Deus est primus & vltimus. Christus est primus & vltimus. Ergo Christus est Deus. Argumenti enim forma nihil valeret. Nec item sic, Christus aliquid de se dicit in Nouo Testamento, quod Deus Israëlis de se dixit in Veteri T. Ergo Christus est Deus Israëlis. Argumentum aliter formauimus, nec id tangit responsio.

III. Si respondere volunt Aduersarii, necesse est, vt, aut alteram præmissarum negent, aut medium terminum distinguãt. Negare minorem non possunt. Contradicerent enim disertis verbis Christi. Maiorem si negauerint, reuincentur ipsius Dei testimonio, qui de se id dicit, cum se describit per propria, & ostendit quantum ab omnibus falsis numinibus, & creaturis distet. Esai 41. 4. *Quis operatus est & fecit? Ille qui vocat generationes ab exordio. Ego Dominus, primus & cum vltimis, ego ipse.* An est alius quàm Deus, qui vocet generationes ab exordio? qui sit Dominus, Iehouah? qui sit הוא *ipse*? Nonne illa elogia reciprocantur cum Deo? Cur idem non censetur de elogio primi & vltimi?

IV. Clarior est locus Esai. 44. 6. *Hæc dicit Dominus, Rex Israëlis, & redemptor eius, Dominus exercituum, ego primus; & ego vltimus, & præter me non est Deus, & quis similis mei?* Nonne enim his verbis, quàm negat vllum esse similem sui, vllum esse Deum præter se, tam negat vllum alium esse primum, vllum alium esse vltimum? Cum audio Dominum dicentem *Ego primus*, concludo, ergo ante ipsum nullus alius Deus fuit. Cum audio dicentem, Ego vltimus, concludo, ergo post eum nullus alius Deus erit. Si bona est illatio, conuertuntur illa elogia cum

Deo. Sume enim quemcunque alium; non est primus: Nam ante ipsum Deus fuit. Si bona non est, dicant quid in ea desiderent Aduersarij, & quorsum Deus hoc de se dicat tam solenni ratione, præmissis mandato *Audi Israël*, & descriptione sui ad conciliandam attentionem quandam non vulgarem aptissima? Ipse mihi in ea deducenda consequentia Dominus aliquomodo præiuit, Esai. 43. 10. cum ait, *Ego ipse sum. Ante me non est formatus Deus, & post me non erit.* Id quod si negetur proprium esse Dei, nihil ei relinquetur proprium, quo possit describi, & ab alijs omnibus rebus distingui.

V. His duobus locis tertius accedit Esai. 48. 12. *Audi me Iacob, & Israël quem ego voco, ego ipse, ego primus, etiam ego vltimus, manus quoque mea fundauit terram*, &c. vides Dominum in hoc loco, vt in præcedente, sibi populi sui attentionem conciliare antequam pronunciet verba illa, Ego primus, ego vltimus, quorsum, si sunt elogia communia, quæ tribui possint alicui creaturæ, quæque non conuertantur cum Deo? vides eum attributa illa non connectere cum alijs ac compingere in vnam descriptionem, sed diuidere, interjecto ac repetito pronomine primæ personæ, tanquam totidem descriptiones sui. Descriptionis autem vitium est, cum latius patet descripto. Vides denique nulla attributa adiungi, quæ non sint vnius Dei propria. Cur ergo non vis elogia illa primi & vltimi vnius Dei esse propria? Nosti ne aliquem vno illo Deo Israëlis priorem aut posteriorem, aut ei coæuum seu coæternum? Nullum profectò noui, nullum in Scriptura, nullum in Mundo deprehendi, mihique implicari contradictio videretur, si præter vnum illum Deum aliquis alius eodem sensu primus & vltimus esse affirmaretur. Maneat igitur fixum, Elogium primi & vltimi, vnius illius Dei præter quem non est Deus, proprium esse; ac proinde veram esse propositionem argumenti nostri, *Quicunque est primus & vltimus, ille est præditus essentia diuina.*

VI. Restat altera solutio per distinctionem medii termini, qua etiam Socinus vtitur. *Istius argumenti*, inquit, *propterea nulla vis esse potest, quia nihil impedit, quominus alio sensu dictum fuerit de Deo, quod sit primus & nouissimus, & alio, de Christo.* Sed alius ille sensus, vel est de mente Christi, vel non. Si non est de mente Christi, nullus est. Si est de mente Christi, aliquid esse in

verbis Christi oportet, vnde colligi possit. Alioqui nihil erit certi, si cum verba sunt omnino eadem, licet pro libitu sensus illis affingere diuersos. Cum eadem sunt verba, putandi sunt iidem esse conceptus: quippe qui nobis, nisi per verba, non innotescunt. Sed isti homines Christi mentem & sensum fortè aliundè quàm ex eius verbis tenent. Doceant igitur, quo sensu Deus dicitur apud Esaiam primus & nouissimus, & quo sensu Christus in Apocalypsi dicitur primus & nouissimus, & vnde istam sensus diuersitatem deprehenderint. Non enim à nobis peti debet ratio, cur iisdem verbis eundem sensum aptemus: ipsa enim, vt ita loquar, identitas verborum impedit nos quominus sensum putemus esse diuersum, sed eorum potius est docere, quare, cum verba sint eadem, nolint tamen sensum esse eundem. Rationem petant à suo dogmate vel potius errore necesse est: Nam à verbis Dei vel Christi peti non potest. Clamat Deus apud Esaiam, Ego primus ego nouissimus, & quidem ter, audiente vniuersa Ecclesia: Clamat Similiter Christus apud Iohannem, Ego sum primus & nouissimus, & quidem sine controuersia quater, audiente itidem vniuersa Ecclesia, nulla addita limitatione, nulla restrictione, immò aucta emphasi per articulum præfixum, ὁ πρῶτος, ὁ ἔσχατος, qui articulus illis vocibus apud Esaiam in græca versione præfixus non est. Augent etiam emphasim additæ voces, τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος. Itaque si verba Dei apud Esaiam & verba Christi apud Iohannem inter se conferas, illustriora ista, quàm illa magisque absolutè & emphaticè dicta videri possint.

VII. Quis igitur credat Christum, si nihil nisi creatura fuisset, toties, tam solenni ratione, tam ἐμφατικῶς, sibimet ipsi hunc titulum assumpturum, eoque se ipsum descripturum, quem sibi Deus tam disertè tribuerat in Veteri Testamento, quo se descripserat, quem Scriptura ipsi reseruauerat, quemque proprium esse Dei res ipsa clamabat? Non possem id conciliare cum Christi, si nihil nisi creatura esset, perfecta erga Deum reuerentia, pietate, gratitudine. Sed neque id possem conciliare cum eius erga Ecclesiam perfecta charitate. Quotus enim quisque est, qui sese sic describentem Christum audiens, non intelligat ipsum sibi æternitatem ac diuinam essentiam attribuere? vt nihil isto sibi tribuendo elogio voluisse videri posset, nisi Ecclesiam suam in errorem conjicere. Id quod vel cogitare pia mens horret.

VIII. Huc accedit, quod intelligi non poteſt, quo ſenſu Chriſtus, ſi Deus non eſt, dicatur, ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος, *primus & vltimus.* Cum enim primus dici quis poſſit, teſte Ariſtotele, quinque modis. Non poteſt aliquis eſſe ſimul primus & vltimus dignitate, nec exiſtendi conſequentia, nec natura ſeu, vt loquntur, cauſalitate: (implicaretur enim contradictio) ſed tantùm ordine, cum quidam ſit quaſi circulus; & tempore, cum qui ante alios fuit, eſſe perſeuerat poſt alios. Ordine, quomodo primus idemque vltimus dicī poſſit Chriſtus, aſſequi nequeo, niſi fortè hoc ſenſu, quia ab eo Euangelij prædicatio, fides noſtra, gratiarum actio, &c. incipit atque in eo deſinit. Sed ſi nihil niſi creatura eſſet, is honos Deo, non ipſi, conueniret. Tempore, quomodo primus eſſet is, ante quem, non ſolum Deus, ſed Angeli omnes, ſed homines innumeri tamdiu fuiſſent?

IX. Si dixeris, primum dici, non abſolutè, ſed reſpectu nouarum creaturarum, quia primus fuit noua creatura, quæram ex quibus Chriſti verbis iſta limitatio petatur, & cur Abraham pater credentium, Dauid vir ſecundum cor Dei, Prophetæ, Martyres Veteris teſtamenti, necnon Iob, Daniel, Noe, Zacharias, Simeon, Iohannes Baptiſta Spiritu Sancto repletus iam inde ab vtero matris ſuæ, ipſa denique beata virgo è numero nouarum creaturarum ab iſtis hominibus remoueantur? Quæram etiam quo ſenſu dici poſſit Chriſtus nouarum creaturarum vltimus? Nam, ſi primus dicitur quia primus factus eſt noua creatura, vltimus dicetur quia vltimus fiet noua creatura: quod falſum eſſe nemo non videt.

X. Si dixerint, eum dici primum & vltimum, quia ante eum nullus fuit ſeruator, & poſt eum nullus erit, imprudentes dixerint, id quod res eſt, Chriſtum eſſe vnum illum Deum. Sic enim Chriſtus, dicendo ſe eſſe primum & vltimum, dixerit, præter ſe non eſſe ſeruatorem. Ex quo fluit hæc argumentatio. Ille præter quem non eſt ſeruator eſt Deus Iſraëlis, ipſomet Deo teſte Eſaiæ 43. 11. *Ego Ego Dominus, & præter me non eſt ſeruator.* Chriſtus eſt ille præterquem non eſt ſeruator. Chriſtus igitur eſt Deus Iſraëlis. Et quomodo quæſo Chriſtus, ſi nihil niſi creatura eſſet, dici poſſet primus Seruator? Nonne Deus ipſe quoque Seruator eſt & dicitur, tam in nouo, quàm in antiquo teſtamento? Nonne is prior eſt Chriſto tantùm homine? Reliquiſſet igitur

Deo Seruatori primas partes Christus, si tantùm homo fuisset, contentus sibi sumpsisse secundas. Quid quod multi, antequam nasceretur τὸ κτ̀ σάρκα, sunt à peccatis suis seruati? tot certè quod sunt per fidem iustificati, ac sanctificati. In quo enim sita est salus seu liberatio à peccatis, si non consistit in remissione peccatorum, & sanctificatione, & Spiritu Sancto perfundente corda gaudio? Quæ omnia fideles ante Christi aduent tum in carne fuisse assecutos, vel soli Dauidis psalmi, testes sunt luculenti.

XI. Peto etiam quorsum sese Dominus sic describit, *Ego sum primus & vltimus*? Annon vt ex hac descriptione quis quantusque sit intelligatur? Certè. Hic enim est finis descriptionis, vt per eam quod describitur cognoscatur. Itaque clarior esse debet descriptio quàm descripti nomen. Contrà tamen hîc res habebit, si Socinum audiamus, Describet enim sese Christus per obscuriora, atque multa ratiocinatione opus erit, vt sensus huius descriptionis eruatur descripto conueniens, si tamen vllus eiusmodi poterit reperiri: Ac quod minus rationi consentaneum est, per descriptum cognoscenda erit descriptio: contrà quàm fieri oportuit. Metiuntur enim Aduersarij descriptionis istius sensum, non ex ipsis verbis quibus concepta est, nec ex collatione locorum Scripturæ inter se, in quibus habetur eadem descriptio, sed ex præconcepta & præiudicata opinione de persona & dignitate Christi: quam quia perspectam habent & accuratè cognitam, frustrà Christus, vt quis quantusue sit se prodat, descriptionem Dei Israëlis sibi aptabit, vt vt verba sint eadem, nunquam tamen, dabunt eundem esse sensum: Decretum enim illis est thesim διαφυλάττειν.

XII. Sed pergamus. Aut fortuitò & συγκυρίᾳ quadam accidit, vt iisdem verbis sese Deus apud Esaiam, Christus apud Iohannem describeret, aut data opera certoque consilio. Prius dici non potest. Nam & Deus cum sese sic describeret, sciebat Christum sese olim sic descripturum, & Christus itidem non ignorabat sic se Deum descripsisse, & suppetebant ipsi aliæ voces quibus mentem suam æquè bene exprimeret. Si igitur id factum est destinato consilio, factum est in gratiam fidelium, quorsum, nisi vt intelligeremus descriptionem Dei apud Esaiam pertinere ad Christum? quo sic monente & oculos mentis aperiente, rem ita se habere deprehendimus.

XIII. Primùm enim in loco tertio Esai. 48. 12. verba citata proximè antecedit Dei protestatio alibi repetita, *Gloriam meam alteri non dabo.* Ex qua sic argumentor. Deus non erat daturus gloriam suam alteri. Atqui eam erat daturus Christo. Christus igitur non est alter, sed idem cum Deo.

XIV. In secundo loco citato Esai. 44. 6. sequuntur proximè verba, *Et absque me* Heb. ומבלעדי *præter me non est Deus.* Ex quibus sic colligo. Aut Christus non est Deus, aut Christus non est Deus præter eum qui se sic describit apud Esaiam. Illud falsum est. Non enim possunt Aduersarii negare Christum esse Deum, nisi contradicendo sibi & disertis locis Scripturæ. Hoc igitur est verum. Non est autem verum, si Christus est Deus tota essentia diuersus, ac separatus ab eo qui verba illa pronunciauit apud Esaiam. Non est igitur Christus Deus tota essentia diuersus ac separatus ab eo, sed vnus idemque cum eo Deus, ac proinde eiusdem cum eo essentiæ seu deitatis.

XV. In vtroque loco Deus antequam verba illa proferat, *Ego sum primus, Ego sum vltimus*, conciliat sibi attentionem populi sui non vulgari ratione, his verbis Esai. 44. 6. *Hæc dicit Dominus Rex Israël, & redemptor eius, Dominus exercituum.* Istis verò Esai. 48. 12. *Audi me Iacob, & Israel quem ego voco.* Non autem id facit sine graui ratione. Cum enim ipse idem versibus proximè antecedentibus loqueretur, poterat sermonem suum continuare, ac præcedente populi sui attentione contentus esse. Quod igitur verba ista pronunciare noluit duobus illis locis, nisi præfatione aliqua præmissa, atque noua conciliata populi sui attentione, in eo latet aliquid mysterij. Subesse enim oportet rationem aliquam memorabilem, quamobrem Deus id duobus illis locis fecerit. Sic enim loca illa duo insigniuit, ac singularem in modum commendauit populo suo, & curauit ne pius lector ea præteriret festinanter, sed gradum paulisper sisteret, suamque attentionem excitaret & acueret ad sequentia verba, *Ego primus*, & expendenda, quod fieri non potuit, quin ea loca ita memoriæ eius infigerentur, vt auditis verbis illis Christi ter quaterque repetitis, *Ego sum primus & vltimus*, non possent non statim ei in mentem venire, vt ex descriptionis, vt ita loquar, identitate descripti identitatem intelligeret. Quò enim aliò id pertinere possit?

XVI. Hinc mihi alia ratio ſurgit. Cùm enim Deus nihil niſi ſapientiſſimè prudentiſſimèque faciat, ſubeſſe cauſam oportuit grauem, cur ſeſe ita deſcriberet apud Iſraelem, populum ſuum, conciliata prius atque excitata eius attentione. Cur autem ſeſe ita deſcriberet Deus Pater præcisè ac ſeorſim à Filio, cauſa nulla apparet. Quæ enim afferri poſſet? Dubitabat-ne Iſraël de æternitate Iehouah Dei Iſraëlis? Ne nunc quidem eam Iſraël excæcatus atque induratus vocat in dubium. Eſtne æternitas Dei Iſraëlis dogma tam paradoxum, tam mirabile, tam difficile creditu, vt proponi non debuerit, niſi prius non vulgarem in modum conciliata fidelium beneuolentia, attentione, fide? tantum abeſt vt ſit paradoxum, nullum vnquam fuit dogma in Iſraële, in Eccleſia, notius, certius, teſtatius. Nihil enim vnquam in Patris perſona apparuit, quod vel leuiſſimam dubitationem, num eſſet Deus æternus necne, afferret. Cur verò ſeſe ſic deſcriberet Filius cauſa eſt obuia. Quoniam enim is ſeſe vltrò exinaniuit ſumpta ſerui forma, nihil difficilius fuit, quàm perſuadere hominibus, præſertim Iſraelitis, eum eſſe reuera Deum principio & fine durationis carentem. Itaque in diebus carnis ſuæ, quoties ſuam æternitatem aut deitatem verbis reuelare aliquomodo voluit, toties Iudæi eum blaſphemiæ accuſarunt & lapidibus obruere voluerunt. Notum etiam eſt, quantæ olim, ac poſtremis hiſce ſeculis, excitatæ ſint in Eccleſia de eius diuinitate controuerſiæ.

XVII. Præterea notandum eſt in loco Eſai. 48. 12. præter mandatum audiendi cum blanda Iſraelis appellatione, verbis, *Ego ſum primus, Ego ſum vltimus*, præmitti iſta אני הוא: In loco verò Eſaiæ 41.4. poſtponi: quæ verba 70. Interp. reddere ſolent ἐγώ εἰμι, *Ego ſum*. Quæ Dei deſcriptio ipſa quoque eſt deſcriptio Chriſti, ei magis propriè conueniens quàm Patri, Ioh. 8. 24. *Si enim non credideritis quod ego ſum, moriemini in peccatis veſtris*, Ioh. 8. 28. *Cum exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoſcetis quod ego ſum*, Ioh. 13. 19. *Nunc dico vobis priuſquam fiat: vt cum factum fuerit, credatis, quod ego ſum.* ἵνα &c. πιστεύσητε ὅτι ἐγώ εἰμι, quæ ſunt ipſiſſima Dei verba Eſaiæ 43. 10. Nomen autem iſtud הוא magis proprium eſſe Filij quàm Patris ſuadet eius ſignificatio. Eſt enim pronomen demonſtratiuum, Ille, ipſe; Itaque melius ei conuenit qui poteſt demonſtrari, quàm ei qui nullo modo demonſtrari poteſt. Adde quod aduentus Patris, quatenus à

Christo distinguitur, non est promissus, nec expectatus in Ecclesia. Christus verò ab initio Mundi toties promissus, prædictus, præfiguratus est, vt decuerit omnes Angelos & homines in illius vnius expectationem intentos esse, Itaque is vnus fuit qui maximè digito monstrari & dicier, Hic est, Ille est, Ipse est, debuit. Quæ causa videtur esse, cur hoc pronomen in duobus locis citatis; & in alijs nonnullis, junctum pronomini primæ personæ, descriptionem Dei perfectam efficiat. Hîc fortasse non erit abs re obseruare Iudæos in id imprudentes incidere, quod vitare volunt. Negantes enim Dominum nostrum Iesum Christum esse Seruatorem, non vocant eum ישוע, sed ע dempto ישו Quid autem esse possit ישו, nisi contractum ישהוא *est ipse*? Nam & א abest nonnunquam ab illo pronomine, & aspiratio facilè inter pronunciandum excidit. ישהוא autem significat eum esse Messiam tamdiu expectatum & exoptatum, Seruatorem mundi promissum, nihilque differt à nomine tetragrammato, nisi inserta pronunciandi causâ litera ש & mutato א in ה, quod fit interdum.

XVIII. Possem addere elogia Regis Israëlis & redemptoris Israelis, quibus sese Dominus insignit Esaiæ 44. 6. conuenire Christo, & quidem peculiari ratione. Itaque κατ' ἐξοχὴν Christus appellatur, hoc est, Rex, & nos redemit soluto pretio, non auro aut argento, caducis rebus, sed pretioso sanguine suo. Possem quærere ab Aduersariis quo sensu Pater vltimus dicatur, qui conuenire Christo non possit? Cum enim primus oponatur relatiuè vltimo, si Filius eodem, quo Pater, sensu vltimus dicitur, consentaneum rationi videtur, vt eodem etiam sensu primus esse dicatur. Sed nolo hanc disputationem facere longiorem. Nam, & alia satis multa Dei beneficio argumenta suppetunt, & de locis Apocalypsis, in quibus sese ipse Dominus Alpha & Omega, primum & vltimum vocat, actum est vltima libri superioris disputatione.

DISPVTATIO

DISPVTATIO

SEXTA.

De Arg. VI. Ex loco Zachar. XI. 13. *Et dixit Dominus ad me, projice illud ad figulum, magnificum pretium quo appretiatus sum ab eis*, &c, collato cum Matth. XXVII. 9.

I. EXPENDIMVS loca Esaiæ citata in Nouo Testamento, Nunc pergamus in alijs prophetis. Apud Zachariam cap. XI. ℣. 12. & 13. leguntur hæc verba. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me, projice illam ad figulum, magnificum pretium quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum Domini ad figulum.* Hunc locum Matthæus citat his verbis, *Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem, & acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filijs Israël, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* Ex duobus illis locis sic argumentor.

Ille qui apud Zachariam æstimatus dicitur à filijs Israël triginta argenteis est Dominus (Iehouah) Deus Israëlis.

Christus est ille qui apud Zachariam æstimatus dicitur à filijs Israël triginta argenteis.

Christus igitur est Dominus Deus Israël.

Major nititur testimonio ipsius Dei loco Zachariæ citato. Minor testimonio Apostoli Matthæi.

II. Responsum apud Aduersarios nullum legi, fortè, quia hi loci non sunt eis objecti. Quid autem possint respondere, nisi Aut non citari locum Zachariæ à Matthæo, Aut si citatur, alio modo posse exponi, quàm à nobis fit?

III. Non citari locum Zachariæ duo suadent; nomen Ieremiæ, & verborum aliqua discrepantia, sed non persuadent. Nihil enim extat ejusmodi in libro Ieremiæ. Fit quidem mentio cap. 9. figuli, & cap. 32. agri empti, sed reliqua sunt omnino diuersa. Legisse quidem se eadem verba, quæ Matthæus citauit, dicit Hieronymus in libro quodam apocrypho Nazoreorum, sed ex eo citatum esse hoc testimonium non credit, & rectè sane. Quis enim credat Matthæum commendare voluisse, tanquam scriptum à Ieremia propheta, librum eiusmodi apocryphum? Nonne eo significasset, cum autorem illius libri esse Ieremiam prophetam, tum oportere impleri quæ in eo libro scripta fuissent? Non dicent Aduersarij, citatum esse testimonium ex traditione non scripta. Agnoscunt enim nobiscum perfectionem Scripturæ sacræ. Nunquam sacri autores probant Iesum esse Christum per traditiones non scriptas, aut libros apocryphos. Nunquam aliundè petunt testimonia, quibus fidem nostram de Christo fulciant, quàm è Scripturis canonicis. Parum etiam ad eam rem valeret eiusmodi traditio, cuius fides penes suum laudatorem esset. Hinc ita argumentor. Citatum est hoc testimonium, aut ex Ieremia, aut ex Zacharia: Non ex Ieremia, vt ex dictis patet. Ergo ex Zacharia. Tertius enim autor, qui id sibi vindicet, nullus est.

IV. Ad hoc argumentum accedit alterum ex collatione laudati à Matthæo testimonij cum loco Zachariæ memorato. Congruunt enim omnia, pretium, triginta argentei: æstimatores, filij Israël: æstimatus, Christus: is cui aliquid emendi causa data sunt illi triginta argentei, figulus: Denique prouidentia Dei cuius ex decreto id factum est. Verba etiam erunt fermè eadem, si apud Matthæum ℣. 9. ἔλαβον sit primæ personæ, & ℣. 10. legatur ἔδωκα detracto ν. Sed nos mouere non debet verborum aliqua dissimilitudo, cum sensus quadrat. Retinent enim perpetuò sensum locorum quæ laudant Apostoli, verba non rarò paululum immutant, atque ita citando exponunt.

V. At Matthæus hoc vaticinium Ieremiæ tribuit; Ergo non est Zachariæ, non sequitur. Sic potius colligendum est. Hoc dixit Ieremias teste Matthæo. Hoc dixit Zacharias teste ipsa re. Ergo Zacharias idem est Ieremias. Cur enim binominis esse non potuit, vt alii penè innumeri, siue id pluribus impositionibus

factum sit, siue vna duntaxat? Cum enim in imponendo nomine habetur tantùm significationis ratio, quodcunque nomen eandem habet significationem, id quodammodo impositum censetur. Sic Ionathan, Elnathan & Nathaneel, Huzija & Hazaria, Iudas & Thadeus, Cephas, & Petrus, &c. pro eodem nomine habentur. Eandem autem uim habent Zacharias & Ieremias: illud exponitur, qui recordatur Dei, qui commemorat Deum; hoc, qui exaltat Deum. Exaltat autem Deum quicunque eius recordatur vel eum commemorat, & vice versa, recordatur Dei qui eum exaltat. Maluit autem Matthæus scribere Ieremiam quàm Zachariam, vt studium lectoris excitaret & acueret ad libros Prophetarum diligenter euoluendos, vt memorabilem istam circunstantiam passionis Domini altius animis nostris infigeret, ob eius insignes vtilitates; vt doceret nominum quibus Prophetæ appellantur vim atque significationem non esse negligendam; vt innueret Zachariam illis verbis, quæ ex eo laudauit, alienam sustinere personam & quidem illius, cuius nomen quidem significatione affine esset nomini Ieremiæ, persona verò nomini non respõderet. Non timuit autem ne propterea Euangelij sui autoritas in dubium vocaretur, conscientia diuinitatis eius fretus.

VI. Sed finge Matthæum non citasse uaticinium Zachariæ. Id tamen impleri debuit. Non potuit autem accuratius adimpleri quàm factum legimus in illa Matthæi historia. Euentus prophetiæ omni ex parte respondet. Etiamsi igitur id tacuisset Matthæus, tamen fateri necesse esset, hanc Zachariæ prophetiam tunc fuisse impletam. Siue igitur laudetur hæc prophetia à Matthæo, vti reuera laudatur, siue non laudetur, stat firmum, pretium illud triginta argenteorum esse accipendum de pretio, quo Dominus noster à filijs Israël æstimatus fuit & emptus à Iuda proditore.

VII. Restat altera responsio, ad quam quomodo confugere possint Aduersarij non video, verba enim Prophetæ aliter exponi non possunt, quàm quemadmodum à nobis exponuntur. *Et ait*, inquit Propheta, *Dominus ad me*, negare nequeunt, quin hoc loco Dominus (Iehouah) sit Deus Israëlis præditus essentia diuina. Quid ergo ait? *proijce*, inquit, *eam* (mercedem tuam) *ad figulum*, quo mandato significatur efficacitas diuinæ prouidentiæ, qua factum est, vt Iudas tactus pœnitentia tringenta argenteos

proiecerit in templum, iique à Sacerdotibus figulo dati sint. Addit Dominus, *Magnificum pretium quo appretiatus sum ab eis.* Potuit ne disertius dicere se fuisse à filiis Israël æstimatum triginta illis argenteis? æstimatus autem siue appretiatus non est Deus Pater, sed Christus. Christus igitur est Dominus (Iehouah) qui sic loquitur.

VIII. Reponent sine dubio, ipsum Deum dici eo pretio æstimatum, quia eo pretio æstimatus est eius seruus & filius Iesus Christus: ignominiam enim qua Christus affectus est, in ipsum Deum redundare. Quominus verò sic respondere possint obstat primò verbum *appretiatus sum.* Alia enim est appretiatio seu æstimatio serui, alia domini, alia filii, alia patris, terminatur enim æstimatio in persona æstimata. Dici quidem potestvnus ignominia affici quia alter afficitur, sed non dicetur appretiari quia alter appretiatur, & quidem illo ipso pretio eodem numero quo alter appretiatur, est enim sua cuiusque personæ, vt propria vita, sic propria æstimatio, proprium pretium quo æstimatur.

IX. Alioqui nihil erit proprium Christi quod Deo Patri eodem modo tribui non possit. Nam, si triginta argenteis æstimatus fuit à Iudæis Deus Pater, certè etiam proditus est à Iuda, atque adeo vinctus deductus est ad pontificem primùm, deinde ad Pilatum, damnatus est, cruci affixus est, mortuus est, sepultus est, resurrexit, &c. Hoc si non placet Aduersariis, reddant rationem, cur Deus Pater appretiatus dici possit à Iudæis triginta argenteis, proditus verò, vinctus, damnatus, &c. dici non possit. Nulla enim mihi apparet.

X. Hoc idem confirmat oppositio quam Dominus instituit inter vilitatẽ pretii æstimationis & dignitatem personæ æstimatæ. *Magnificum*, inquit, *pretium quo appretiatus sum à filijs Israel.* Quibus verbis ironicè, & non sine aliqua significatione indignationis, exiguitatem & vilitatem illius pretii exaggerat ducto à sua ipsius appretiati summa dignitate argumento. Triginta argentei erant pretium quo æstimabatur seruus, vel ancilla, à boue cornupeta occisus, persona omnium vilissima; Exod. 21. 32. Qui hoc pretio æstimatus est à filiis Israël est Dominus, Iehouah, persona omnium dignissima. Hinc æstimationis illius summa iniquitas atque indignitas. Perinde enim Deus loquitur ac si diceret, si me

voluerunt appretiare, (liceat enim nobis eo verbo vti cum antiquo interprete latino,) debuit saltem pretium esse magnificum, & valore atque magnificentia meæ dignitati aliquo modo respondere. Contrà verò illi me non pluris æstimauerunt quàm vilem aliquem seruulum, aut ancillulam. Hanc tantam oppositionem & exaggerationem quis non videt perire, si contra diserta ipsius Dei verba appretiatus dicitur non ipse Dominus, sed alius ab eo separatus, toto genere diuersus, ac longè inferior dignitate: quippe qui, docentibus Aduersariis, nihil nisi creatura, nihil nisi homo sanctus erat, deposita aduentitia quadam Deì forma, tunc existens tantùm in forma serui? Adde quod ex duabus istis rebus inter se oppositis, vilitate pretii, & dignitate personæ eo pretio æstimatæ, alteram constat qualis hîc dicitur, talem, immò eandem, reuera fuisse, absque vlla mutatione additione aut detractione: triginta enim argenteis, vt est apud Zachariam, non pluris nec minoris, æstimatus est Dominus noster; cur igitur non credamus similiter alteram, nempe dignitatem personæ æstimatæ, eandem quoque fuisse, non autem multò minorem? Si pretium est idem, si æstimatores sunt iidem nempe οἱ ἀπὸ τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, annon consentaneum est, vt etiam æstimatus sit idem?

XI. Si quis nobis obijciat, eundem esse non posse. Qui enim apud Zachariam eo pretio æstimatum se dicit, Deum Patrem esse. Respondebimus primò, hoc nihil obesse sententiæ nostræ. Credimus enim Patrem & Filium vnum esse essentia, atque adeò dignitate essentiali & naturali: ex quo sequitur, eatenus eandem esse vtriusque æstimationem, idem pretium. Respondebimus secundò, eum qui se triginta argenteis æstimatum ab Israëlitis dicit, ipsum Dei Filium esse. At alloquitur Filium, itaque Filius non est, sed Pater. Alloquitur Prophetam per μετασχηματισμὸν, referentem modò Filium Dei pascentem oues suas, modò Iudam paciscentem cum Iudæis de proditionis mercede, ac deinde acceptam mercedem proiicientem in Templum dandam figulo, non vasa testacea, quorum nullus erat vsus in templo, sed agrum emendi causa. Id enim cum ipsa res loquitur, tum Dominus innuit, cum ℣. 15. iubet Prophetam *adhuc sumere sibi vasa pastoris stulti*: significat enim eum iam antea sibi stulti pastoris vasa sumpsisse, cuius stulti pastoris? vtique proditoris Iudæ.



DISPVTATIO

SEPTIMA

De Arg. VII. Ex loco Zach. Cap. XII. ℣. 10. *Aspicient ad me quem transfixerunt*, laudato Ioh. XIX. 37. & Apoc. I. 7.

I. ALIVS apud eundem Zachariam Cap. 12. ℣. 10. extat admodum illustris locus, in quo Dominus (Iehouah) sic loquitur, *Effundam super Domum Dauid & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ & miserationum, & aspicient ad me quem transfixerunt*, &c. quem locum laudat, & de Christo exponit Apostolus & Euangelista Iohannes Euang. cap. 19. ℣. 37. *Et rursus alia Scriptura dicit, videbunt quem transfixerunt.* Et Apoc. I. 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum compunxerunt.* Ex quibus locis sic argumentor.

Ille, quem domus Dauid & habitatores Hierusalem dicuntur aspecturi & transfixisse Zach. 12. 10. est præditus essentia diuina.

Christus est ille, quem domus Dauid & habitatores Hierusalem dicuntur aspecturi & transfixisse Zach. 12. 10.

Ergo, Christus est præditus essentia diuina.

Major nititur disertis apud Zachariam ipsius Domini (Iehouah) spiritum gratiæ & miserationum, vel, vt habet vetus versio, precum in domum Dauidis & incolas Hierusalem effusuri, verbis. Minor nititur diserto Apostoli Iohannis testimonio. Neutra igitur negari potest.

II. Quid potuit responderi, nisi, aut textum Hebraicum Zachariæ corruptum esse, aut, si non est corruptus, malè versum esse, aut si benè sit versus, tamen non eam esse sententiam quàm verba præ se ferunt? Hæc igitur tria responderunt Aduersarij,

ſed tertium primò excogitaſſe videntur, deinde primùm, tandem ſecundum illis ſubminiſtrauit Marcus Marinus Brixianus Can. reg. D. Saluatoris. Quem eorum ordinem, ne ab eorum veſtigiis recedamus, ſequemur in tribus illis refellendis.

III. Primùm ait Socinus illa Zachariæ & Iohannis teſtimonia, *non probare, Chriſtum eſſe illum vnum Deum Iſraelis, non magis, quàm apud eundem Zachariam probent, Dei oculi pupillam eſſe populum Iudaicum, illa Dei verba*, Qui tangit vos (*id eſt, populum Iudaicum*) tangit pupillam oculi eius; *aut quàm apud Lucam in Actis Apoſtolorum probent, Ieſu Nazareni cultores, eſſe ipſum Ieſum Nazarenum, verba illa ipſius Ieſu ad Paulum adhuc Saulum*, Saule Saule quid me perſequeris? *&* *rurſus* Ego ſum Ieſus Nazarenus quem tu perſequeris; *aut denique non magis quam ſimiliter probent, Chriſti minimos, eſſe ipſum Chriſtum, verba illa, quæ ſe in die iudicij dicturum, ipſe Chriſtus teſtatur, ijs quos in poſſeſſionem cœleſtis regni eſt introducturus*, Eſuriui & dediſtis mihi manducare; ſitiui & dediſtis mihi bibere, &c. *Quis tam ſtupidus eſt, quin videat, his loquendi modis, non quidem eandem eſſentiam ſed ſummam coniunctionem & amorem ſignificari? Iam quis Deo coniunctior quàm Chriſtus homo, quis carior, aut fuit vnquam, aut eſſe poteſt, quamuis vtriuſque eſſentia ſit admodum diuerſa?*

Ref. 1. Reſp. Zach. 2. 8. Act. 9. 4. 5. Matth. 25. 35. 42.

IV. Vocemus ad examen hanc Socini reſponſionem. Exemplum è Zach. 2. 8. petitum, quod tanquam omnium maximè idoneum Socinus paulò pòſt repetit & valdè exaggerat, ad rem non eſt, Inſtituitur enim comparatio inter tangentem populum Dei & tangentem pupillam oculi Dei. Itaque pupilla oculi Dei apertè diſtinguitur à populo Dei, neque vlla arte poteſt inde legitimo ſyllogiſmo concludi, populum Dei eſſe pupillam oculi Dei, non magis quàm ex his Chriſti verbis, *Qui vos audit me audit*, &, *quodcunque ligaueritis in terra ligatum erit in cœlo*, concludi poteſt Apoſtolos eſſe ipſum Chriſtum, terram eſſe cœlum. Hîc verò nulla inſtituitur comparatio inter Deum & alium, inter confixionem alius, & confixiònem Dei, ſed ſimpliciter abſque vlla eiuſmodi comparatione Deus dicit, *adſpicient ad me quem confixerunt.* Itaque nullus alius intelligi poteſt aſpiciendus & confixus quàm Deus, ſtatque firma argumenti noſtri propoſitio, Ille qui dicitur Zach. 12. 10. ab incolis Hieruſalem aſpiciendus & confixus eſt Deus, cui ſimilis ex verbis, *qui vos tan-*

Luc. 10. 16. Matth. 18. 19.

git, tangit pupillam oculi eius, confici non poteſt. Adde quòd nunquam creditum eſt, populum Iudaicum eſſe pupillam oculi Dei, nec eſt quicquam in ſacris literis quo id probari poſſit: quocirca abſque vllo periculo talis locutio vſurpari potuit. At Chriſtum eſſe Deum diuina eſſentia prædi tum, & plerique omnes Chriſtiani crediderunt, ac credunt ſummo conſenſu, & ſcatuṙiunt è ſacris literis quæ id probent argumenta plurima, vt, ſi id error eſt, non potuerit non periculoſa eſſe ſic concepta Dei prædictio, *aſpicient ad me quem transfixerunt*.

V. Quare inepta eſt Socini interrogatio, *Cur*, inquit, *ſi per ſuum Angelum Deus olim monuit, quod qui tangeret populum Iudaicum, is tangeret pupillam oculi ſui; non potuit etiam dicere ſe configi ab illis qui Chriſtum configebant, quamuis Chriſtus non ſit vnus & idem eſſentia cum ipſo?* Nam ſi Deus dixiſſet, qui Chriſtum configit me configit, diſtinxiſſet ſe apertè à Chriſto, & ſignificaſſet duntaxat affectum ſuum & amorem erga Chriſtum. At Deus apud Zachariam eo loco non nominat Chriſtum, non diſtinguit ſe à Chriſto, non comparat transfixionem Chriſti cum ſua, non ſignificat qua mente, quo animo ſit erga Chriſtum. Tantum dicit incolas Hieruſalem ad ſe quem confixerunt aſpecturos Potuitne diſertius dici aſpiciendus & transfigendus? cum dicit *aſpicient ad me*, ſignificatne quàm ſibi charus eſſet futurus Chriſtus, quanto Chriſtum amore eſſet proſecuturus? tamen quàm dicit adſpicient ad me, tam dicit me confixerunt. Idem aſpectus & confixionis eſt in Dei verbis objectum.

VI. Haud melius quadrat ſecundum exemplum: Primùm quia quos perſequebatur Paulus Lucas diſertè nominauerat ℣. 1. & 2. diſcipulos nimirum Domini. Apud Zachariam verò quem transfixerint Iudæi, præter vnum Deum, nemo occurrit. Deinde quia Paulus, tunc Saulus, reuera perſequebatur Chriſtum, hoc eſt, Chriſti nomen, famam, doctrinam, religionem, diſcipulos, membra: ſcopus enim eius erat doctrinam religonem famam Eccleſiam, regnum denique Chriſti funditus abolere. Hoc ſi ipſum Chriſtum perſequi non eſt, quid ſit perſequi non intelligo.

VII. Tertium exemplum, *Eſuriui & dediſtis mihi manducare*, &c, quominus obſit argumento noſtro impediunt quædam, primò explicatio quam ipſe dominus ſtatim ſubjicit, *Amen dico vobis, quatenus feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*, ſignificans

sed tertium primò excogitasse videntur, deinde primum, tandem secundum illis subministrauit Marcus Marinus Brixianus Can. reg. D. Saluatoris. Quem eorum ordinem, ne ab eorum vestigijs recedamus, sequemur in tribus illis refellendis.

III. Primùm ait Socinus illa Zachariæ & Iohannis testimonia, *non probare, Christum esse illum vnum Deum Israëlis, non magis, quàm apud eundem Zachariam probent, Dei oculi pupillam esse populum Iudaicum, illa Dei verba,* Qui tangit vos (*id est, populum Iudaicum*) tangit pupillam oculi eius; *aut quàm apud Lucam in Actis Apostolorum probent, Iesu Nazareni cultores, esse ipsum Iesum Nazarenum, verba illa ipsius Iesu ad Paulum adhuc Saulum*, Saule Saule quid me persequeris? *& rursus* Ego sum Iesus Nazarenus quem tu persequeris; *aut denique non magis quam similiter probent, Christi minimos, esse ipsum Christum, verba illa, quæ se in die iudicij dicturum, ipse Christus testatur, ijs quos in possessionem cœlestis regni est introducturus,* Esuriui & dedistis mihi manducare; sitiui & dedistis mihi bibere, &c. *Quis tam stupidus est, quin videat, his loquendi modis, non quidem eandem essentiam sed summam coniunctionem & amorem significari? Iam quis Deo coniunctior quàm Christus homo, quis carior, aut fuit vnquam, aut esse potest, quamuis vtriusque essentia sit admodum diuersa?* Ref. 1. Resp. Zach. 2. 8. Act. 9. 4. 5. Matth. 25. 35. 42.

IV. Vocemus ad examen hanc Socini responsionem. Exemplum è Zach. 2. 8. petitum, quod, tanquam omnium maximè idoneum, Socinus paulò pòst repetit & valdè exaggerat, ad rem non est. Instituitur enim comparatio inter tangentem populum Dei & tangentem pupillam oculi Dei. Itaque pupilla oculi Dei apertè distinguitur à populo Dei, neque vlla arte potest inde legitimo syllogismo concludi, populum Dei esse pupillam oculi Dei, non magis quàm ex his Christi verbis, *Qui vos audit me audit*, &, *quodcunque ligaueritis in terra ligatum erit in cœlo*, concludi potest Apostolos esse ipsum Christum, terram esse cœlum. Hîc verò nulla instituitur comparatio inter Deum & alium, inter confixionem alius, & confixionem Dei, sed simpliciter absque vlla eiusmodi comparatione Deus dicit, *adspicient ad me quem confixerunt.* Itaque nullus alius intelligi potest aspiciendus & confixus quàm Deus, statque firma argumenti nostri propositio, *Ille qui dicitur Zach. 12. 10. ab incolis Hierusalem aspiciendus & confixus est Deus*, cui similis ex verbis, *qui vos tangit tangit pupil-* Luc. 10. 16. Matth. 18. 19.

lam oculi eius, confici non poteſt. Adde quod nunquàm creditum eſt, populum Iudaïcum eſſe pupillam oculi Dei, nec eſt quicquam in ſacris literis quo id probari poſſit: quocirca abſque vllo periculo talis locutio vſurpari potuit. At Chriſtum eſſe Deum diuina eſſentia prædıtum, & plerique omnes Chriſtiani crediderunt, ac credunt ſummo conſenſu, & ſcaturiunt è ſacris literis quæ id probent argumenta plurima, vt, ſi id error eſt, non potuerit non periculoſa eſſe ſic concepta Dei prædıctio, *aſpicient ad me quem transfixerunt.*

V. Quis etiam eſt tam ſtupidus, (vt ſua Socino verba reponam) quin videat, hoc loquendi modo; *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi Dei*, ſummam conjunctionem & amorem, quo Deus populum ſuum proſequebatur, ſignificari? ſenſus enim eſt apertus, qui vos tangit, grauiſſimè Deum offendit, Deo non minus vos chari eſtis, nec minus graue eſt vos lædi quàm vobis metipſis chara eſt pupilla oculorum veſtrorum, quàmque grauiter fertis, ſi quis eam tangat. At quis eſt, præter Aduerſarios, tam oculatus, tamque perſpicax, vt in hac propoſitione, *Aſpicient ad me quem confixerunt*, talem conjunctionem & amorem erga populum, vel perſonam à Deo diuerſam, ſignificari perſpiciat? Agnoſcant igitur Aduerſarij diſcrimen inter compoſitam illam enunciationem, *qui vos tangit tangit pupillam oculi eius*, & ſimplicem iſtam, *me confixerunt.* At configi Deus non poteſt. Diſtinguo: ratione naturæ diuinæ, concedo: ratione carnis in qua apparuit hominibus, nego. Quid enim prohibuit, quominus Deus pateſieret, ſeu, appareret in carne, vt ita loquar, configibili, qua ab hominibus per ſummum ſcelus confixa Deus diceretur confixus? Certè *verbum*, quod *erat Deus & caro factum eſt*, confixum eſt, non qua Deus, ſed qua caro.

VI. Quare inepta eſt Socini interrogatio, *Cur*, inquit, *ſi per ſuum Angelum Deus olim monuit, quod qui tangeret populum Iudaicum, is tangeret pupillam oculi ſui; non potuit etiam dicere ſe configi ab illis qui Chriſtum configebant, quamuis Chriſtus non ſit vnus & idem eſſentia cum ipſo?* Nam ſi Deus dixiſſet, qui Chriſtum configit me configit, diſtinxiſſet ſe apertè à Chriſto, & ſignificaſſet duntaxat affectum ſuum & amorem erga Chriſtum. At Deus apud Zachariam eo loco non nominat Chriſtum, non diſtinguit ſe à Chriſto, non comparat transfixionem Chriſti cum

ſua, non ſignificat qua mente, quo animo ſit erga Chriſtum. Tantùm dicit incolas Hieruſalem ad ſe quem confixerunt aſpecturos. potuit ne diſertius dici aſpiciendus & transfigendus ? cum dicit *aſpicient ad me*, ſignificatne quàm ſibi charus eſſet futurus Chriſtus, quanto Chriſtum amore eſſet proſecuturus ? tamen quàm dicit adſpicient ad me, tam dicit me confixerunt. Idem aſpectus & confixionis eſt in Dei verbis objectum. Quid ? An, quia ſcriptum eſt, qui tangit populum Iudajcum tangit pupillam oculi Dei, potuit Deus dici occidi ab illis qui occidebant Iudæos, abduci in captiuitatem ab illis qui abducebant in captiuitatem Iudæos ? Iudæi quidam Deo admodum chari & conjuncti, lapidati fuerunt, diſſecti, gladio cæſi, interfecti. Num igitur propterea dici potuit Deus abſolutè lapidatus, diſſectus, gladio cæſus, interfectus ? Non arbitror. Non ſic loquitur Scriptura, Non ſic loquuntur Theologi, Nec ſic loquentem facilè ferrent aures Chriſtianæ. Heb. 11. 37.

VII. Haud melius quadrat ſecundum exemplum: Primùm quia quos perſequebatur Paulus Lucas diſertè nominauerat ℣. 1. & 2. diſcipulos nimirum Domini. Apud Zachariam verò quem transfixerint Iudæi, præter vnum Deum, nemo occurrit. Deinde quia Paulus, tunc Saulus, reuera perſequebatur Chriſtum, hoc eſt, Chriſti nomen, famam, doctrinam, religionem, diſcipulos, membra: ſcopus enim eius erat doctrinam religionem famam Eccleſiam, regnum denique Chriſti funditus abolere. Hoc ſi ipſum Chriſtum perſequi non eſt, quid ſit perſequi non intelligo. Denique apud Zachariam non dicit Deus, *aſpicient ad me* quem perſecuti ſunt, ſed, *quem confixerunt*: quod verbum non ſimplipliciter perſecutionem, ſed certam quandam ſpeciem perſecutionis, immò certam quandam paſſionem à Iudæis illatam & à Deo receptam ſignificat. Qui diſcipulos Chriſti ſecuri percuſſerunt, igni combuſſerunt, vel eorum oſſa confregerunt, illi ſine dubio perſecuti ſunt Chriſtum. Nemo tamen propterea abſolutè dixerit, Chriſtum fuiſſe decollatum, combuſtum, eiuſque oſſa confracta.

VIII. Tertium exemplum, *Eſuriui & dediſtis mihi manducare*, &c, quominus obſit argumento noſtro impediunt quædam. Primò explicatio quam ipſe Dominus ſtatim ſubijcit, *Amen dico vobis, quatenus feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*,

eâ enim, & quis propriè esurierit declarat, & omnem errandi ansam à verbis suis remouet. Hîc verò apud *Zachariam* nulla vel præmittitur vel subiicitur explicatio. Nullus memoratur confixus præter Deum. Nihil est quod doceat, non ipsum Deum, in forma quæ configi posset apparentem, confixum fuisse, sed alium quendam Deo valdè charum. Deinde, actio in qua Christus versatur cum sic loquitur. Id enim agit, vt hominum opera æstimet, & quo loco & numero habeat, exponat. Quare mirum videri non debet, si phrasibus ad eam rem efficacissimis, ac officia charitatis nobis, quàm maximè fieri potuit, commendantibus vtatur. Apud *Zachariam* verò aliud agit. Docet enim quantam mutationem effectura sit in incolis Hierusalem effusio Spiritus gratiæ & precum. Nempe, inquit, *aspicient ad me quem confixerunt.* Cum antea me contumeliosissimè ac crudelissimè, tanquam blasphemum, impostorem, sceleratum, reiecissent, affixissent cruci, confixissent, ac confixum auersati essent, tunc aspicient ad me, conuertentur ad me, me Deum suum & Seruatorem suum agnoscent, quodque me ita tractarint ac confixerint cum plangore multo acerrimè dolebunt.

IX. Denique natura coniunctionis fidelium cum Christo. Sunt enim fratres & membra Christi, ac proinde eiusdem cum eo homine naturæ humanæ, nec-non eiusdem Spiritus sanctitatis & vitæ participes. Est autem mutua quædam inter membra eiusdem corporis συμπάθεια, & quicquid vnum membrum patitur, id ei cuius est membrum tribui solet. Dei verò & Christi, si tantùm homo fuit, dispar est ratio. Nam, si Scripturam consulis, nunquam Christus membrum Dei dicitur: aliena est hæc locutio à Scripturæ & theologorum stilo. Si rem ipsam. Christus tantùm homo plusquam specie, immò genere à Deo distat. Itaque non si membrorum Christi passiones prædicantur de Christo, consequitur, passiones Christi (si tantùm homo fuit, vt volunt Aduersarij) prædicari posse de Deo. Quanquam ne illa quidem Christi cum fidelibus conjunctio facit, vt Christus dici possit absolutè & sine explicatione, lapidatus, crematus, viuus sepultus, securi percussus, sæpius occisus, in puluerem aut cineres redactus, &c, quemadmodum Deus hoc loco dicitur à Iudæis confixus.

X. Ad tria illa exempla Smalcius alia duo adjecit. Vnum ex Apoc. 1. 7. Alterum ex Malach. 3. 8. In priore loco *affirmatur*,

inquit, *Quod Christum sit visurus omnis oculus, & quicunque (sic enim est in græco) eum pupugerunt. Ibi de solo Christo absolutè, absque vlla comparatione sermo est: & tamen certum est, id non de Christo, sed de eius populo intelligendum esse. De Christo enim solo dici non potest*, quicunque eum transfixerunt, *cùm tantùm vnus id fecerit, vel saltem semel tantùm id factum sit. Vox autem*, quicunque, *& multos fuisse, qui illum transfixerunt, & sæpius id accidisse, indicat.* Miseret me Smalcij tam malè ratiocinantis. Primùm nititur voce, *quicunque*, quæ non est in textu. Nam in versionibus est simplex *qui*, in græco ὅιτινες. ὅστις autem propriè significat *qui*, ac interdum *quisquis, quicunque*, sed raró in plurali, vt patet ex Eph. 3. 13. Heb. 10. 11. Col. 3. 23. &c. Sed fac vocem illam extare in ipso textu, quid inde sequitur? *Tantùm vnus*, inquit, *transfixit Christum.* Non dicam eum non fuisse vnioculum, non dicam esse enallagen numeri, dicam, tantùm vnum manu sua, sed multos iussu, consensu, approbatione Christum transfixisse, hos autem etiam ipsos transfixionis illius reos esse. Sic soli milites romani manibus proprijs Christum crucifixerunt, & tamen Iudæi Act. 2. 36. primores populi & Seniores Israëlis Act. 4. 10. Principes seculi huius 1. Cor. 2. 8. dicuntur eum crucifixisse: quia nimirum eorum vel autoritate, vel suasione, vel consensione, vel approbatione crucifixus fuit. Quod autem ait, vocem, *quicunque*, indicare sæpius id accidisse, refutatione non eget. Est enim homine rationis compote indigna assertio.

XI. Ad locum Malach. 3. 8. quod attinet, ibi, inquit Smalcius, *disertè bis dicitur, absolutè absque vlla comparatione, Deum fuisse confixum vel affixum vel spoliatum à populo suo, quia scilicet decimas non reddebat seruis Dei.* Eligat, quæso Smalcius, ex tribus illis vocibus, *confixum vel affixum vel spoliatum*, quam volet. Si vltimam, *spoliatum*, nihil nobis nocet hic locus. Debebantur enim decimæ & primitiæ Deo: sed eas sibi oblatas Deus Sacerdotibus & Leuitis concedebat, vt in ipsius domo ipsi ministrarent. Itaque cum decimæ & primitiæ non soluebantur, iure suo spoliabatur Deus, nec non debito à Leuitis ministerio. Si superiores, *confixum vel affixum*, primùm nititur non textu hebræo, sed vulgata versione latina, quam esse corruptissimam ipse Smalcius hoc ipso loco contendit, (cap. scil. 23. de Verbi incarnati natura aduersus Smiglecium) Nam, & in Heb. est verbum קבע

quod in ſacris literis rapere, ſpoliare, omnium interpretum confeſſione, non autem configere vel affigere, ſignificat; & intelligi non poteſt, cur Deus ſe confixum vel affixum in decimis & primitijs dixiſſet. Adde quod explicationem ſtatim ſubjicit, cum addit, *in decimis & primitijs*, vt, ſiue affixus ſiue ſpoliatus dicatur, ambiguum eſſe non poſſit, quin id ſit intelligendum habita ratione decimarum & primitiarum.

XII. Vt igitur iam inoffenſo pede progrediamur, Quandoquidem Deus hoc Zachariæ loco transfixus vel confixus dicitur abſolutè, ſine comparatione vlla, ſine explicatione, ſine mentione vllius alius confixi, non poteſt id accipi de transfixione alterius à Deo tota natura diuerſi, ſed duntaxat de transfixione Dei apparentis in carne transfixionis capaci. Alioqui quid erit in Sacra Scriptura certi? quid tam diſertè & abſolutè de aliquo dici poterit, quod non transferatur ad alium ab eo qui volet vti hac arte & reſponſione Aduerſariorum? Quis etiam non videt eos, vim huius teſtimonij ab Apoſtolo Iohanne laudati, quantum in ipſis eſt, debilitare & frangere? Potuit enim, ſi illis creditur, Deus transfixus, dici, quia quidam è populo Iudaico ipſi chariſſimo transfixi fuerunt ante ortum Chriſti? Quid quod cauſæ nihil erit, cur Deus Pater, dici non poſſit abſolutè crucifixus, mortuus, ſepultus, à mortuis ſuſcitatus, &c? Is enim certè non magis transfixus fuit, quàm occiſus aut mortuus.

XIII. Adde loci huius circunſtantias eſſe eiuſmodi, vt conueniant Chriſto. *Effundam*, inquit, *ſuper domum Dauid & ſuper habitatores Hieruſalem ſpiritum gratiæ & precum.* Quis Spiritum illum effundit? Chriſtus. Noli mihi credere, crede Apoſtolo Petro. *Is ergo*, inquit, *dextra Dei ſublatus, & promiſſum*
Act. 2. 33. *Spiritum Sanctum adeptus à Patre, effudit hoc, quod nunc videtis, & auditis.* Et quis alius baptiſat Spiritu Sancto & igne? quis
Ioh. 1. 33. alius mittit ad fideles Spiritum Sanctum? Addit, *& aſpicient ad*
Ioh. 16. 7. *me*, Num ad Patrem rectà, immediatè, ſine Filij interuentu? Non ſit veriſimile. Nam, ſi ad Patrem accedere & aſpicere poſſumus immediatè, quid opus fuit Mediatoris interuentu? & cur clamat Chriſtus, *Ego ſum via, veritas, & vita: nemo poteſt venire ad Patrem, niſi per me?* cur etiam Chriſtus fatigatos & oneratos ad ſe vocat, & non potius amandat ad Patrem immediatè? Cur ad ſe contemplandum peccatores inuitat promiſſione vitæ

æternæ & beatæ resurrectionis. Et non potius iubet eos rectà contemplari Patrem? Immò cur aliquoties illud inculcat, *qui me videt videt Patrem meum, qui me contemplatur contemplatur eum qui me misit*, nisi vt intelligamus, tum demum nos, vti par est, Deum aspicere & contemplari, cum oculos conuertimus ad Christum, in quo vno nobis est salus reposita? cum igitur salutaris aspectus intelligatur hoc loco, is immediatè fertur in Christum, eoque mediante in Patrem, quem aspicimus aspiciendo Christum. Subjungit, *quem transfixerunt*, quod cum Filij proprium sit, nec conueniat Patri, dubitari non sinit, quin qui loquitur sit Filius. Iunge simul ista tria, & quàm apposité fuerit hic locus de Christi transfixione ab Apostolo Iohanne expositus, statim deprehendes. Iuncta enim soli Dei Filio conueniunt, præterea nemini. Is enim solus & transfixus est à Iudæis, & in eos Spiritum gratiæ effudit & effundet, & is est ad quem transfixum aspicere omnes resipiscentes necesse est. Id quod subsecutus luctus maximus, nec tam externus quàm internus, nec tam ob alia peccata, quàm ob istam transfixionem, quæ synecdochicè totam Christi crucifixionem complectitur, confirmat. Docet enim agi de conuersione Iudæorum ad Christum aspiciendum & agnoscendum, qui quo dignior videbitur, eo crucifixio & transfixio eius grauius & atrocius peccatum fuisse cognoscetur. Ex quo sequitur, huius aspectus objectum esse Dominum gloriæ à Iudæis crucifixum: ac proinde eos ad eum aspecturos, quem propriè, non autem in aliena persona, transfixerunt.

XIV. Sic refutata est prima Socini responsio. Altera est, *quamuis apud Zachariam vulgò legantur vocula illa*, ad me, *in illis verbis*, & aspicient ad me quem confixerunt, *seu* compunxerunt; *tamen ex verbis Iohannis satis constare ipsius tempore, voculas istas in eo loco non fuisse lectas, aut certe à Iohanne locum istum ad Christum accommodatum fuisse, secundum eam lectionem quæ illas non haberet (cur enim alioquin eas planè omisisset?) adeò vt hîc de vno illo Deo verba non fierent.* Quid non audet hæreticus erroris tenax? Si minus potest sensum Scripturæ detorquere ad libitum, ipsam Scripturam adoritur, corruptionis insimulat, & verba, quibus reuincitur, inserta illi fuisse à Iudæis clamat. Dubitat tamen vtrum voculæ illæ abfuerint ab omnibus codicibus, an à quibusdam tantùm, & duæ fuerint lectiones, vna, quæ haberet, Refut. 2. Resp.

altera quæ non haberet illas voculas. Ad hoc refutandum nonne omnium codicum hæbræorum constans fides consensus autoritas sufficit abundè? Si contra fidem omnium codicum licet disputanti dicere, textus est corruptus, verba quæ contra me citantur olim aberant ab omnibus, vel saltem à multis codicibus, & ab hostibus religionis Christianæ addita sunt, quid erit certi? aut quæ erit controuersiarum norma? Demonstrent igitur, si possunt, Aduersarij Iohannis tempore voculas illas, aut non fuisse lectas, aut duas fuisse lectiones, alteram quæ illas haberet, alteram quæ omitteret.

XV. Id quidem Socinus duabus rationibus probare conatur, sed admodum infirmis, vna est, omissas esse illas voculas à Iohanne locum Zachariæ ad Christum accommodante. Quid tum postea? Quis nescit *Scripturas ab Euangelistis non iysdem prorsus verbis semper citari, sed interdum aliquid omitti, vel in aliud commutari*? Non valet igitur consequentia, Hæc vocula omissa est ab Euangelista. Ergo non extabat tunc temporis in textu hebræo. Hoc agnoscit Smalcius, *Sed*, addit, *huiusmodi omissiones vel mutationes sine causa nunquam fieri solere*. Fateor, verùm ea causa potest interdum nobis esse ignota. Vtinam omnium eiusmodi vel omissionum, vel mutationum rationes Aduersarij nobis exposuissent! Cur ergo Iohannes eas voculas omisisset? ratio nobis succurrit duplex. Id vnum agebat, vt locum illum Zachariæ de Christo exponendum esse doceret. Erant autem in illo loco aliæ quidem voces ad id docendum & probandum accommodatæ; aliæ non item. Illas expressit, has omisit; nec necessarias ad suum illum scopum, & quæ prioribus nondum consideratis aliò mentem lectoris abducere possent. Huic rationi aliam subjungo. Duo ex loco illo Zachariæ probari poterant. Transfixio & diuinitas Christi. Agebat autem Iohannes hoc loco de transfixione, non de diuinitate Christi. Itaque locum illum citat, quatenus accommodatus erat ad confirmandam transfixionem, omissis voculis ad solam diuinitatem probandam comparatis. Voculam autem duntaxat vnam omisit (pronomen scilicet ἐμὲ) facilè supplendam. *Aspicient in quem transfixerunt*, subintelligendum est pronomen, vel *me*, vel *eum*: quid facilius fuit, quàm ex textu Zachariæ subintelligere potius pronomen primæ personæ *me*, quàm tertiæ, *eum*?

XVI.

XVI. Altera Socini ratio petitur à verbis, quæ sequuntur apud Zachariam, *Et planget super eum, vt in planctu super vnigenitum; & mœrere (continget) super ipsum sicut mœrere (contingit) super primogenitum. Ex quibus verbis,* inquit Socinus, *apparet, non de eo ipso, qui loquitur, sed de alio suprà verba fieri, & sic redundare illud* ad me, *quod ibi legitur.* Non dicam pro *super eum,* legi posse *super hoc,* vt verterunt Tremellius & Iunius, & referri non ad personam transfixam, sed ad ipsum transfixionis factum, seu peccatum, causam tam acerbi luctus. Quid enim opus est, vt laborem in conquirenda responsione, cum ipse sibi pro me Socinus alibi respondeat. *Haud rarò* (inquit resp. ad 7. c. Vujeki class. 2. Arg. 7.) *apud prophetas Iehoua de seipso in tertia persona loquitur.* Quid igitur prohibuit quominus hoc loco, vt alibi *non rarò*, de seipso in tertia persona loqueretur? Hoc ipsum Smalcius confirmat de hoc ipso loco Zachariæ aduersus Smiglecium disputans cap. 23. *Non negari potest,* inquit, *Deum interdum persona mutatâ de seipso loqui in tertia persona.* Potuitne disertius hæc secunda Socini ratio dilui? tamen aliquid reponit Smalcius, *Sed hoc,* inquit, *non est pro regula aliqua communi habendum.* Neque etiam hoc volumus pro regula haberi: satis enim est ad infirmandam eorum rationem id fieri *interdum*, imò *haud rarò.* Addit, *& nonnisi tunc adhibendum; cum nullus alius modus datur intelligendi sacras literas, & cum ipsa res ita prorsus exigit.* Quasi verò vocem aliquam de textu sacrarum literarum tollere & aufferre sit modus intelligendi sacras literas.

XVII. Sed redeamus ad Socinum, is suam istam intolerabilem in sacris literis mutilandis audaciam calumnia cumulat. *Erat nimirum,* inquit, *hic locus, insignis de Iesu Nazareno clauis confixo, & lancea perfosso prædictio, & propterea Iudæos illum, ab ipso Euangelij initio corrupisse est admodum verissimile. Sicut similem locum corruperunt ps. 22. 17.* Summa Iudæorum in conseruanda Scriptura Veteris Testamenti diligentia, fides, religio, à multis Theologis antiquis & recentibus celebrata, gratiam potius & laudem merebatur, quàm hanc atrocem calumniam. Si autoritate certandum est, major est Hieronymi, Augustini, aliorumque grauissimorum Theologorum Iudæos ab hac accusatione defendentium quàm Socini accusantis auctoritas. Si consulitur experientia, plenum est Vetus Testamentum locis ad reuincendam in-

credulitatem Iudæorum idoneis, quos illi non corruperunt. Ipse ille locus Ps. 22. 17. quem citat Socinus ad eos purgandos valet: veram enim lectionem, quæ in sequiorem, non malitia Iudæorum sed similitudine figuræ literarum *Vau* & *Iod* degenerauit, non dissimularunt, sed ingenuè fassi sunt, & annotarunt.

XVIII. Fac tamen (quod verum non est) eos quosdam Scripturæ locos corrupisse; At profectò hunc non corruperunt. Primùm enim codice vsus est Euangelista noster non corrupto, teste Socino. Scripsit autem post alios Euangelistas. Erant igitur eo tempore codices aliqui non corrupti, & quidem penes Christianos. Quis igitur credat, Iudæos corrupisse codices Christianorum, quos in sua potestate non habebant, Christianis non reclamantibus, sed conniuentibus aut consentientibus potius. Nemo enim quod sciam, ante Socinum eos deprauati huius loci accusauerat. Deinde, Si hunc locum corruperunt Iudæi inserta voce אלי *ad me*, vtique eum corruperunt in gratiam Christi & fidei Christianæ. Quod quis credat? Nam non obstant voculæ illæ, quominus locus Zachariæ intelligi possit & debeat de Christo clauis confixo & hasta transfixo: inseruiunt autem multùm ad probandam Christi diuinitatem, quam Iudæi præfractè negant. Quid dico, non obstant? Immò cauent ne hic locus ad alium transferri possit. Etenim præter vnum Iesum Christum nullus alius fuit, estue, qui idem credatur & prædicetur simul, & Deus esse ac Spiritum gratiæ in homines effundere, & confixus à Iudæis fuisse. Impediunt ergo hæ voculæ ne vaticinij huius impletionem in alio, quàm in Iesu Christo, quæramus, causamque Christianorum, non minus aduersus Iudæos, quàm aduersus Socinum, iuuant.

Refut. 3. Resp. XIX. Venio nunc ad tertiam Socini Responsionem, quam Monachus ei subministrauit. *Addendum est*, inquit, *locum Zachar. cap. 12. Etiamsi hebraica lectio, quam hodie habemus, omnino incorrupta esse statuatur, posse tamen ex hebræo ita verti, vt nulla in eo, quemadmodum nec in loco apud Ioh. 19. Dei Israelis confixi mentio fiat. Hoc nimirum pacto*, Et aspicient ad me cum illo quem confixerunt. *Monuit huius rei nos Marcus Marinus D. Saluatoris canonicus regularis.* Si huius Monachi autoritate pugnat (quæ apud nos nulla est) ei omnium aliorum interpretum

antiquorum & recentium, (ex quibus sine dubio non pauci fuerũt æquè pij atque linguæ hebrææ periti ac fuit pontificius ille monachus) autoritatem opponimus. Respondet Smalcius pro more suo satis inconsideratè, *Plus vni interpreti, dum nulla est suspicio hæreseos tribui debere, quàm multis alijs, qui interpretes non sunt.* Nempe iudicio Smalcij iste vnus Monachus, qui dictionarium seu Thesaurum linguæ hebrææ scripsit, solus est interpres Scripturæ, reliqui omnes, quicunque olim & his postremis seculis diligenter & accuratè Scripturam interpretati sunt, interpretes non sunt. Egetne tam impudens & temeraria affirmatio vlla refutatione? Addit, *cum nihil excogitari possit, quod illum vnum ad istam interpretationem sequendam mouere potuerit, præter solam veritatem, quam ex diligenti verborum Prophetæ consideratione assecutus est. Reliquos verò dormitasse hîc dici potest, qui alienas interpretationes secuti potius sunt, quàm vel cogitarunt, vt suas sequerentur.* Cur tam præclarè sentit de isto monacho, & tam malè de omnibus interpretibus antiquis & recentibus? Non potuit canonicus ille studio nouitatis, aut aucupandæ ex ista subtilitate gloriolæ, induci, vt nouam illam huius loci versionem excogitaret, & proferret in lucem? Ac vt veritatis speciem secutus fuerit, non potuit falli? videbatne Smalcius eius animum? intereratne eius cogitationibus? An verò sic iudicat de eo tantùm ex charitate? Egregia profectò charitas vnum complexa Monachum, vt plurimos Patres & Theologos admodum pios & doctos, indicta causa, damnet! vnus ille vigilauit, quia excogitauit aliquid quod placeret Smalcio, Reliqui omnes dormitarunt, quia tale quid non excogitarunt. Piget me ista refutare, quæ hoc ipso quod proponuntur, satis ipsa per sese refelluntur.

XX. Si, seposita auctoritate hominum, rationem consulamus, Is, fatente Socino, nullam suæ interpretationis rationem attulit. Nullam etiam afferre potuit Socinus, præter illas duas, quas iam hac ipsa disputatione diluimus §. XV. & XVI. Sed age hoc commentum reuocemus ad examen. Primùm non congruit cum interpretatione Apostoli, qui non vertit, *aspicient cum eo quem transfixerunt*, sed, *aspicient in (me) quem transfixerunt.* Vtra quæso melior interpretatio, illa monachi pontificij, an hæc Apostoli Iohannis? Num etiam Apostolus cum reliquis omnibus interpretibus dormitauit? Cur igitur maluit vertere *in quem,*

quàm, *cum quo*, vel *cum eo quem*, si hæc vera est & genuina illius loci versio? Cur etiam non addidit voculas, *ad me*, posita ista interpretatione prorsus necessarias? Nihil enim Euangelistæ loca Veteris Testamenti citantes omittunt aut mutant sine causa. Reddant igitur nobis Aduersarij huiusmodi omissionis & mutationis, posita Marci Marini interpretatione, rationes: quas enim omissi pronominis primæ personæ reddidimus §. xv. ad nostram interpretationem, minimè verò ad nouitium istud inuentum, accommodatæ fuerunt.

XXI. Deinde non bene conuenit isti versioni cum textu hebræo, qui sic habet, והביטו אלי את אשר דקרו. Nam את hoc loco non potest accipi pro præpositione עם *cum*, vt fit interdum, sed, qui proprius eius maximèque frequens est vsus, nota est accusatiui casus. Id hoc argumento concludo. Vbicunque vocula את iungitur cum accusatiuo verbi actiui, ibi non est præpositio *cum*, sed nota accusatiui casus. Hìc autem iungitur cum accusatiuo verbi actiui. Hìc igitur non est præpositio *cum*, sed nota accusatiui casus. Major probatur inductione omnium locorum, in quibus vocula illa iuncta cum accusatiuo verbi alicuius actiui occurrit; nec potest contraria instantia refelli. Minor manifesta est. את enim iungitur hoc loco cum אשר, qui est accusatiuus verbi actiui דקרו. Nihil enim aliud est cum quo iungatur. Non autem, opinor, dicent Aduersarij, præpositionem copulatiuam poni hoc loco per se & solitariè, nec habere quocum iungatur aut construatur: adeò id cum per se absurdum est, tum grammaticæ, & omnium autorum, nedum Scripturæ, consuetudini repugnans.

XXII. Sed, vt ineptæ huius versionis absurditas magis pateat, quid ea posita את אשר significent videamus. את significabit *cum*, אשר quid? *quo*? sententia igitur erit, *Aspicient ad me cum quo confixerunt*. Versio apertè absurda, & cum Grammaticæ legibus pugnans. Num ergo significabit *quem*? sententia igitur erit, *Aspicient ad me cum quem confixerunt*, constructio æquè aut magis quàm præcedens inepta. Dicent esse ellipsin pronominis *eo*. Facilis responsio, Sed an vnquam talem Ellipsin obseruarunt in Scriptura, aut in probato aliquo autore? Quisquamne vnquam dixit *cum quem*, pro, *cum eo quem*? Quisquamne vnquam præpositionem, *cum*, vsurpauit non expresso vllo modo

vel nomine, vel pronomine, quocum illa construi deberet?

XXIII. Non modo pugnat illa versio cum interpretatione Apostoli, & verborum legitima constructione, sed etiam cum ipsa re, quam significatam Deus voluit. Quis enim potest esse sensus istius propositionis, *Aspicient ad me cum eo quem transfixerunt*, nisi hic, Illi & is quem transfixerunt, vel, illi vna cum eo quem transfixerunt ad me aspicient? Qui sensus apertè pugnat cum Dei loquentis mente, & Apostoli interpretatione, *aspicient in quem transfixerunt*. Proponitur enim is quem transfixerunt, tanquam aspiciendus, non tanquam aspecturus. Dicet fortè aliquis verba, *cum eo quem*, &c. iungi debere, non cum nominatiuo verbi *aspicient*, sed cum accusatiuo *me*. Primùm quomodo id probabunt Aduersarij? Autoritate Apostoli? Iam ostendimus versionem Apostoli cum ista versione Aduersariorum nostrorum non congruere. Addo ea admissa destitui Apostolum ratione, qua probet, quod ex Zacharia transcripsit contineri in textu Zachariæ. Deinde nescio an eiusmodi conjunctionis seu constructionis exemplum vllum proferri possit.

XXIV. Sed fac (quod non credo) aliquod exemplum proferri posse, rursus erit Ellipsis in textu Zachariȩ: supplendum enim erit aliquid, *Aspicient ad me* existentem, vel sedentem, vel apparentem *cum eo quem transfixerunt*. Nam quid sit præcisè quod sit supplendum ambiguum erit, ac proinde incertum, an is quem transfixerunt proponatur vt aspectus objectum. Quod si voluisset Deus sese ab eo, quem transfixerunt Iudæi, distinguere, seque & illum ab illis aspiciendum dicere, quis credat eum non fuisse dicturum potius, *aspicient* אלי ואלו *ad me & ad eum, quem transfixerunt*, quàm, *aspicient ad me cum eo quem transfixerunt?* Sic enim mentem suam & clarius & certius & congruenter stilo Scripturæ significasset. Iudicet iam lector, an verum sit quod affirmauit Smalcius, vnum Marcum Marinum vigilasse, reliquos omnes interpretes dormitasse hoc loco.

XXV. Cæterum, vt omnis eximatur scrupulus, obseruo, notam accusatiui casus adhibitam fuisse hoc loco prudenter, vt alibi passim, vitandæ ambiguitatis causa. Relatiuum enim אשר ea absente verti potuisset *qui*, & referri ad incolas Hierusalem, *Aspicient ad me qui transfixerunt*: Eâ verò præfixa reddi non potest nisi per accusatiuum *quem*, nec referri nisi ad pronomen *me*, *Aspicient ad me quem transfixerunt*.



DISPVTATIO OCTAVA.

De Arg. VIII. Ex Malach. Cap. III. ℣. 1. *Ecce Ego mitto angelum (seu nuncium) meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Collato cum Matth. 11. 10. Marc. 1. 2. Luc. 1. 76. &c.

I. ARGVMENTVM sic habet. Ille ante cuius faciem vt viam præpararet, mittendus dicitur Angelus, hoc est, Iohannes Baptista, Malach. 3. 1. est Deus Israëlis.

Christus est ille ante cuius faciem, vt viam præpararet, mittendus dicitur Angelus, hoc est, Iohannes Baptista, Malach. 3. 1.

Christus igitur est Deus Israëlis. Major nititur loco Malach. 3. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Qui enim loquitur est Deus Israëlis. Id quod, & connexio illorum verborum cum antecedentibus & consequentibus; Et *Domini exercituum*. quo insignitur, elogium; & nomen κύριος sine articulo, quo eum Zacharias Luc. 1. 76. appellat, satis docent, & Socinus vltrò fatetur. Minor nititur testimonio ipsius Domini Matth. XI. 10. *Hic enim est de quo scriptum est, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te.* Constat enim eum, & per Angelum illum seu nuncium Iohannem Baptistam intelligere, & per pronomen *te*, Christum, hoc est, seipsum. Id autem alibi scriptum non est quàm in isto Malachiæ loco. Hoc ergo in loco Malachiæ dicitur Iohannes Baptista mittendus, vt præpararet viam ante faciem Christi. Ve-

ra igitur est conclusio.

II. Ad hoc argumentum ita formatum quid respondeant Aduersarij conabor ex Socini verbis promere. Ad Majorem nihil dici posse videtur, nisi, aut qui loquitur apud Malachiam Deum Israëlis non esse, aut textum esse corruptum, & loco pronominis primæ personæ *me*, debere esse pronomen secundæ *te*. Prius nec dicunt, nec dicere possunt, adeò manifestum est, ipsum Deum esse, qui inducitur dicens, *Ecce mitto nuncium meum*, &c. Posterius Socinus propè asserit his verbis, *Non planè constat*, inquit, *Malachiæ prophetiam, vt nunc quidem legitur, in Christo impletam fuiße, nec Christus id sanè dicit; immò ipse aliter eam citat, & non* ante faciem meam, *sed*, ante te, *&* ante faciem tuam, *legit. Id quod non tantùm apud Matthæum facit, sed apud Lucam quoque cap. 7. 27. Nec est dicendum, Christum ita legere, vt ostenderet, quomodo ipse interpretaretur illud*, ante faciem meam, *sed necesse est confiteri, ita tunc temporis in vulgatis codicibus scriptum extitiße.* Si tunc temporis ita scriptum erat in vulgatis codicibus, quî factum est, vt hodie in nullis prorsus codicibus ita scriptum extet? vel omnes codices tunc habebant *ante faciem tuam*, vel aliqui tantùm. Si prius, corrupti sunt omnes codices. Si posterius, lectio à Christo & Euangelistis probata periit; quam verò illi non probarunt, ea omnes codices inuasit. A quo id factum est? à Iudæis? quî potuerunt codices Christianorum pro libitu mutare? quî ab eis corrumpi suos codices passi sunt Christiani? A Christianis? quî potuerunt Christiani ita amentes esse, vt loca Veteris Testamenti laudata ab Euangelistis ac transcripta, qualia tunc temporis in vulgatis codicibus extabant, mutarent ac corrumperent? Si quoties in locis Veteris Testamenti, quæ Euangelistæ & Apostoli laudarunt, verba aliqua omissa, aut addita, aut mutata videntur, toties necesse esset fateri, ita tunc temporis in vulgatis codicibus scriptum extitisse, multum differrent nostri codices hodierni ab antiquis illis, quos Christus & Apostoli Ecclesiæ commendarunt. Nam si loca citata in Nouo Testamento postea corrupta fuerunt, quid erit de non citatis existimandum? Quorsum igitur spectant temerariæ istæ Socini assertiones, nisi, vt omnium codicum hodiernorum integritas & autoritas in dubium vocetur? Id quod fieri non potest, nisi calumniosè criminando Iudæos, & Christianos, immò ipsam Dei prouidentiam,

III. Quid igitur, inquiet aliquis, causæ fuit, cur Euangelistæ & Apostoli Scripturas citantes vocem aliquam interdum omiserint, addiderint, aut mutauerint? primò ne viderentur dum scriberent, loca Scripturæ, vt nos humano consilio scribentes facimus, consuluisse ac inspexisse, sed, prout decebat majore, quàm fuerunt olim Moses & Prophetæ, autoritate præditos, ac Dei mentem perfectè tenentes, memoriter & liberius recitasse. Deinde, vt Scripturas citando interpretarentur, sensumque earum genuinum insinuarent. Denique, vt mentes nostras acuerent & excitarent ad loca Prophetarum diligentius expendenda, necnon ad eiusmodi mutationum rationes inquirendas, id quod quàm sit nobis vel necessarium uel vtile, ipsi quotidie experimur.

IV. Sed cur Dominus mutare voluisset hoc loco *me* in *te?* vt suam ipsius, qui apud Malachiam loquitur, mentem aperiret, & clarius exprimeret. Id enim operam dabat, vt probaret Iohannem Baptistam esse non modò prophetam, sed plusquam prophetam. Affert autem pro argumento hoc testimonium. ***Hic est enim***, inquit, ***de quo scriptum est, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.*** Ex quo liquet Iohannem prophetis fuisse præstantiorem, primò, quia communi cum Sanctis Angelis elogio ornatur Angeli Dei. Deinde, quia munus eius describitur tanquam præstantius munere prophetarum. Hos enim inter & Christum aliquot seculorum interpositum est interuallum, Iohannes verò Baptista ante eum immediatè processit, tam parua distantia, vt eum post se venientem digito monstraret, eique festinanter viam pararet. Id quod apud Malachiam insinuatur obscurius verbis, ***vt præparet viam ante faciem meam***, non distincta persona Christi à persona Dei Patris quo fit vt nihil verbis illis significari primo aspectu videatur, quod non conueniat aliquomodo reliquis prophetis. Itaque Dominus, vt Iohannis munus clarius exprimeret, lucemque illi loco aspergeret, personam suam cum Patris persona eo loco, vt fit alibi sæpe, ob essentiæ vnitatem confusam, ab ea distinxit, mutato pronomine primæ personæ, quod æquè ad Patrem atque ad Filium referri posse videbatur, in pronomen secundæ personæ, additis etiam vberioris lucis causa vocibus *πρὸ προσώπου σου* ***ante faciem tuam.*** Atque ita personam suam, quæ confusè significabatur communi pronomine ***me***, recitando locum illum distinctè

distinctè expressit verbis *Ego mitto angelum meum*, quæ communiter de Patre & Filio intelligi poterant, Patri attributis. Hinc fit vt conferentes locum Malachiæ cum eius expositione quam Dominus tradidit, ex illo vnitatem essentiæ, ex hac distinctionem personarũ Patris & Filij; ex illo Dominũ esse eundem Deum cum Patre, ex hac Dominum esse distinctam à Patre personam colligamus, qui vsus vix percipi potuisset ex eo loco, si Christus pronomen primæ personæ retinuisset. Nihil est igitur, quamobrem corruptum velint Aduersarij hunc locum in omnibus codicibus hebræis hodiernis, nec-non in omnibus versionibus, præter hoc vnum, quoniam dogmati eorum vel potius errori repugnat, quæ causa si recipitur, quis error non poterit defendi? ad eum enim tanquam ad normam ipsa Scriptura exigetur, non ipse ad Scripturam.

V. Repudiata igitur illa responsione videamus quid possit ad huc ab Aduersarijs responderi. Aut pronomine primæ personæ apud Malachiam & pronomine secundæ personæ apud Matthæum eadem persona significatur, aut non eadem. Si prius, ea persona, vel Patris persona est, vel Filij. Si Patris, Pater suam ipsius personam in vna simplici enunciatione duobus pronominibus, vno primæ, altero secundæ personæ designat, *Ego mitto angelum meum ante faciem tuam*, quod quis credere possit? *meum* scilicet & *tuam* ad eandem personam referri? Si Filij, habemus quod volumus, personam Filij significatam esse pronomine *meam* in his Dei verbis apud Malachiam, *Ego mitto angelum meum, qui præparet viam ante faciem meam.* Constat enim pronomen illud *meam* eo loco Deum Israëlis significare. Si non eadem persona significatur, necesse est, vt apud Malachiam persona Patris, apud Matthæum persona Filij significetur, quo posito sequitur absurdum, Dominum, etiamsi id disertis verbis profiteatur apud Matthæum & Lucam, tamen id non recitare quod scriptum est apud Malachiam. Duæ enim istæ enunciationes, præparabit viam ante faciem Dei Patris, & præparabit viam ante faciem Christi, inter se valdè differunt. Deus enim Pater & Christus, si fides habetur Aduersarijs, totis naturis differunt. Præparauit autem Iohannes uiam ante faciem Christi, quatenus ante eum proximè sequentem processit, cum iam iam aduentare, immò adesse prædicauit, de eo testimonium dixit, eum digito ostendit, discipulosque suos ad eum post se venientem, vti par est,

recipiendum præparauit: quo certè modo viam ante faciem Dei Patris non præparauit. Sunt igitur illæ enunciationes, quarum altera esset apud Malachiam, altera apud Matthæum, seu personas seu rem spectes, admodum diuersæ. Id quod ipse Socinus confiteri videtur, cum ait, *Citra Christi personam meritò dici posse, Iohannem Deo ipsi, siue ante Deum ipsum viam parasse, qui populum venit moniturus, vt pœnitentiam agerent, & ad Deum conuerterentur, iam enim Dei iudicium instare.* Si quod scriptum est apud Malachiam, non modo de alia persona quàm de Christo, scriptum est, sed etiam uerum est, & dici potuit citra personam Christi, consequens est, quod de sua persona Christus dicit, id nullo modo scriptum esse apud Malachiam; quandoquidem, neque totidem verbis ibi scriptum est, neque ex eo quod ibi scriptum est, potest deduci necessaria consequentia. Quid est ipsi Christo contradicere, si hoc non est?

VI. Quid possit responderi non occurrit: Nam quæ duo respondit Socinus, ea ab argumento nostro sic concepto aberrant. Dixit enim primò, *Iohannem ante faciem non modo Christi, sed alterius etiam, hoc est, Dei ipsius viam parauisse.* Fac ita esse. Hoc nihil facit ad infirmandum argumentum nostrum, quod non *sumit pro concesso Iohannem non præparasse viam ante faciem vllius, præterquam Christi*, sed nititur diserto Christi testimonio affirmantis scriptum esse in eo loco Malachiæ, *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam, ante te.* Id quod tamen scriptum in eo loco non est, si alia persona significatur apud Malachiam verbis *ante faciem meam*, alia apud Matthæum verbis *ante faciem tuam.* Vnde concludo, nisi velimus contradicere Christo, hoc est, ipsi veritati, confitendum esse eandem personam vtroque illo pronomine significari. Constat autem in verbis *ante faciem tuam*, per *tuam* Christum intelligi, & in verbis *ante faciem meam*, per *meam* Deum Israëlis. Confitendum igitur est personam Christi eandem esse Deum Israëlis.

VII. Adde quod si apud Malachiam verbis, *ante faciem meam*, persona Patris significatur, & præparatio viæ ante eius faciem, quæ citra personam Christi meritò dici potuerit, in eo sita, quod Iohannes populum venit moniturus, vt pœnitentiam agerent, & ad Deum conuerterentur, vt dicebat Socinus, non fuerunt verba

illa accommodata ad probandum, Iohannem fuisse plusquam prophetam; Id quod tamen vt probaret, Dominus verba illa citauit. Quis enim prophetarum missus non fuit vt populum moneret, vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum? Cum igitur negari non possit, quin Dominus ratiocinatus sit optimè, fatendum est ea præparatione significari, non id solum, quod Socinus dixit commune omnium prophetarum, sed peculiare quiddam, quod alijs prophetis tributum non est, quorum munus nunquam sic exprimitur (quantum quidem meminisse possum) in sacris literis,

VIII. Expositionem Domini nostri Iesu Christi, sententiamque nostram confirmat Angelus Gabriel Luc. 1. ℣. 17. munus Iohannis Baptistæ prædicens. *Et ipse*, inquit, *pracedet ante illum in spiritu & virtute Elia.* Intelligit autem per *illum*, vt patet ex verbis immediatè antecedentibus, *κύριον τὸν θεὸν αὐτῶν Dominum Deum Israelis.* Illud *pracedet*, seu *praibit* προελεύσεται apertè innuit, eum ante quem præiturus erat sequuturum, ac post eum statim venturum. Quis ergo post Iohannem Baptistam venit? Pater? non certè qua distinguitur à Filio, sed Filius duntaxat. Non præcessit igitur Iohannes ante Patrem, sed ante Filium. Præcessit tamen ante Dominum Deum Israëlis. Ergo Filius est Dominus Deus Israëlis.

IX. Hinc quoque expositionem confirmat Zacharias Luc. 1. ℣. 76. *praibis*, inquit, *ante faciem Domini vt pares vias eius.* Dominus intelligitur, Socino confitente immò probante, Deus Israëlis. Intelligitur autem non Pater sed Filius. Id patet ex verbo quo vtitur. Nam, vt Angelus non dixerat ἐλεύσεται, sed προελεύσεται, sic non dicit Zacharias πορεύσῃ *ibit*, sed προπορεύσῃ πρὸ προσώπου κυρίου *praibit ante faciem Domini.* Hæc prægressio, seu antecessio sine dubio relationem dicit ad personam pòst venientem. Quænam autem persona post Iohannem venit? certè persona Christi, non autem Patris. Nullibi enim scriptum est Patrem venisse post Iohannem. Hoc de vno Filio Dei dicitur constanter, nunquam de Patre. Non venit in mundum Pater, sed missus à Patre vnigenitus eius Filius. Filius igitur est ille Dominus, cuius ante faciem præiuit Iohannes, ac proinde est Deus Israëlis.

X. Id ipsum locus Malachiæ non obscurè innuit. Nam post verba, *Ecce ego mitto Angelum meum & praparabit viam ante fa-*

ciem meam, ſequũntur iſta, *& ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator quem vos quæritis.* Ex quibus patet hunc angelum ſeu nuncium viam fuiſſe præparaturum ante faciem venientis poſt ipſum dominatoris. Quis autem eſt ille dominator? Pater qua diſtinguitur à Filio? Nullo modo, vocatur enim verbis ſequentibus *Angelus fœderis*, quod nomen Patri non conuenit. Eſt igitur ſine vlla dubitatione Filius, id quod etiam Socinus confitetur. Idem etiam ille Dominator eſt Deus: Alioquin alius eſſet is cuius ante faciem viam præpararet iſte nuncius, alius is Dominator qui poſt eum viam præparantem veniret, quod non fit vllo modo veriſſimile.

XI. Adde quod iſte Dominator primùm vocatur abſolutè & ſine limitatione אדון, quod nomen abſolutè poſitum vnum eſt ex nominibus Dei Iſraëlis. Deinde Additur, *Quem vos quæritis.* Quem autem Dominatorem ſeu Dominum quærebant? Conſtat eos quæſiuiſſe Deum Iſraëlis. Alium quæſiuiſſe non conſtat, quæritur porrò magis propriè is qui eſt, quàm is qui prorſus non eſt. Denique tribuitur ei templum, id quod eſt proprium numinis, *veniet*, inquit, *in templum ſuum.* Reſpondet Socinus, *vocem hebræam* Hechal, *quæ apud Malachiam in loco iſto reddita eſt* Templum, *propriè ſignificare Regiam & per tranſlationem ad templum quoque ſignificandum, quippe quod diuini numinis Regia eſſe cenſeatur, vſurpatam fuiſſe.* Et citat duos locos 3. Reg. 21. 4. & Dan. 1. 4. in quibus vox Hechal de Regia Achabi & Nebucadnezaris, regum idololatrarum, ac fortè diuinitatis aliquam famam aucupantium, vſurpatur. In quo miror hominis iudicium propriam illius vocis ſignificationem potius ex quinque aut ſex locis in quibus regiam ſignificat, quàm ex ſeptuaginta locis in quibus ſignificat templum, metientis. Fac tamen hanc vocem propriè ſignificare Regiam. Annon vt Patris, ſic Filij regia templum eſt? Si vtriuſque idem eſt populus, eadem Eccleſia, idem regnum idem Thronus, annon etiam eadem eſt regia, idem templum? Dicant igitur nobis Aduerſarij quæ fuerit Chriſti regia in quam venit. Templum Hieroſolymitanum? Id ſolius Dei Iſraëlis, templum ſeu regia fuit. Eccleſia, templum viuum ex viuis lapi-
Heb. 3. 6. dibus extructum? Hæc verò longè præſtat templo Heroſolymitano. Cœlum? Hoc quoque corpus eſt cuius templum Hieroſolymitanum vmbra fuit. Si igitur Filius Dei dominus eſt corpo-

ris, quanto magis vmbræ? Et, si nemo fuit vmbræ dominus præter Deum Israëlis, certè Christus est Deus Israelis, quippe qui non solùm vmbræ, sed corporis etiam & veritatis Dominus fuit, estque hodie, eritque in æternum.

XII. Altera Socini responsio sic se habet. *Quamuis*, inquit, *alius sit ipse Deus, alius verò Christus; nihil impedit, quominus eo ipso, quod Iohannes viam ante Christi faciem parauit, ante ipsius Dei faciem quoque parauerit.* Primùm fac ità esse, nondum intelligo quid id faciat ad soluendum argumentum nostrum, quemadmodum à nobis conceptum est, aut infirmandas eas rationes quibus illud confirmauimus. Non enim efficit hæc responsio, vt apud Prophetam pronomen *meam*, simul Deum & Christum significet, si Christus non est Deus; nec impedit quominus verba Dei apud Prophetam *citra Christi personam meritò*, vt modò affirmabat Socinus, *dici potuerint*. Neruum igitur argumenti non tangit. Deinde, Si Deus & Christus totis naturis seu substantijs differunt, non capio, quomodo Iohannes eo ipso, quod viam ante Christi faciem parauit, ante ipsius Dei faciem quoque parauerit: viam enim ante faciem Christi parauit, tanquam eius præcursor, seu anteambulo, quomodo viam ante faciem ipsius Dei non parauit. Cur enim, aut qua ratione, viam parasset ante faciem illius, qui post eum non veniebat? præparatio enim viæ ante faciem alicuius, eum venire arguit. Aut igitur post Iohannem Baptistam venit ipse Deus, aut non venit. Si non venit, viam ante faciem eius Iohannes non parauit. Si venit, Christus est ipse Deus. Pater enim certè quidem non venit.

XIII. Suam tamen istam affirmationem Socinus ratione confirmat. *Nempe quia*, inquit, *Christus ipsius Dei personam, idque omnium excellentissima ratione, in suo munere in terris obeundo, sustinuit.* Hoc quale sit non explicat, Ego verò non satis intelligo. Sustinet personam regis, iudicis, Philosophi, Rex, Iudex, Philosophus, sed tanquam suam, Num sic ipsius Dei personam Christus sustinuit? fuit igitur ipse Deus. Sustinet alienam Regis personam histrio in scena. Non putant, opinor, Aduersarij sic Christum Dei ipsius personam sustinuisse, qui si eam sic sustinuisset, tam dici potuisset ipse Deus, Deus summus, Deus Pater, quàm histrio dicitur rex, cum regis partes agit in fabula. Quid igitur tandem sibi hac phrasi volunt Aduersarij? Christum

non suo sed ipsius Dei nomine venisse, tanquam eius legatum & ministrum, qui nihil diceret faceretue, nisi ab eo mandatum? Hoc verò est, non ipsius Dei, sed legati, ministri, prophetæ, doctoris, Mediatoris denique inter Deum & homines personam sustinere.


XIV. Sed missa phrasi rem ipsam spectemus. Esto aliquis legatus missus in prouinciam à Rege. Eum præcedat anteambulo, qui viam ei paret. Num hic dicetur præire Regi, aut parare viam ante faciem Regis? Num Rex ad prouinciæ illius incolas his aut similibus verbis scribet, Ecce mitto ante me nuncium meum vt præparet viam ante faciem meam, si nolit ipse venire, sed suum duntaxat legatum? quàm enim legatus regis non est ipse Rex, tam ipse rex non venit hoc ipso quod venit eius legatus; quàm autem ipse Rex non venit, tam ei non præit, nec parat viam anteambulo legati.

XV. At *Deus in Christo fuisse dicitur tunc, cum Christus in terris munus suum obibat* 2. *Cor.* 5. 19. Quid tum? Nonne etiam Christus fuit in Apostolis & fidelibus? Num igitur hoc ipso quod quis præiuit Apostolo vel fideli præiuit Christo? Erat Deus pater in Christo, & tamen Christus non erat Deus Pater. Venit
Ioh. 20. 20. 23. & 17. 23. 26. in carne Christus, non venit in carne Deus Pater. Ambulauit Christus iuxta mare, circumiuit totam galileam, professus est se esse Filium Dei missum à Patre, accusatus est, damnatus, cruci affixus, &c. Idem de Patre dici non potest. Esto igitur, sustinuerit personam ipsius Dei Christus, ipse Deus in Christo fuerit, id non satis est (si Christus non fuit ipse Deus) vt putetur Iohannes Baptista eo ipso quod præcessit ante faciem Christi, præcessisse ante faciem ipsius Dei, eo ipso quod parauit viam Christo parasse viam ipsi Deo.

XVI. Sed fac valere à Christo ad ipsum Deum consequentiam. Id ad locum Malachiæ nihil conducit, nisi eam esse reciprocam docueris, pariterque ab ipso Deo valere ad Christum. Id quod cum opinione Aduersariorum non congruit, Deum à Christo naturâ, loco, & tempore separantium. Agitur enim in loco Malachiæ de paranda via ipsi Deo, non autem de paranda via Christo, siquidem Christus per pronomen *meam* in verbis *parabit viam ante faciem meam*, non intelligitur. Non autem intelligitur; si, neque is est qui verba illa loquitur, neque eiusdem

cùm eo essentiæ. Esto igitur, non potuerit parari via Christo, quin pararetur ipsi Deo. At contendunt Aduersarij potuisse ipsi Deo parari viam, & paratam aliquando fuisse absque Christo, immò antequam Christus esse inciperet: ex quo sequitur nulla necessaria consequentia, ex eo quod paranda via ipsi Deo dicatur apud Malachiam, concludi posse, eam fuisse parandam Christo.

XVII. Non faciam hanc disputationem longiorem. Tantùm obseruabo, quod negari non potest, Deum optimum & sapientissimum perscienter ac prudenter sic mentem suam expressisse vt dixerit *ante faciem meam*, potius quàm, *ante faciem Dominatoris quem quæritis.* tamen posita sententia Aduersariorum nulla capi animo potest ratio, nullus vsus, cur phrasim illam huic adeò obuiæ antetulerit: nihil enim sic significauit, quod altera ista phrasi non æquè benè significari, potuisse videatur, immò multò melius: pronomen enim illud primæ personæ in verbis *ante faciem meam*, & facessit negotium Aduersarijs, & nostræ de Christi diuinitate ac, vt ita loquar, identitate cum Deo Israelis sententiæ apertè fauet. Quis igitur credat Deum, cum sine vlla obscuritate & periculo dicere posset. *& parabit viam ante faciem Dominatoris quem vos quæritis*, maluisse dicere obscurè & periculosè *& parabit viam ante faciem meam*, quasi de industria nos vellet difficultate, aut etiam errore graui implicare? Sic igitur proculdubiò mentem suam significauit, vt insinuaret, Dominatorem illum non diuersum à Deo Israelis Deum putandum esse, sed vnum eundemque cum eo benedictum in secula seculorum, AMEN,





DISPVTATIO NONA

De Arg. IX. Ex verbis Psalmi XCVII. ℣. 8. *Adorate eum omnes Angeli*, laudatis Heb. 1. ℣. 6.

I. VATICINIIS prophetarum illud subjungimus quod extat Ps. 97. ℣. 8. *Adorate eum omnes Dij*, citatum ab Apostolo Heb. 1. 6. his verbis, *Adorent eum omnes Angeli Dei.* Vnde sic argumentor.

Ille quem Ps. 97. ℣. 8. iubentur adorare omnes Angeli, est Deus Israëlis.

Christus est ille, quem Ps. 97. ℣. 8. iubeatur adorare omnes Angeli.

Christus igitur est Deus Israëlis. Major nititur testimonio Prophetæ, Minor Apostoli.

II. Respondet Socinus dupliciter. Primùm negat majorem. Refut. 1. Resp. *Non*, inquit, *necesse est verba illa psalmi referre ad vnum illum Deum Israelis.* Immò id necesse est. *Verba* enim *illa Psalmi sine dubio referuntur*, ipso teste Socino, *ad illum, qui paulò ante postremo nominatus est; nempe ad Dominum vniuersa terra.* Atqui Dominus vniuersæ terræ est Iehouah, Deus Israëlis. Id probo his argumentis. Primò autoritate Scripturæ, apud quam elogium Domini vniuersæ terræ proprium est Dei Israëlis nomen, Ios. 3. 11. *Ecce, Arca fœderis Domini vniuersa terra antecedet vos per Iordanem.* Zach. 4. 14. *Isti sunt duo filij olei, qui assistunt Dominatori vniuersa terra.* Zach. 6. 5. *Isti sunt quatuor venti cœli, qui egrediuntur, vt stent coram dominatore omnis terra.* Mich. 4. 13. *Deuouebis Domino opes eorum, & substantiam eorum Domino vniuersa.*

vniuersæ terræ. Nonne ex his & similibus locis patet *Dominum vniuersæ terræ* esse Deum Israelis? Quàm ergo constat verba illa psalmi, *Adorate eum omnes Angeli*, referri ad Dominum vniuersæ terræ, tam constat ea referri ad Deum Israelis.

III. Ad hoc argumentum planè inuictum videtur Socinus aliquid primò obijcere, deinde respondere. Obijcit, *vulgatam editionem latinam, & græcam vnde illa fluxit, habere ad Dominum simpliciter. Quod nomen (Hebraicè enim legitur Adon) ita simpliciter & absolute positum, nimis*, inquit, *absurdum esset, vt post Iehouæ nomen sequeretur, si ad eundem Iehouam referendum esset; cum ipsum nomen per se multò inferius sit nomine Iehoua, & rebus creatis quacunque vel minima dominatione præditis passim accommodetur.* Sed editio græca cum veritate hebræa consentire mihi videtur, Latinæ autem (quam hoc loco, vt alijs innumeris, mendosam esse ipsi Aduersarij non negabunt, (facilè reuincendi si negarent) autoritate non mouemur. Quanquam si ea moueremur, nullum nobis negotium exhiberet Socini objectio. Nomen enim Adon, etsi per se inferius est nomine Iehouæ, tamen cum absolutè & sine afixo aut adjectione vsurpatur, inferius non est, sed Dei nomen est ea ratione proprium, vt patet ex ps. 114. 7. *A facie Domini* (heb. Adon) *mota est terra.* Itaque ei apponi solet nomen Iehouæ, vt Exod. 23.17. & 34. 23. Esai. 1. 24. & 3. 1. & 10. 16. 33. & 19. 4. Et, vt absolutè positum illud nomen proprium non esset Dei Israëlis, tamen hoc loco idem valeret, ac si scriptum esset *Domini omnis terræ.* Quis enim non videt eum Dominum, à cuius facie vel fluunt sicut cera montes omnis terræ, vel fluit omnis terra, Dominum esse omnis terræ? Sed fac nomen Adon quomodo vsurpatur hoc loco inferius esse quàm nomen Iehouæ, causam non video cur post Iehouam sequi non potuerit, æquè saltem ac nomen Elohim, quod quamuis Angelis & Iudicibus tribuatur nonnunquam, tamen passim nomini Iehouæ subjicitur.

IV. Sic se habuit objectio. Respondet autem his verbis, *Annon*, inquit, *cum inter omnes constet, in psalmo isto esse vaticinationem de regno Christi, potuit Christus homo, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, tanquam in possessionem regni sui intrans, prophetice descriptus & prænunciatus, meritò vocari Dominus vniuersæ terræ?* At non quæritur nunc quidem quid dici po-

tuerit, sed quid scriptum sit in illo psalmo. Aio hoc nomen, *Dominus* vniuersæ terræ, nomen esse Dei Israelis in Scriptura. Id jam probaui, nec possunt negare aduersarij. Aio id nomen in V. T. nisi Deo Israëlis tributum esse nemini. Reuincant me si possunt aliqua instantiâ. Afferre hunc ipsum locum de quo agimus non possunt, quin, aut petitionem, vt loquuntur, principij committant, aut necessaria aliqua re addicant, per Dominum vniuersæ terræ intelligi hoc loco Deum Israëlis, vel non posse, vel non debere, quod nunquam efficient. Vnde enim argumentum ducerent? Ab hoc ipso nomine? Id, vt dixi, proprium est Dei Israëlis. Ab antecedentibus & consequentibus? In eis palam est agi de Deo Israëlis. Ab illis rebus quæ de Domino vniuersæ terræ dicuntur in eo psalmo? Nihil de eo dicitur quod non possit dici, quodque adeò non dicatur de Deo Israëlis. Adde quod Dominus vniuersæ terræ nomen est Iehouæ nomine vel inferius vel non. Si inferius, quî post Iehouæ nomen sequitur Ios. 3. 13? Si non est inferius, quî conuenit Christo tantùm homini? Annon etiam conuenientius est eo psalmo per Dominum vniuersæ terræ, eum intelligere qui sæpè vocatur Dominus vniuersæ terræ in Scriptura Veteris Testamenti, quique reuera erat, & futurus erat in perpetuum Dominus vniuersæ terræ, quàm eum qui nunquam sic alibi appellatur, quique non erat Dominus vniuersæ terræ, neque futurus erat nisi demum post aliquot secula siquidem fides habetur Aduersarijs? Manet igitur firmum hoc primum argumentum.

V. Alterum ducitur ab omissione conjunctionis copulatiuæ & emphasi repetitionis vocum *à facie*. *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini vniuersa terra.* Quis enim legens hæc verba vacuus præiudicio non videt per Dominum (Iehouam) & Dominum vniuersæ terræ eundem significari? planè vt ps. 114. 7. *A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob*, certum est Dominum (Adon) & Deum Iacobi eundem esse.

Respondet Socinus, *Non esse perpetuum in ipsis sacris literis, vt cum sub eadem structura verborum diuersi comprehenduntur, copula, Et, inter eos ponatur, præsertim si alius ab alio pendeat, eique sit subordinatus; vt sine dubio à Iehoua pendet, illique subordinatus est homo Christus Iesus.* Sed argumentum nostrum non ducitur à sola omissione copulæ *&*, sed à tali eius omissione conjuncta cum emphatica repetitione faciei eius à quo terra tremefacta sit, *A fa-*

cie Domini, *à facie*, inquam, *Domini totius terræ*: prorsus vt laudato à me loco ps. 114. *à facie Domini*, *à facie*, inquam, *Dei Iacob.* Itaque frustrà responsionem suam conatur firmare exemplo.

VI. *Exemplum*, inquit, *huius rei, quam dico, idque similiter vbi de diuinitate est sermo suppeditare nobis possunt verba Iacobi Patriarchæ Iosepho filio suo benedicentis Gen.* 48. 15. *&* 16. *Deus in cuius conspectu ambulauerunt Patres mei Abraham & Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea vsque in præsentem diem, Angelus qui eruit me de cunctis malis benedicat &c. vbi nemo negauerit, Angelum postremò nominatum, licet nulla præcedente copula, illi Deo, qui ante nominatus est, adiunctum, diuersum tamen ab eo esse.* Hoc enim exemplum simile non est, vt cuiuis patet; & tamen causæ nostræ fauet potius quàm obest. Quid enim prohibet dicere tres esse eiusdem Dei descriptiones? Certè constat duabus primis eundem describi, *Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei Abraham & Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea vsque in præsentem diem*, cur non idem dicamus de tertia, *Angelus qui eruit me de cunctis malis*? Dubitas? Illum ipsum Angelum audi. Gen. 31. 12. 13. *dixit*, inquit Iacob, *Angelus Dei ad me*, &c, *vidi omnia quæ fecit tibi Laban. Ego sum Deus Beth-el, vbi vnxisti lapidem, & votum vouisti mihi.* Quid clarius? Hoc ipsum confirmat verbum singularis numeri *benedicat*, nec-non pietas Prophetæ ab omni Idololatria abhorrentis. Quid enim? Inuocassetne vir sanctus ac Dei fœderatus angelum creatum, nec apparentem? Eumne Deo tanquam socium & æqualem adiunxisset? Petiuissetne ab eo, non minus quàm à Deo, benedictionem omnimodam? Eine tam solenne laudis sacrificium, ac spiritualem precum suffitum, non minus quàm ipsi Deo, obtulisset? Hoc mihi non fit vllo modo verissimile. Quis etiam, quæso, de cunctis malis temporalibus & æternis (nam qui cuncta dicit nullum excipit) Patriarcham eruit? Quis illius seruator fuit? Hæc confessio, hæc laus, hæc gratiarum actio ei vni debetur, qui Esai. 43. 11. testatur præter se seruatorem esse neminem. Esto igitur conclusum ex absentia copulæ, ex repetitione faciei, ex subintellecto eodem subiecto & verbo sententiæ, ex ipsa re denique quæ clamat Iehouam esse Dominum omnis terræ, per Iehouam & per Dominum omnis terræ eundem esse intelligendum.

VII. Hoc ipsum arguit numerus singularis pronominum in verbis sequentibus. Propheta enim postquam dixit, *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra*, subiecit, *Annunciauerunt cœli iustitiam eius, & viderunt populi gloriam eius*, tanquam de vno loquens, non de duobus. Nam si duos intelligi voluit totis essentiis diuersos, cur non dixit in plurali numero iustitiam eorum, gloriam eorum? Maluitne peccare in grammaticam, quàm distinguere eos, quos à suis lectoribus distingui voluit? Fortè pronomina illa ad eorum duorum alterum tantùm retulit. Ad quem? Ad Dominum Iehouam? causam igitur vicimus. Nam ad eundem sine dubio referri debent eadem pronomina in verbis sequentibus, *Adorate eum omnes Angeli eius*, vt cuiuis manifestum est. Ad Dominum (Adon) omnis terræ? Ergo non referuntur ad Iehouam, ad Deum Israëlis toto psalmo descriptum, siquidem, vt volunt Aduersarij, Iehoua non est dominus vniuersæ terræ. Quis hoc credat?

VIII. Quartum argumentum nobis hæc ipsa verba suppeditant, *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, qui gloriantur in simulachris*, (Heb. Elilim, falsis dijs, idolis,) *Adorate eum omnes Angeli*; heb. Elohim *dij*. Quis enim religiosè adorandus est, nisi Iehoua? Quis adorandus est ab omnibus dijs, nisi is qui est Deus Deorum, hoc est, κατ᾽ ἐξοχὴν Deus? Quis omnibus sculptilibus, simulachris, idolis, falsis dijs opponitur, nisi is qui naturâ Deus est?

IX. Quintum argumentum nobis dant verba prima vers. 10. *Quoniam tu Dominus* (Heb. *Iehoua*) *altissimus super omnem terram.* Continent enim rationem cur vocatus sit Dominus omnis terræ, & quidem Dominus tantus, vt ab eius conspectu montes colliquescant. Quorsum enim illud *Quoniã*, si ratio non redditur alicuius rei jam dictæ? Quid autem dictu fuit in illo psalmo rationi illi congruentius, quàm Elogium Domini vniuersæ terræ? De eodem igitur subjecto Elogium illud intelligi debet, de quo eius expositio & ratio dicitur. (Alioquin in ratiocinio Prophetæ quatuor essent termini) Hæc autem de Iehoua dicitur. Ergo & illud.

X. Hinc etiam licet ita argumentari. Altissimus super omnem terram est Iehoua, Deus Israelis. Dominus vniuersæ terræ, à cuius facie montes sicut cera funduntur, est altissimus super omnem terram. Dominus igitur omnis terræ, &c, est Iehoua, Deus

Israëlis. Præmissarum neutra potest negari. Non major. Eam enim esse vniuersaliter veram patet ex vers. vltimo ps. 83. *Et cognoscant quod tu, cuius nomen est Iehoua, solus es altissimus super omnem terram.* Si Iehoua solus est altissimus super omnem terram, nullus est altissimus super omnem terram nisi Iehoua: ac proinde quicunque est altissimus super omnem terram is est Iehoua. Nec minor. Est enim ipsa per se satis manifesta. Nam quid est esse altissimum, seu, vt multi vertunt, excelsum (est enim Heb. עליון, quæ vox vsurpatur de Christo psal. 89. 27. de populo Israelitico Deut. 26. 19. & 28. 1. de Templo 1. Reg. 9. 8. & 2. Chron. 7. 21. de porta quadam templi 2. Reg. 15. 35. & 2. Chr. 23. 20. de canistro Gen. 40. 17. deque alijs rebus. Quod noto ne quam latebram in ea voce quærant Aduersarij.) Quid, inquam, est esse altissimum super omnem terram? Annon esse Dominum omnis terræ, & quidem dominum tanta auctoritate & potentia præditum, vt ab eius facie montes sicut cera liquescant & fluant, & eum omnes non modo reges, sed etiam dij seu Angeli adorare teneantur?

XI. Possumus etiam argumentum ducere à reliquis eiusdem vers. 10. verbis, *valdè exaltatus es super omnes Deos.* Illa enim rationem, cur eum omnes dij seu Angeli adorare debeant, continere, neminem tam cæcum esse arbitror qui non videat. Cur adorandus est ab omnibus Dijs? quia super omnes Deos valdè exaltatus est. Optima ratio: ex qua intelligitur, quem tenentur adorare omnes dij, illum ipsum esse qui est valdè super omnes deos exaltatus. Hic autem est Iehoua, vt patet ex verbis proximè antecedentibus, *Quoniam tu Dominus* (Iehoua) *altissimus super omnem terram, valdè exaltatus es super omnes Deos.*

XII. Denique hunc omnes Angeli adorare jubentur, cuius regnum majestas aduentus potentia, &c, eo psalmo describuntur. Hic autem est Deus Israëlis: Iehoua enim sexies appellatur, nec aliud occurrit aut describitur in eo psalmo nomen, nisi quod semel Dominus vniuersæ terræ vocatur, quod esse Dei Israëlis Elogium, & cum nomine Iehoua tanquam synonymum interdum jungi, nemo est tam hospes in Scriptura vt nesciat. Certum est neminem versibus primis quatuor, neminem versibus vltimis quinque describi præter Iehouam. Quatuor autem versibus intermedijs, & Iehoua semel nominatur, & manifesta est inchoatæ

descriptionis continuatio, & nihil prorsus est vnde vel probabiliter colligi possit interruptionem esse descriptionis versibus antecedentibus inceptæ & sequentibus absoluendæ, atque adeo descriptionem esse alterius cuiusdam, qui non sit Iehoua.

XIII. Sic satis confirmata videtur major argumenti nostri. Minor, quia diserto testimonio Apostoli nititur, ab Aduersarijs negari nequit. Stat igitur firma conclusio. Et tamen Socinus alteram responsionem attulit & exposuit pluribus verbis, quæ quomodo ad majorem vel minorem syllogismi nostri accommodari possit, non satis intelligo. Eam tamen, nequid prætermissum à nobis videatur, expendam non illibenter.

Ref. 2. Resp XIV. Is primùm hoc veluti fundamentum jacit, *Certum est*, inquit, *Christo homini, & quidem vt homini, id est sine vlla consideratione, quod in se habeat essentialiter aliquam naturam diuinam, adorationem ab ipsis angelis deberi.* Contrarium pro certo habeo, habentque omnes propemodum Christiani. Sed pergat, *postquam*, addit, *à Deo propter sui ipsius demissionem & obedientiam vsque ad mortem crucis, nomen supra omne nomen est adeptus.* Quæ verba cum præcedentibus pugnant: nam & magnitudo demissionis atque obedientię ex obedientis diuinitate æstimata est, nec fuisset nomen supra omne nomen adeptus qui sic obediuit, si nihil nisi homo fuisset. Audiamus tamen quomodo hoc probet Aduersarius. *Id enim*, inquit, *apertissimè constat ex verbis Pauli ad Philip. c. 2. vbi hac de re agit. Disertè enim ibi dicit: Deum propter prædictas caußas, Iesum Christum supra modum euexisse, & dedisse illi nomen, quod est supra omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & subterraneorum. Iam quemadmodum obedientia sine dubio ad humanam tantùm naturam pertinet, sic exaltationem propter obedientiam, ad humanam tantùm naturam pertinere necesse est. Præterquam quòd certum alioqui est, diuinam naturam exaltari verè ac propriè non posse, & consequenter necesse est, vt adoratio, quæ Christo ab omnibus cœlestibus, & sic ab ipsis angelis, propter istam exaltationem, debetur, ei, vt homini debeatur.* Hæc ne nobis iterum reponantur discutiamus.

XV. *Obedientia*, inquit, *sine dubio ad humanam tantùm naturam pertinet.* Rationem requiro. Nullam affert. Ego obedientiam distinguo. Alia est debita & necessaria, ac proinde inferio-

ris siue naturæ siue personæ erga superiorem. Alia est indebita & merè voluntaria, ac proinde potest ab æquali, immò à superiori proficisci. Hæc cur ad diuinam etiam naturam aliquomodo pertinere non possit causam non video, qui lego in vulgata editione latina Iof. 10. 14. *Deum obediuisse voci hominis*, versione non prorsus repudianda, congruit enim non modo cum verbis hebræis quæ exprimit, sed etiam cum verbis Iosuæ tanquam præceptum, non tanquam, votum, conceptis, *Sol siste gradum in Gibeon, & Luna in valle Aialon.* Sed missa editione illa Latina, Nonne Deus in historia creationis inducitur imperans? vnde psaltes ps. 33. 9. *Ipse dixit & facta sunt: Ipse mandauit & creata sunt.* Nonne in eadem historia Deus inducitur imperata faciens, atque adeo obediens? Id non potest negari. pertinuit sine dubio talis obedientia ad naturam diuinam, tam certè quàm ipsa effectio seu creatio mundi. Iam autem huius generis esse obedientiam illam Filij Dei, ob quam supra modum exaltatus dicitur, ipse Apostolus autor est. *Qui*, inquit, *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed exinaniuit seipsum formam serui accipiens*, &c. Quorsum obseruat eum in forma Dei fuisse, non duxisse rapinam esse se æqualem Deo, semetipsum exinaniuisse, nisi vt significet indebitam merèque voluntariam illam obedientiam fuisse? Quid enim? teneturne æqualis obedire ac seruire æquali? Nonne etiam ista exinanitio suiipsius & formæ serui acceptio obedientia memorabilis fuit? Atqui illa antecessit formam serui, quam τ̀ λόγον *verbum* simul cum natura humana sumpsisse in virginis vtero probauimus lib. 1. Disp. v. Ex quo sequitur eam obedientiam ad Dei formam seu diuinam verbi naturam pertinuisse.

XVI. Porrò nescio cur Socinus dicere naturam maluit quàm personam, cum sit in confesso personam propriè, non autem naturam, obedire. Principium, vt loquuntur, *quod* obedit est persona, *quo* obedit est natura, vel aliquod organum. Idem de passionis ac de obedientiæ subjecto vel principio dicendum. Æstimatur autem obedientia ex dignitate personæ obedientis, seu illa ex natura seu aliundè pendeat. Fac ergo ad naturam tantùm humanam pertinere Christi obedientiam, pertinebit ad eam vt ad principium quo, ad personam verò Christi vt ad principium quod, ex cuius dignitate debet æstimari. Huius autem personæ

dignitatem Apostolus non in natura humana sed in forma Dei, & æqualitate cum Deo collocat, ex quibus exinanitionis humiliationis atque obedientiæ magnitudo metienda fuit. Itaque seponere considerationem formæ Dei & æqualitatis cum Deo ab obedientia Christi & exaltatione quæ illius magnitudini proportione respondet, Apostolo repugnat, illique ipsi obedientiæ est injuriosum. Hoc autem facit Socinus, cum ab ea seponit considerationem naturæ diuinæ, sine qua nec forma Dei vera esse potest, nec æqualitas cum Deo intelligi. Idem de exaltatione dicendum, quæ passim Deo tribuitur in Scriptura, & Filio Dei ita propter obedientiam conuenit secundum naturam humanam, vt si ab eo formam Dei & æqualitatem cum Deo, hoc est, diuinam naturam detraxeris, eadem opera, & pondus eius obedientiæ ademeris, & magnitudinem exaltationi. Itaque ei quidem homini adoratio debetur, vbicunque suam naturam humanam visendam præbet, non tamen vt homini, sed potius vt Deo, immensa autoritate & potentia prædito, quæ tam diuinam arguunt naturam, quàm olim eius infirmitas carnem arguebat nostræ similem. Vno verbo, adorari debet ab omnibus Angelis, quia, vt habetur hoc ipso psalmo, valde super omnes angelos est exaltatus. Videsis Disp. IV. §. XI. necnon lib. I. Disp. V.

XVII. Sed pergamus in verbis Socini expendendis. *Ex quo,* inquit, *sequitur, adorationem istam in ipso Christo non terminari: sed in Deum, qui illum exaltauit, ab ipso Christo transire, vt in vltimum suum scopum.* Quid? vultne Socinus non adorari Christum, nisi adoratione relatiua, propter alienam dignitatem, seu personam quam repræsentet? Nam si quâ talis persona ob insitam & propriam & perpetuam dignitatem adoratur, vt alibi confitetur Socinus, adoratio illa in ipsius persona terminatur. At Deus illum exaltauit. Certè. Ergo cum adoratur, adoratio non terminatur in eius persona. Non sequitur. Exaltauit etiam Deus Reges terræ, tamen ciuilis adoratio, quæ Regi exhibetur homini quidem, non tamen vt homini, sed vt Regi, (quod enim alicui homini vt homini conuenit, omni homini conuenire necesse est) terminatur in regis persona. Conciliat enim personæ, cui inest, adorationem summa ὑπεροχὴ & dignitas, non qua refertur ad dantem, sed qua subditos immenso quodam interuallo supereminet vndecunque sit.

XVIII. Addit, *Et sic verissimum esse, in Christo & per Christum, & quidem vt hominem, ipsum Deum adorari, id est, eo ipso, quod Christus homo adoretur, adorari ipsum Deum.* Est id quidem verissimum nostræque fidei maximè consentaneum, eo ipso quod Christus adoratur, adorari Deum, quia Christus idem est Deus; immò Patrem, quia Pater est in ipso, & ipse in Patre, quo fit vt alter absque altero neque videri neque adorari possit. Sed si ponas Christum & Deum personas esse totis essentijs diuersas, non video cur alter ab altero separatim adorari non possit.

XIX. Sed quonam tandem ista spectant, & quid ad dissoluendum argumentum nostrum faciunt? Id sequentibus verbis conatur explicare, *Et consequenter, quamuis Christus non sit ille vnus Deus, rectissimè tamen nouam illam quandam adorationem, quam ab omnibus Angelis, in Christi regno, illi vni Deo tribuendam Propheta prædixerat, de ipsius Chisti adoratione ab auctore epistola ad Hebraos expositam, siue ad ipsum Christum accommodatam fuisse. Certè enim nouus prorsus vnum illum Deum adorandi modus angelis fuit, eum in Christo homine adorare.* Si de Christi regno agitur in eo psalmo, Christus est Iehoua, de huius enim vnius regno agitur, vt legenti patet. Nouitatis adorationis, vel modi adorandi nullum indicium in Prophetæ verbis deprehendere potui: Nec intelligo, quomodo adoratio, quam ab angelis illi vni Deo tribuendam Propheta prædixerat, rectissimè de ipsius Christi adoratione exponi possit, si Christus nullo modo est ille vnus Deus. Vt igitur pressius agamus, In verbis huius psalmi ab auctore Epistolæ ad Hebræos laudatis, *adorate eum omnes Angeli*, vel, *adorent eum omnes Angeli*, quem significat pronomen, *Eum*? quem jubentur adorare Angeli? Idemne apud Prophetam & Apostolum intelligi debet, an vero alius apud Prophetam, alius apud Apostolum? Si idem, Christus est vnus ille Deus: Hunc enim apud Prophetam intelligi hæc Socini responsio concedit. Si alius, estne bona expositio, cum quod de vno dictum est, de alio exponitur?

XX. Quid quod Apostolus citat hoc testimonium, vt probet Christum ab omnibus angelis esse adorandum, ad quod probandum nihil prorsus valet, si in eo de Christo non agitur, sed de Deo Israëlis tota essentia diuerso à Christo? Debere omnes Angelos Iehouam seu Deum Israëlis adorare nemo eorum ad quos

diuinus auctor scribebat, in dubium vocabat. Quærebatur tantùm de Filio, tenerenturne etiam eum adorare omnes Angeli? teneri docet hoc vno testimonio, *Adorent eum omnes Angeli*, quod nemo non videt ad id probandum ineptum esse, si in eo vt habetur in psalmo, pronomen *eum* illum vnum Deum significat; isque est tota essentia diuersus à Filio.

XXI. Respondet Socinus, *Apostolum non tam hoc loco probare, quàm docere velle; id est, occultum psalmi verborum sensum quendam patefacere*. Non tam, inquit, probare vult. Respondeant quæsò rotundè Aduersarij, vultne Apostolus, probare, necne? Si probare vult, faciunt eum ineptè argumentantem, qui scilicet vt probet, Iesum tantùm hominem præstantiorem esse omnibus angelis, affert pro argumento mandatum quo iubentur omnes Angeli adorare Deum Israëlis. Agitur, inquiet aliquis, de Christo qui non est Deus Israëlis, & tu Apostole testimonium affers, in quo agitur de Deo Israëlis. Quæritur, an debeant omnes Angeli adorare quendam hominem, & tu affers testimonium, in quo iubentur adorare Deum illum vnum creatorem mundi. Hoccine est argumentari? Si non vult probare, errat igitur ipse Socinus cum sic loquitur, Resp. ad Classis. 1. Arg. 1. Vujeki. *Patet hoc ex ipso initio disputationis, vbi disertè Thesis ipsa exponitur: quæ talis est*: Dei filius tantò præstantior angelis est factus, quantò excellentius, præ illis, nomen hæreditauit. *Hæc, inquam est Thesis, quam Apostolus sibi probandam proponit.* Errant etiam omnes interpretes, qui summo consensu Apostolum probare velle asserunt: & quorsum tot testimonia laudaret, si nihil probare vellet?

XXII. *Docet*, inquit, *id est occultum psalmi verborum sensum patefacit*. Sensus Scripturæ distingui solet in Literalem & Mysticum: Illum verba proximè significant, Hunc res per verba significatæ. Vtrum igitur literalis est iste scilicet occultus quidam sensus, an mysticus? Si literalis, vel proprius est, vel figuratus. Non figuratus: quænam enim figura, quis tropus esse posset in pronomine *eum*, in verbis, *adorent eum omnes angeli Dei?* (De huius enim vnius pronominis significatione instituta est hæc nostra disputatio.) Et cur sensum comminiscerentur figuratum, cum obuius est proprius verus & appositus? Nec etiam proprius. Quis enim credat illius pronominis in verbis illis minimè ambi-

guis duos esse sensus literales & proprios? Sola enim ambiguitas, quæ hinc omnis abest, gignere potest plures sensus proprios. Certè pronomen illud *Eum* referri non potest, nisi ad eum qui est in versibus antecedentibus nominatus. Nullus autem nominatus fuit præter Iehouam. Non potest igitur referri nisi ad Iehouam. Mysticum quominus dicant eum sensum esse vel ipsorum dogma prohibet. Facerent enim adorationem Dei typum adorationis Christi, atque adeo ipsum Deum typum Christi, quod esset Christum supra ipsum Deum extollere. Pluris enim fieri debet res adumbrata quam eius typus vel vmbra. Vno verbo: vel colligi potest, occultus iste sensus ex psalmi verbis, vel non potest. Si non potest, pro vero sensu haberi non debet. Si potest, ostendant qua ratione ex verbis Prophetæ deduci possit.

XXIII. Socinus Ait, *si modo velimus, verba quæ ex psalmo citat, de vno illo Deo dicta esse, diuini huius scriptoris hanc mentem fuisse, vt, quia iam inter peritiores Hebræos constaret, de futuro Christo, eoque in sui regni possessionem mittendo, in eo psalmo, sub illius vnius Dei nomine, agi, non quia Christus futurus esset ille vnus Deus, sed quia vnius illius Dei personam singulari quadam ratione sustinere debebat, ex eiusdem psalmi verbis, sua interpretatione adhibita, persuaderet, Christum ab ipsis angelis adorandum esse; nempe quia non modò multa alia, quæ in eo psalmo de illo vno Deo dicuntur, vt facile ij concedebant, ad quos scribebat (scribebat enim vt ex epistola patet ad Iudæos quidem, sed iam Christianos factos) ad Christum accommodanda essent: sed etiam illud ipsum, quod ibi habetur de omnibus angelis illum vnum Deum adoraturis. Id quod non facilè cuiquam persuaderi potest, nisi, præter id, quod verissimile est, si multa alia, quæ de illo vno Deo ibi dicuntur, idcirco ad Christum accommodanda sunt, quia de ipsius Christi regno sub vnius illius Dei nomine ibi agitur, hoc etiam ad Christum accommodandum esse, quod nimirum ad ipsius regnum pertinet, accedat quoque ipsius scriptoris auctoritas & prophetiæ spiritus, quo patefacit, quale & quantum reuera sit Christi regnum, & quam diuina prorsus & perfectissima ratione Christus illius vnius Dei personam sustineat.* In quibus verbis quædam sunt reprehensione digna. Illud primò, quod affirmat, *Iam inter peritiores Hebræos constitisse, de futuro Christo, eoque in sui regni possessionem mittendo, in eo psalmo, sub illius vnius Dei nomine agi.* Vnde enim id rescire potuit? Num id scripsit Aposto-

lus, aut aliquis alius author illius seculi? Num id potest probabili aliqua ratione conjici? Nullo modo. Temeraria igitur est assertio, & homine veritatis studioso & modesto prorsus indigna. At, inquit alibi, *nisi ijs, ad quos hic auctor epistola eam scribebat, vel iam constitisset, vel facilè constare potuisset, Scripturæ locos ab ipso allatos ad Messiam pertinere, frustrà & prorsus ridiculè eos attulisset.* Benè, vel jam constitisset, vel facilè constare potuisset. Vitat enim illa disjunctione, eius, quod scire non poterat, affirmandi temeritatem. Sed vnde constare? Ex attenta locorum illorum, vt habentur in Veteri Testamento, & citantur ab Apostolo, inspectione? Nihil verius. Ita enim Berœenses *scrutabantur Scripturas, an hæc ita se haberent.* Si ita sentit, concedit locos illos vim per sese id probandi habuisse, ad quod probandum adducti sunt. Sin verò (quæ videtur eius mens hoc loco) vult eos locos vim illam ex sese non habuisse, sed ex hypothesi opinionis jam ab Hebræis præconceptæ, atque adeò argumenta esse, vt loquuntur, *ad hominem*, grauiter errat, & quantum in ipso est, Dei & Apostoli sapientiam vehementer obscurat. Atque hoc est illud alterum, quod in verbis Socini reprehendendum putaui. Nam si huius, de quo agimus, testimonij vis in opinione præjudicata Hebræorum, ad quos Apostolus scribebat, sita erat, ea per se, & apud alios nulla erat. Si autoritate Apostoli nitebatur, consultius fecisset Apostolus, si testimonium non laudasset. Nam qui laudat testimonium præ se fert, se testimonij illius vi niti velle, non sua vnius auctoritate. Itaque deludi lector videtur, cum citatur testimonium, cuius vis pendet ab autoritate citantis.

Ref. Arg. v. Eras. Ioh.

Act. 17. 11.

XXIV. Quod bis dicit, de Christi regno sub vnius illius Dei nomine agi in eo psalmo, argumentum nostrum confirmat. Sic enim colligo. Ille cuius de regno agitur in eo psalmo est Iehoua, vt patet ex toto psalmo. Christus est ille de cuius regno agitur in eo psalmo, confitente Socino. Ergo Christus est Iehoua. Hoc primum. Deinde, quid significant illa verba, *sub vnius illius Dei nomine*, vel vt alibi loquitur, *sub ipsius Dei persona*? significant ne vnius illius Dei nomine Christum significari, per ipsius Dei personam Christum intelligi? Hoc ipsum est quod dicimus, nimirum per Iehouam in eo psalmo intelligendum esse Filium Dei. Cum igitur Propheta sic loquitur, *Iehoua Regnat*, &c. quàm verbum, *regnat*, regnum Christi significat, tam nomen, Iehoua,

personam Christi significat. Si aliud volunt illis verbis aduersarij, id quale sit nobis quæso exponant. Nam si sub vnius illius Dei nomine agitur de Christi regno, vt se habet regnum quod ibi describitur ad regnum Christi, sic se habet vnus ille Deus ad Christum. Sed regnum illud est regnum Christi. Ergo vnus ille Deus est Christus. Nempe vt regnum illud se habet ad regnum Christi, sic se habet rex illius regni ad Christum. Si regnum Christi eo psalmo describitur, certè Rex qui eo psalmo describitúr est Christus. Is autem Rex est Iehoua. Iehoua igitur est Christus.

XXV. Fortasse lucem aliquam isti locutioni ratio, quam subjicit, asperget. *Quia*, inquit, *Christus vnius illius Dei personam singulari quadam ratione sustinere debebat.* Sed contrà est. Implicat enim potius quàm explicat, euertit potius quàm confirmat. Nam si sub vnius illius Dei nomine, si sub ipsius Dei persona regnum Christi describitur, non iam Christus sustinet aut repræsentat personam vnius Dei in eo psalmo, sed contrà potius, vnus ille Deus sustinet & repræsentat personam Christi. Adde quod, quoties in Veteri Testamento sub vnius nomine aut persona, alter describitur, toties ille huius typus est. Porrò typus est vmbra eius cuius est typus. Est ne igitur vnus ille Deus typus Christi tantùm hominis? Dicant etiam nobis Aduersarij, si Christus non est vnus ille Deus, cur Spiritus Sanctus eum voluisset sub vnius illius Dei nomine & persona toto psalmo, toties, tam constanter, tamque periculosè describere? Nam si sub ipsius Christi vel Filij nomine regnum Christi descripsisset, æquè profuisset ædificationi Ecclesiæ, nec nobis ansam præbuisset credendi Christum eundem esse Iehouam, hoc est, vt putant Aduersarij, grauiter errandi. Haud enim decet prudentiam & charitatem Dei, innocenti atque æquè vtili locutioni, aliam admodum impropriam obscuram & periculosam anteponere. Quis enim legens hæc verba, *Iehoua regnat*, &c, si regnum Christi describi putat, non statim inducatur vt credat, per Iehouam Christum significari?

XXVI. Ad hæc, Si de Christi regno in eo psalmo agitur sub vnius illius Dei nomine, necesse est, vt vnius illius Dei nomen aliquo modo significet Christum regnantem seu regem. Vel igitur eum significat proximè, & propriè; vel figuratè; vel me-

diante vno illo Deo, proximo scilicet suo significato; vel per consequentiam quandam. Si primum, Christus est vnus ille Deus. Secundum autem dici non potest: Nunquam enim auditum est in Ecclesia nomen vnius illius Dei proprium nempe Iehouam, vsurpari aliquando figuratè, aut Christum dici in Scriptura Iehouam figuratè. Tertium quoque nemo dixerit: ita enim nomen esset signum ipsius Dei, ipse Deus Christi. Id quod absurdum esse perspicuum est. Pluris enim fieri debet res significata quàm eius signum. Quartum ne dicant error ipsorum vetat. Eo enim admisso ab ipso Deo ad Christum non valet consequentia. Is enim, si credimus Aduersarijs, & regnauit olim, & ab Angelis adoratus est antequam Christus esset, & potest hodieque adorari Christò non adorato.

XXVII. Præterea, constat inter nos de Christi regno in eo psalmo agi. Certum est autem in eo non agi de regno, nisi quatenus agitur de regnante, cuius persona, præsentia, majestas, potentia, honor, iudicia describuntur. Si igitur agitur de regno Christi, agitur vtique de Christo regnante. Quo igitur nomine insignitur? Ipso nomine tetragrammato Dei Israëlis proprio, idque sexies in illo psalmo. Potuitne disertius doceri, Christum eundem esse Deum Israëlis? Quid Aduersarij? Negantne ista? verbo eludunt, sub nomine, inquiunt, vnius illius Dei agitur de Christi regno. Sub ipsius Dei persona vaticinatio est de Christi regno. Quid erit tam clarum tamque disertum, ad quod tale effugium accommodari non possit? Fac describi in aliqua historia Regis Galliæ præsentiam & Majestatem, verbis, vt par est, magnificentissimis, eius etiam nomine proprio aliquoties expresso. Nonne deridendum se præberet, qui contenderet sub ipsius Regis nomine & persona descriptum esse munus præcipui eius ministri? Idem tamen hîc faciunt Aduersarij. Mirum si suæ istius subtilitatis eos non suppudet. Ita enim magnificè describitur regnantis Dei majestas in hoc psalmo, vt nunquam alibi describatur magnificentius.

XXVIII. Age verò etiam expendamus, quam subjunxit Socinus, rationem. *Quia*, inquit, *vnius illius Dei personam singulari quadam ratione sustinere debebat.* Hoc multis locis Socinus inculcat, nec tamen explicat. Itaque quo sensu ab eo dicatur, non satis intelligo. Nam per illum vnum Deum solum Patrem intelli-

git. Quæro igitur, quomodo vnius illius Dei, hoc est, Dei Patris, personam Christus sustineat? An vt Histrio personam Regis in scena? Non hoc, opinor, dixerint, Christo nimis injuriosum. Quanquam sic tam dici posset, non modo Iehoua, sed etiam Deus Pater, quàm histrio rex appellatur dum regis personam agit. Quid ergo sibi volunt, cum dicunt, Christum diuina & perfectissima ratione sustinere personam ipsius Dei? Christum profiteri se esse ipsum Deum, eique professioni congruenter loqui & agere? (persimili enim sensu dicere solemus, consulem consulis, Iudicem iudicis, oratorem oratoris personam sustinere.) Quare igitur eum negant ipsum Deum esse? Christum non suas, sed alienas partes agere, ac perinde, vel ipsum loqui & agere, vel de ipso Scripturam, ac si ipse Deus esset, cum tamen non esset ipse Deus? At si, vel Christus de se, vel Scriptura de ipso perinde loquitur ac si esset ipse Deus, vnde habent eum non esse ipsum Deum? Aut cur suos & conceptus & sermones, non exigunt ad normam sacrarum literarum, præsertim cum de eo sit quæstio, quem nemo nouit nisi Pater? Tres personas pro triplici munere vnus Christus sustinet, Prophetæ, Sacerdotis, Regis. Quando ergo alienam ipsius Dei personam sustinet? cum partes agit Prophetæ? aut Sacerdotis? Non arbitror. Hæ enim nullo modo sunt partes Patris. An igitur eam sustinet cum regio munere fungitur? Certè etiam tunc suas ipsius, non alienas Patris, partes sustinet. Verissimè enim ac propriissimè loquendo Rex est, suumque regnum, non alienum, administrat.

XXIX. Fortè volunt Christum sustinere ipsius Dei, hoc est, Patris personam, quomodo magistratus vulgò dicitur sustinere personam principis, seu Regis. Sed omnia ferè dissimilia sunt. Primùm Regis est ius dicere subditis, quod cum ipse per semetipsum facere non possit, creat magistratus, per quos id faciat, quique istis regij muneris partibus tanquam eius ministri, &, vt ita dicam, vicarii defungantur. Itaque quæcunque ad regem pertinent, ea non suo nomine sed regio, non sua autoritate sed regia, non tanquam sua ipsius, sed tanquam aliena, vt fideles ministros decet, administrant. Ministri enim sunt regis, non reges, eorum non est regnum, non thronus, non potestas regia, non Majestas, non ministri & serui regis. Christi dispar ratio est. Regnat enim cum Patre similiter, immò pariter. Eius sunt

descriptionis continuatio, & nihil prorsus est vnde vel probabiliter colligi possit interruptionem esse descriptionis versibus antecedentibus inceptæ & sequentibus absoluendæ, atque adeo descriptionem esse alterius cuiusdam, qui non sit Iehoua.

XIII. Sic satis confirmata videtur major argumenti nostri. Minor, quia diserto testimonio Apostoli nititur, ab Aduersarijs negari nequit. Stat igitur firma conclusio. Et tamen Socinus alteram responsionem attulit & exposuit pluribus verbis, quæ quomodo ad majorem vel minorem syllogismi nostri accommodari possit, non satis intelligo. Eam tamen, nequid prætermissum à nobis videatur, expendam non illibenter.

Ref. 2. Resp. XIV. Is primùm hoc veluti fundamentum jacit, *Certum est*, inquit, *Christo homini, & quidem vt homini, id est sine vlla consideratione, quod in se habeat essentialiter aliquam naturam diuinam, adorationem ab ipsis angelis deberi*. Contrarium pro certo habeo, habentque omnes propemodum Christiani. Sed pergat, *postquam*, addit, *à Deo, propter sui ipsius demissionem & obedientiam vsque ad mortem crucis, nomen supra omne nomen est adeptus*. Quæ verba cum præcedentibus pugnant: nam & magnitudo demissionis atque obedientię ex obedientis diuinitate æstimata est, nec fuisset nomen supra omne nomen adeptus qui sic obediuit, si nihil nisi homo fuisset. Audiamus tamen quomodo hoc probet Aduersarius. *Id enim*, inquit, *apertissimè constat ex verbis Pauli ad Philip. c. 2. vbi hac de re agit. Disertè enim ibi dicit: Deum propter prædictas caussas, Iesum Christum supra modum euexisse, & dedisse illi nomen, quod est supra omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & subterraneorum. Iam quemadmodum obedientia sine dubio ad humanam tantùm naturam pertinet, sic exaltationem propter obedientiam, ad humanam tantùm naturam pertinere necesse est. Præterquam quòd certum alioqui est, diuinam naturam exaltari verè ac propriè non posse, & consequenter necesse est, vt adoratio, quæ Christo ab omnibus cœlestibus, & sic ab ipsis angelis, propter istam exaltationem, debetur, ei, vt homini debeatur*. Hæc ne nobis iterum reponantur discutiamus.

XV. *Obedientia*, inquit, *sine dubio ad humanam tantùm naturam pertinet*. Rationem requiro. Nullam affert. Ego obedientiam distinguo. Alia est debita & necessaria, ac proinde inferio-

ris siue naturæ siue personæ erga superiorem. Alia est indebita & merè voluntaria, ac proinde potest ab æquali, immò à superiori proficisci. Hæc cur ad diuinam etiam naturam aliquomodo pertinere non possit causam non video, qui lego in vulgata editione latina Ios. 10. 14. *Deum obediuisse voci hominis*, versione non prorsus repudianda, congruit enim non modo cum verbis hebræis quæ exprimit, sed etiam cum verbis Iosuæ tanquam præceptum, non tanquam, votum, conceptis, *Sol siste gradum in Gibeon, & Luna in valle Aialon.* Sed missa editione illa Latina, Nonne Deus in historia creationis inducitur imperans? vnde psaltes ps. 33. 9. *Ipse dixit & facta sunt: Ipse mandauit & creata sunt.* Nonne in eadem historia Deus inducitur imperata faciens, atque adeo obediens? Id non potest negari. pertinuit sine dubio talis obedientia ad naturam diuinam, tam certè quàm ipsa effectio seu creatio mundi. Iam autem huius generis esse obedientiam illam Filij Dei, ob quam supra modum exaltatus dicitur, ipse Apostolus autor est. *Qui*, inquit, *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed exinaniuit seipsum formam serui accipiens*, &c. Quorsum obseruat eum in forma Dei fuisse, non duxisse rapinam esse se æqualem Deo, semetipsum exinaniuisse, nisi vt significet indebitam merèque voluntariam illam obedientiam fuisse? Quid enim? teneturne æqualis obedire ac seruire æquali? Nonne etiam ista exinanitio suiipsius & formæ serui acceptio obedientia memorabilis fuit? Atqui illa antecessit formam serui, quam τ̃ λόγν *verbum* simul cum natura humana sumpsisse in virginis vtero probauimus lib. 1. Disp. v. Ex quo sequitur eam obedientiam ad Dei formam seu diuinam verbi naturam pertinuisse.

XVI. Porrò nescio cur Socinus dicere naturam maluit quàm personam, cum sit in confesso personam propriè, non autem naturam, obedire. Principium, vt loquuntur, *quod* obedit est persona, *quo* obedit est natura, vel aliquod organum. Idem de passionis ac de obedientiæ subjecto vel principio dicendum. Æstimatur autem obedientia ex dignitate personæ obedientis, seu illa ex natura seu aliundè pendeat. Fac ergo ad naturam tantùm humanam pertinere Christi obedientiam, pertinebit ad eam vt ad principium quo, ad personam verò Christi vt ad principium quod, ex cuius dignitate debet æstimari. Huius autem personæ

dignitatem Apostolus non in natura humana sed in forma Dei, & æqualitate cum Deo collocat, ex quibus exinanitionis humiliationis atque obedientiæ magnitudo metienda fuit. Itaque seponere considerationem formæ Dei & æqualitatis cum Deo ab obedientia Christi & exaltatione quæ illius magnitudini proportione respondet, Apostolo repugnat, illique ipsi obedientiæ est injuriosum. Hoc autem facit Socinus, cum ab ea seponit considerationem naturæ diuinæ, sine qua nec forma Dei vera esse potest, nec æqualitas cum Deo intelligi. Idem de exaltatione dicendum, quæ passim Deo tribuitur in Scriptura, & Filio Dei ita propter obedientiam conuenit secundum naturam humanam, vt si ab eo formam Dei & æqualitatem cum Deo, hoc est, diuinam naturam detraxeris, eadem opera, & pondus eius obedientiæ ademeris, & magnitudinem exaltationis. Itaque ei quidem homini adoratio debetur, vbicunque suam naturam humanam visendam præbet, non tamen vt homini, sed potius vt Deo, immensa autoritate & potentia prædito, quæ tam diuinam arguunt naturam, quàm olim eius infirmitas carnem arguebat nostræ similem. Vno verbo, adorari debet ab omnibus Angelis, quia, vt habetur hoc ipso psalmo, valde super omnes angelos est exaltatus. Videsis Disp. IV. §. XI. necnon lib. I. Disp. V.

XVII. Sed pergamus in verbis Socini expendendis. *Ex quo,* inquit, *sequitur, adorationem istam in ipso Christo non terminari: sed in Deum, qui illum exaltauit, ab ipso Christo transire, vt in vltimum suum scopum.* Quid? vultne Socinus non adorari Christum, nisi adoratione relatiua, propter alienam dignitatem, seu personam quam repræsentet? Nam si quâ talis persona ob insitam & propriam & perpetuam dignitatem adoratur, vt alibi confitetur Socinus, adoratio illa in ipsius persona terminatur. At Deus illum exaltauit. Certè. Ergo cum adoratur, adoratio non terminatur in eius persona. Non sequitur. Exaltauit etiam Deus Reges terræ, tamen ciuilis adoratio, quæ Regi exhibetur homini quidem, non tamen vt homini, sed vt Regi, (quod enim alicui homini vt homini conuenit, omni homini conuenire necesse est) terminatur in regis persona. Conciliat enim personæ, cui inest, adorationem summa ὑπεροχὴ & dignitas, non qua refertur ad dantem, sed qua subditos immenso quodam interuallo supereminet vndecunque sit.

XVIII.

XVIII. Addit, *Et sic verissimum esse, in Christo & per Christum, & quidem vt hominem, ipsum Deum adorari, id est, eo ipso, quod Christus homo adoretur, adorari ipsum Deum.* Est id quidem verissimum nostræque fidei maximè consentaneum, eo ipso quod Christus adoratur, adorari Deum, quia Christus idem est Deus; immò Patrem, quia Pater est in ipso, & ipse in Patre, quo fit vt alter absque altero neque videri neque adorari possit. Sed si ponas Christum & Deum personas esse totis essentijs diuersas, non video cur alter ab altero separatim adorari non possit.

XIX. Sed quonam tandem ista spectant, & quid ad dissoluendum argumentum nostrum faciunt? Id sequentibus verbis conatur explicare, *Et consequenter, quamuis Christus non sit ille vnus Deus, rectissimè tamen nouam illam quandam adorationem, quam ab omnibus Angelis, in Christi regno, illi vni Deo tribuendam Propheta prædixerat, de ipsius Chisti adoratione ab auctore epistola ad Hebraos expositam, siue ad ipsum Christum accommodatam fuisse. Certè enim nouus prorsus vnum illum Deum adorandi modus angelis fuit, eum in Christo homine adorare.* Si de Christi regno agitur in eo psalmo, Christus est Iehoua, de huius enim vnius regno agitur, vt legenti patet. Nouitatis adorationis, vel modi adorandi nullum indicium in Prophetæ verbis deprehendere potui: Nec intelligo, quomodo adoratio, quam ab angelis illi vni Deo tribuendam Propheta prædixerat, rectissimè de ipsius Christi adoratione exponi possit, si Christus nullo modo est ille vnus Deus. Vt igitur pressius agamus, In verbis huius psalmi ab auctore Epistolæ ad Hebræos laudatis, *adorate eum omnes Angeli*, vel, *adorent eum omnes Angeli*, quem significat pronomen, *Eum*? quem iubentur adorare Angeli? Idemne apud Prophetam & Apostolum intelligi debet, an vero alius apud Prophetam, alius apud Apostolum? Si idem, Christus est vnus ille Deus: Hunc enim apud Prophetam intelligi hæc Socini responsio concedit. Si alius, estne bona expositio, cum quod de vno dictum est, de alio exponitur?

XX. Quid quod Apostolus citat hoc testimonium, vt probet Christum ab omnibus angelis esse adorandum, ad quod probandum nihil prorsus valet, si in eo de Christo non agitur, sed de Deo Israëlis tota essentia diuerso à Christo? Debere omnes Angelos Iehouam seu Deum Israëlis adorare nemo eorum ad quos

diuinus auctor scribebat, in dubium vocabat. Quærebatur tantùm de Filio, tenerenturne etiam eum adorare omnes Angeli? teneri docet hoc vno testimonio, *Adorent eum omnes Angeli*, quod nemo non videt ad id probandum ineptum esse, si in eo vt habetur in psalmo, pronomen *eum* illum vnum Deum significat; isque est tota essentia diuersus à Filio.

XXI. Respondet Socinus, *Apostolum non tam hoc loco probare, quàm docere velle; id est, occultum psalmi verborum sensum quendam patefacere*. Non tam, inquit, probare vult, Respondeant quæsò rotundè Aduersarij, vultne Apostolus, probare, necne? Si probare vult, faciunt eum ineptè argumentantem, qui scilicet vt probet, Iesum tantùm hominem præstantiorem esse omnibus angelis, affert pro argumento mandatum quo iubentur omnes Angeli adorare Deum Israëlis. Agitur, inquiet aliquis, de Christo qui non est Deus Israëlis, & tu Apostole testimonium affers, in quo agitur de Deo Israëlis. Quæritur, an debeant omnes Angeli adorare quendam hominem, & tu affers testimonium, in quo iubentur adorare Deum illum vnum creatorem mundi. Hoccine est argumentari? Si non vult probare, errat igitur ipse Socinus cum sic loquitur, Resp. ad Classis. 1. Arg. 1. Vujeki. *Patet hoc ex ipso initio disputationis, vbi disertè Thesis ipsa exponitur: quæ talis est*: Dei filius tantò præstantior angelis est factus, quantò excellentius, præ illis, nomen hæreditauit. *Hæc, inquam est Thesis, quam Apostolus sibi probandam proponit.* Errant etiam omnes interpretes, qui summo consensu Apostolum probare velle asserunt: & quorsum tot testimonia laudaret, si nihil probare vellet?

XXII. *Docet*, inquit, *id est occultum psalmi verborum sensum patefacit.* Sensus Scripturæ distingui solet in Literalem & Mysticum: Illum verba proximè significant, Hunc res per verba significatæ. Vtrum igitur literalis est iste scilicet occultus quidam sensus, an mysticus? Si literalis, vel proprius est, vel figuratus. Non figuratus: quænam enim figura, quis tropus esse posset in pronomine *eum*, in verbis, *adorent eum omnes angeli Dei?* (De huius enim vnius pronominis significatione instituta est hæc nostra disputatio.) Et cur sensum comminiscerentur figuratum, cum obuius est proprius verus & appositus? Nec etiam proprius. Quis enim credat illius pronominis in verbis illis minimè ambi-

guis duos esse sensus literales & proprios? Sola enim ambiguitas, quæ hinc omnis abest, gignere potest plures sensus proprios. Certè pronomen illud *Eum* referri non potest, nisi ad eum qui est in versibus antecedentibus nominatus. Nullus autem nominatus fuit præter Iehouam. Non potest igitur referri nisi ad Iehouam. Mysticum quominus dicant eum sensum esse vel ipsorum dogma prohibet. Facerent enim adorationem Dei typum adorationis Christi, atque adeo ipsum Deum typum Christi, quod esset Christum supra ipsum Deum extollere. Pluris enim fieri debet res adumbrata quam eius typus vel vmbra. Vno verbo: vel colligi potest, occultus iste sensus ex psalmi verbis, vel non potest. Si non potest, pro vero sensu haberi non debet. Si potest, ostendant qua ratione ex verbis Prophetæ deduci possit.

XXIII. Socinus Ait, *si modo velimus, verba quæ ex psalmo citat, de vno illo Deo dicta esse, diuini huius scriptoris hanc mentem fuisse, vt, quia iam inter peritiores Hebræos constaret, de futuro Christo, eoque in sui regni possessionem mittendo, in eo psalmo, sub illius vnius Dei nomine, agi, non quia Christus futurus esset ille vnus Deus, sed quia vnius illius Dei personam singulari quadam ratione sustinere debebat, ex eiusdem psalmi verbis, sua interpretatione adhibita, persuaderet, Christum ab ipsis angelis adorandum esse; nempe quia non modò multa alia, quæ in eo psalmo de illo vno Deo dicuntur, vt facile ij concedebant, ad quos scribebat (scribebat enim vt ex epistola patet ad Iudæos quidem, sed iam Christianos factos) ad Christum accommodanda essent: sed etiam illud ipsum, quod ibi habetur de omnibus angelis illum vnum Deum adoraturis. Id quod non facilè cuiquam persuaderi potest, nisi, præter id, quod verissimile est, si multa alia, quæ de illo vno Deo ibi dicuntur, idcirco ad Christum accommodanda sunt, quia de ipsius Christi regno sub vnius illius Dei nomine ibi agitur, hoc etiam ad Christum accommodandum esse, quod nimirum ad ipsius regnum pertinet, accedat quoque ipsius scriptoris auctoritas & prophetia spiritus, quo patefacit, quale & quantum reuera sit Christi regnum, & quam diuina prorsus & perfectissima ratione Christus illius vnius Dei personam sustineat.* In quibus verbis quædam sunt reprehensione digna. Illud primò, quod affirmat, *Iam inter peritiores Hebræos constitisse, de futuro Christo, eoque in sui regni possessionem mittendo, in eo psalmo, sub illius vnius Dei nomine agi.* Vnde enim id rescire potuit? Num id scripsit Aposto-

lus, aut aliquis alius author illius seculi? Num id potest probabili aliqua ratione conjici? Nullo modo. Temeraria igitur est assertio, & homine veritatis studioso & modesto prorsus indigna.

Ref. Arg. v. Eras. Ioh. At, inquit alibi, *nisi ijs, ad quos hic auctor epistolæ eam scribebat, vel iam constitisset, vel facilè constare potuisset, Scripturæ locos ab ipso allatos ad Messiam pertinere, frustrà & prorsus ridiculè eos attulisset.* Benè, vel jam constitisset, vel facilè constare potuisset. Vitat enim illa disjunctione, eius, quod scire non poterat, affirmandi temeritatem. Sed vnde constare? Ex attenta locorum illorum, vt habentur in Veteri Testamento, & citantur ab Apostolo, inspectione? Nihil verius. Ita enim Berœenses *scrutabantur* Act. 17. 11. *Scripturas, an hæc ita se haberent.* Si ita sentit, concedit locos illos vim per sese id probandi habuisse, ad quod probandum adducti sunt. Sin verò (quæ videtur eius mens hoc loco) vult eos locos vim illam ex sese non habuisse, sed ex hypothesi opinionis jam ab Hebræis præconceptæ, atque adeò argumenta esse, vt loquuntur, *ad hominem*, grauiter errat, & quantum in ipso est, Dei & Apostoli sapientiam vehementer obscurat. Atque hoc est illud alterum, quod in verbis Socini reprehendendum putaui. Nam si huius, de quo agimus, testimonij vis in opinione præjudicata Hebræorum, ad quos Apostolus scribebat, sita erat, ea per se, & apud alios nulla erat. Si autoritate Apostoli nitebatur, consultius fecisset Apostolus, si testimonium non laudasset. Nam qui laudat testimonium præ se fert, se testimonij illius vi niti velle, non sua vnius auctoritate. Itaque deludi lector videtur, cum citatur testimonium, cuius vis pendet ab autoritate citantis.

XXIV. Quod bis dicit, de Christi regno sub vnius illius Dei nomine agi in eo psalmo, argumentum nostrum confirmat. Sic enim colligo. Ille cuius de regno agitur in eo psalmo est Iehoua, vt patet ex toto psalmo. Christus est ille de cuius regno agitur in eo psalmo, confitente Socino. Ergo Christus est Iehoua. Hoc primum. Deinde, quid significant illa verba, *sub vnius illius Dei nomine*, vel vt alibi loquitur, *sub ipsius Dei persona*? significantne vnius illius Dei nomine Christum significari, per ipsius Dei personam Christum intelligi? Hoc ipsum est quod dicimus, nimirum per Iehouam in eo psalmo intelligendum esse Filium Dei. Cum igitur Propheta sic loquitur, *Iehoua Regnat*, &c. quàm verbum, *regnat*, regnum Christi significat, tam nomen, Iehoua,

personam Christi significat. Si aliud volunt illis verbis aduersarij, id quale sit nobis quæso exponant. Nam si sub vnius illius Dei nomine agitur de Christi regno, vt se habet regnum quod ibi describitur ad regnum Christi, sic se habet vnus ille Deus ad Christum. Sed regnum illud est regnum Christi. Ergo vnus ille Deus est Christus. Nempe vt regnum illud se habet ad regnum Christi, sic se habet rex illius regni ad Christum. Si regnum Christi eo psalmo describitur, certè Rex qui eo psalmo describitur est Christus. Is autem Rex est Iehoua. Iehoua igitur est Christus.

XXV. Fortasse lucem aliquam isti locutioni ratio, quam subjicit, asperget. *Quia*, inquit, *Christus vnius illius Dei personam singulari quadam ratione sustinere debebat.* Sed contrà est. Implicat enim potius quàm explicat, euertit potius quàm confirmat. Nam si sub vnius illius Dei nomine, si sub ipsius Dei persona regnum Christi describitur, non iam Christus sustinet aut repræsentat personam vnius Dei in eo psalmo, sed contrà potius, vnus ille Deus sustinet & repræsentat personam Christi. Adde quod, quoties in Veteri Testamento sub vnius nomine aut persona, alter describitur, toties ille huius typus est. Porrò typus est vmbra eius cuius est typus. Est ne igitur vnus ille Deus typus Christi tantùm hominis? Dicant etiam nobis Aduersarij, si Christus non est vnus ille Deus, cur Spiritus Sanctus eum voluisset sub vnius illius Dei nomine & persona toto psalmo, toties, tam constanter, tamque periculosè describere? Nam si sub ipsius Christi vel Filij nomine regnum Christi descripsisset, æquè profuisset ædificationi Ecclesiæ, nec nobis ansam præbuisset credendi Christum eundem esse Iehouam, hoc est, vt putant Aduersarij, grauiter errandi. Haud enim decet prudentiam & charitatem Dei, innocenti atque æquè vtili locutioni, aliam admodum impropriam obscuram & periculosam anteponere. Quis enim legens hæc verba, *Iehoua regnat*, &c, si regnum Christi describi putat, non statim inducatur vt credat, per Iehouam Christum significari?

XXVI. Ad hæc, Si de Christi regno in eo psalmo agitur sub vnius illius Dei nomine, necesse est, vt vnius illius Dei nomen aliquo modo significet Christum regnantem seu regem. Vel igitur eum significat proximè, & propriè; vel figuratè; vel me-

git. Quæro igitur, quomodo vnius illius Dei, hoc est, Dei Patris, personam Christus sustineat? An vt Histrio personam Regis in scena? Non hoc, opinor, dixerint, Christo nimis injuriosum. Quanquam sic tam dici posset, non modo Iehoua, sed etiam Deus Pater, quàm histrio rex appellatur dum regis personam agit. Quid ergo sibi volunt, cum dicunt, Christum diuina & perfectissima ratione sustinere personam ipsius Dei? Christum profiteri se esse ipsum Deum, eique professioni congruenter loqui & agere? (persimili enim sensu dicere solemus, consulem consulis, Iudicem iudicis, oratorem oratoris personam sustinere.) Quare igitur eum negant ipsum Deum esse? Christum non suas, sed alienas partes agere, ac perinde, vel ipsum loqui & agere, vel de ipso Scripturam, ac si ipse Deus esset, cum tamen non esset ipse Deus? At si, vel Christus de se, vel Scriptura de ipso perinde loquitur ac si esset ipse Deus, vnde habent eum non esse ipsum Deum? Aut cur suos & conceptus & sermones, non exigunt ad normam sacrarum literarum, præsertim cum de eo sit quæstio, quem nemo nouit nisi Pater? Tres personas pro triplici munere vnus Christus sustinet, Prophetæ, Sacerdotis, Regis. Quando ergo alienam ipsius Dei personam sustinet? cum partes agit Prophetæ? aut Sacerdotis? Non arbitror. Hæ enim nullo modo sunt partes Patris. An igitur eam sustinet cum regio munere fungitur? Certè etiam tunc suas ipsius, non alienas Patris, partes sustinet. Verissimè enim ac propriissimè loquendo Rex est, suumque regnum, non alienum, administrat.

XXIX. Fortè volunt Christum sustinere ipsius Dei, hoc est, Patris personam, quomodo magistratus vulgò dicitur sustinere personam principis, seu Regis. Sed omnia ferè dissimilia sunt. Primùm Regis est ius dicere subditis, quod cum ipse per semetipsum facere non possit, creat magistratus, per quos id faciat, quique istis regij muneris partibus tanquam eius ministri, &, vt ita dicam, vicarii defungantur. Itaque quæcunque ad regem pertinent, ea non suo nomine sed regio, non sua autoritate sed regia, non tanquam sua ipsius, sed tanquam aliena, vt fideles ministros decet, administrant. Ministri enim sunt regis, non reges, eorum non est regnum, non thronus, non potestas regia, non Majestas, non ministri & serui regis. Christi dispar ratio est. Regnat enim cum Patre similiter, immò pariter. Eius sunt

quæcunque Patris sunt, regnum, thronus, sceptrum, potentia, majestas, ministri, subditi. Si regnum accepit à Patre, accepit vt Filius vnigenitus, vt hæres ex asse, vt suum, non vt alienum. Itaque non regnat vt seruus, vt minister Patris, dicam aliquid amplius, non regnat, accuratè loquendo, vt vicarius Patris. Id quod ipse Smalcius agnoscit. Enumerans enim Smiglecij, vt loquitur, calumnias in aliquot capita distributas. *Octauum*, inquit, *caput est*, nos Christum Dei vicarium facere. *Et hic cauillus est, quo remoto, ipsa Christi diuinitas relucebit. Nos enim cum Scriptura dicimus, Christum Deum esse vnà cum illo vno Deo. Quemadmodum filius regis, si à Patre ad regnum admittatur, non propriè vicarius eius, sed vnà cum Patre suo Rex esse dicitur.* Non igitur cum regnat alienam Patris personam sustinet, sed suam.

Ref. libelli de diuina verbi incarnati nat. cap 10.

XXIX. Fac tamen eum se habere ad Patrem, quemadmodum inferior magistratus ad Regem. Quis vnquam sub nomine Regis Magistratum descripsit Regi subordinatum? Quis mandatum legens, quo omnes regni proceres jubentur ciuiliter adorare regem, id exponat de Regio aliquo ministro, aut magistratu constituto à Rege, vt hunc ministrum, aut magistratum probet omnibus regni proceribus dignitate longè antecellere.

XXX. Denique, consilium Apostoli est, probare hanc thesin, Christum esse angelis præstantiorem. Id omnes interpretes agnoscunt, id causalis, *enim*, docet, id citatio tot è Veteri Testamento testimoniorum clamat, id huius ipsius testimonij collatio cum thesi probanda confirmat, id ipse Socinus vi veritatis victus confitetur. *Istud ipsum*, inquit, *vrget* Apostolus, *Christo videlicet adorationem ab ipsis angelis deberi ex quo apertissimè omnes possint intelligere, Christum angelis præstantiorem esse. quod illud ipsum est, quod ab initio probandum sibi proposuit.* Probat igitur Christum angelis præstantiorem esse, quia debetur ei ab angelis adoratio. Hoc autem probat testimonio petito è ps. 97. 8. quo iubentur eum adorare omnes angeli. Quod tamen testimonium nullam prorsus ad id probandum vim habet, si in eo de adorando vno illo Deo agitur, isque vnus Deus nullo modo est Christus.

XXXI. Regerit Socinus, *Si simpliciter probare vult, quomodo, quæso, probat, id quod de vno illo Deo in psalmo dictum est, de Christo dictum fuisse, vt inde concludat, Christum ab angelis adorandum esse? Necesse est, vt dicas, eum istud propterea probare,*

quia pro concesso sumat, Christum esse illum vnum Deum. Hoc non est necesse. Quomodo autem id probet, statim, Deo dante, explicabo. Addit, *Ad argumentationem, ex loco isto sacri illius scriptoris ductam, omnino ac penitus dissoluendam, hoc dilemmate vtor: aut colligitur ex ipsius verbis, quod Christus sit ille vnus Deus Israëlis, quia id ipse probet, Aut quia, etiamsi id non probat, tamen ita eum sensisse, ex ijs, quæ dicit, intelligi potest.* Quorsum istæ nugæ? Id colligitur ex verbis huius scriptoris collatis cum verbis Prophetæ, eo syllogismo, quem initio huius disputationis proposui, & refutatis separatim duabus Socini responsionibus firmaui. Supersunt tamen adhuc aliquot argumenta, quibus eundem confirmem, easdemque illas duas responsiones conjunctè confutem.

XXXII. Primùm à verbis Apostoli ducitur, *Et, cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, &c.* Docent enim apertè, cum describi eo psalmo secundam introductionem, seu secundum aduentum, Filij Dei in orbem terræ, tum eum, quem eo loco jubentur adorare Angeli, non ipsum Deum Patrem esse, sed primogenitum eius Filium. Quæ duo cum Socini responsionibus non obscurè pugnant. Quàm enim alius est Filius primogenitus à Patre, tam alius est ab eodem Patre is, qui teste Apostolo introducitur in orbem terræ, quemque Angeli adorare jubentur eo psalmo. Et tamen is eo psalmo sexies Iehoua nominatur, itaque magnificè describitur, vt non possit magnificentius ipse Pater describi. Adde quod Apostolus distinguere videtur eum qui introducit ab eo qui introducitur, illumque esse Patrem innuere. Ex quo intelligitur, qui jubet Angelos adorare, Patrem, qui jubetur adorari, Filium esse, huncque, non illum, eo psalmo describi.

XXXIII. Alterum argumentum petitur ab illis ipsis verbis, *Adorate eum omnes dij*, vel, *adorent eum omnes Angeli Dei*, vtrouis enim modo reddantur ad sensum nihil interest. Considerandum enim est cuius sint verba. Scripta quidem sunt à propheta: sed Prophetæ non est ad homines missi, omnibus angelis imperare & præscribere, quem adorare debeant. Hoc ad eum solum pertinet, qui supremam habet in omnes angelos potestatem. Is autem vel Pater est, vel Filius. Non sunt autem Filij verba, sed eius à quo introducitur in orbem terræ teste Apostolo, necnon

S

ipſa re: eſt enim magis conſentaneum rationi, vt ab omnibus angelis adorari Pater Filium jubeat, quàm Filius Patrem. Si igitur is qui adorationem iſtam imperat eſt pater, neceſſe eſt vt Filius is ſit, quem adorari imperat: non enim dicit, adorate me, ſed adorate *eum*, non ſuam ipſius perſonam adorari jubet, ſed aliam, nempe eam, quæ pſalmo illo Iehoua appellatur, & deſcribitur. Cæterum latet emphaſis in voce *primogeniti*. Cum enim Chriſtus primogenitus dicatur ἁπλῶς &, vt loquitur Apoſtolus, πάσης κτίσεως, *quoniam per ipſum creata ſunt omnia quæ in cœlis ſunt &*
Col. 1. 16. *in terra, viſibilia & inuiſibilia; ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnia, & omnia in ipſo conſiſtunt*, meritò ab omnibus angelis adoratur, creaturis nimirum ſuis.

XXXIV. Tertium argumentum ſumitur à connexione huius pſalmi 97. cum antecedente & ſequente. Non obſeruabo pſalmorum eſſe, vt ita dicam, tres Iubilæos (ſunt enim ter quinquaginta.) Extremos autem cuiuſque Iubilæi ſiue quinquagenarij pertinere ad Domini noſtri aduentum, præcipuè ad ſecundum, ex quo victoria noſtra, & triumphus, & plena liberatio ab omnibus malis, atque adeo lætitia & jubilum pendent. Tantùm dicam, hunc pſalmum 97. inter duos medium interjectum eſſe, quorum verba extrema ſenſu prorſus, ſyllabis propè eadem ſunt. Excitant enim omnes creaturas, etiam inanimas, ad iubilandum & exultandum, ſubjecta hac ratione, *quia venit, quoniam venit iudicare terram: iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua*. Quæ verba qui non videt de Chriſto dicta eſſe veniente ad iudicandum orbem terræ, claudere oculos ſponte videtur: tamen qui venire dicitur vtroque illo pſalmo Iehoua appellatur.
Matth. 25.31. Cum autem veniet Chriſtus, *tunc ſedebit in ſolio maieſtatis ſuæ*, Tunc magnificentiſſima ratione regnabit, ſuoſque regnando lætitia implebit, Tunc reliqua præſtabit quæ hoc pſal. 97. deſcribuntur. Ex quo intelligitur illius regnum lætificum, aduentum magnificum, iudicia celebranda in hoc pſalmo exponi, qui in antecedentis & ſequentis extremo venire nunciatur. Is autem teſtibus illis pſalmis eſt Iehoua, teſtibus Apoſtolis eſt Chriſtus, quid ergo confiteri cunctamur, eundem eſſe Iehouam & Chriſtum?

XXXV. Vt taceam Regnum, quod certo tempore incepit,

& cuius nuntium lætificare debet insulas multas, regnum esse Christi, non Patris præcisè, verborum illorum, ℣. 3. *Ignis ante ipsum pracedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*, nonne egregius est commentarius id quod dicit Apostolus 2. Thess. 7. *In reuelatione Domini Iesu de cœlo cum angelis virtutis eius in flamma ignis, dantis vindictam ijs, qui non nouerunt Deum?* Verba etiam illa ℣. 4. *vidit & commota est terra*, & ℣. 5. *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra*. Et ℣. 6. *viderunt omnes populi gloriam eius*, eum sine dubio significant, qui venit vel venturus est, qui se videndum omnibus populis exhibuit vel exhibiturus est. Quis autem ille est? Pater, an Filius? certè Filius potius quàm Pater. Addit ℣. 7. *Confundantur omnes qui adorant sculptilia*, &c. Quis suo aduentu, & vt loquitur Apostolus, τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ omnes idololatras confundet, nisi Christus? ℣. 10. *Valde exaltatus es super omnes Deos*, hoc est, angelos, de vtro conuenientius id dicitur, de Patre, an de Filio? exaltatio super angelos de Filio prædicari solet ab Apostolis, de Patre non item. Denique inde propheta ansam arripit hortandi pios ad odium mali; quoniam, quamuis in hoc seculo floreant impij, affligantur autem pij, tamen in aduentu illo Domini benè erit pijs, liberabuntur ab impijs, & sempiterni gaudij messem amplam referent, hoc quidem tempore jam sati, sed adhuc, vel latentis in terra, vel saltem fructum suum nondum edentis id quod nullius alius aduentu fiet, quam vnius Domini nostri Iesu Christi, cui sit gloria in æternum, Amen.

2. Thess. 2. 8.

Eph. 1. 21.

Heb. 1. &c.



DISPVTATIO
DECIMA

De Arg. X. Ex verbis Psal. XXIV. ℣. I. & L. 13. *Domini est terra & plenitudo eius*, Laudatis 1. Cor. x. 26.

I. ARGVMENTVM tale est. Ille cuius terra & plenitudo eius esse dicitur ps. XXIV. 1. & L. 13. est præditus essentia diuina.

Christus est ille cuius terra & plenitudo eius esse dicitur ps. XXIV. 1. & 50. 13.

Christus igitur est præditus essentia diuina.

Major extra omnem controuersiam posita est. Nam ps. 24. 1. quo loco verba illa extant totidem syllabis, *Domini est terra & plenitudo eius*, Dominus Heb. est Iehoua. Psalmo vero 50. ℣. 13. qui sic loquitur *Meus enim est orbis terræ, & plenitudo eius*, is primo versu eiusdem psalmi *Deus deorum*, & *Iehoua* vocatur.

II. Minor partim Apostoli partim Prophetæ auctoritate nititur. Apostoli quidem. Is enim 1. Cor. 10. cum dixisset ℣. 25. *Omne quod in macello venit manducate, nihil interrogantes propter conscientiam*, rationem subjunxit petitam ab illis verbis ps. 24. *Domini enim*, inquit, *est terra & plenitudo eius.* Eum autem per Dominum τ̃ κυρίου intelligere Christum, vix eget probatione. Id enim nomen, ipso eodem Apostolo teste, & quidem in hac ipsa Epistola ad Cor. cap. 8. 6. & cap. 12. 5. necnon Eph. 4. 5. singulari quadam ratione proprium est Christi. Itaque passim eo nomine, præsertim articulo, vt fit hoc loco, præfixo significatur. Accedit quod ratio à jure Christi in terram & plenitudinem eius ducta propinquior est ei, quod Apostolus probare instituebat,

quàm si petita fuisset à jure Dei Patris.

III. Prophetæ verò. Nam quod attinet ad ps. 24. Idem ille Dominus cuius terra esse dicitur ℣. 1. ipse est, qui versib. 7. 8. 9. & 10. Rex gloriæ appellatur: id quod in dubium neque vocatur, neque vocari potest. Hic autem est Christus. Id probo duobus argumentis, quibus illud ipsum concludo, quod mihi toto hoc libro probandum suscepi. Primum est eiusmodi. Rex gloriæ est Iehoua, Deus Israëlis. Christus est Rex gloriæ. E. Christus est Iehoua, seu Deus Israëlis. Majorem probo ex ℣. 7. & 9. *introibit Rex gloriæ*; ibi enim elogium Regis gloriæ ponitur pro nomine proprio & reciproco Dei Israëlis. Idem liquet ex vers. 8. & 10. quibus Rex gloriæ describitur. Cum enim bona sit descriptio, reciprocari debet cum descripto. Est autem illa descriptio vers. 8. *Iehoua fortis & potens, Iehoua potens in prælio*, & vers. 10. *Iehoua exercituum*. Reciprocatur igitur Iehoua fortis & potens, Iehoua exercituum cum Rege gloriæ: Minorem probo testimonio Apostoli, qui similiter 1. Cor. 2. 8. pro Christi nomine elogium Domini glorię vsurpauit, *Nunquam*, inquit, *Dominum gloriæ crucifixissent*. Dominus autem gloriæ & Rex gloriæ, quin idem valeant, nemo, opinor, negabit. Nam & Christus Rex est, immò *Rex Regum* Apoc. 17. 14. & 19. 16. & nomen ὁ κύριος, etiam præfixo articulo, in Biblijs græcis pro Iehoua vsurpatur, vt, vel ex vers. 1. huius ps. 24. manifestum est, & Christus vocatur ὁ κύριος Dominus κατ᾽ ἐξοχήν.

IV. Alterum argumentum sic habet. Rex gloriæ, qui hoc psal. 24. describitur, est aut Pater, aut Filius. Non est Pater quatenus à Filio distinguitur. Est igitur Filius. Non esse Patrem, quatenus à Filio distinguitur, vt probem, primùm psalmi mentem aperiam, deinde argumento rem concludam. Duobus primis versibus Propheta clamat, *Domini esse terram, & plenitudinem eius, orbem terræ & omnes qui in eo habitant*, subiecta hac ratione, *quia ipse eam fundauit super maria, & super flumina præparauit eam*, Ex quo sequebatur, omnes terræ regiones, omnes nationes absque discrimine ex æquo Dei esse. Hinc nascitur quæstio ℣. 3. *Quis ascendet in montem Domini, & quis consistet in loco sanctitatis eius?* Hoc est, quis accedet ad Deum, quis consistet in eius conspectu, An omnes homines cuiuscunque nationis & regionis sint, quandoquidem omnes ad eum pari iure pertinent,

an verò duntaxat gens aliqua, aut tribus, aut familia? Respondet, *Qui innocens est manibus, & purus corde, qui ad vanitatem animam suam non effert, neque iurat in dolo*, Significans, vt verbis vtar Apostoli Petri, *Deum non esse personarum acceptorem, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptum esse illi*: qui verò iustitiam non operatur, non esse illi acceptum. Ex quo apparet, per montem Domini, & locum sanctitatis eius, non tam montem illum terrenum & locum intelligi in quo templum erat à Salomone ædificandum, quàm illud, cuius mons ille & locus vmbra seu typus fuit.

Act. 10. 35.

V. Subijcit Propheta declarationem beatitatis eiusmodi hominis ℣. 5. *Accipiet*, inquit, *benedictionem à Domino, & iustitiam à Deo salutis suæ*. Quamuis enim operetur iustitiam, tamen non iustificabitur operibus suis, sed dono Dei seruatoris sui. Deinde, vt carnalibus Israëlitis omnem de suo genere gloriandi ansam præscindat, addit, ℣. 6. *Hanc esse generationem quærentium eum, quærentium faciem tuam Iacob*. Hoc est, qui tales sunt, hos demum esse verum Dei populum, veram posteritatem Iacobi: qui Patris sui faciem quærunt, festinant ad eum accedere, nullumque periculum recusant, vt benedictionem accipiant, qua ratione supplantant fratres suos primogenitos, id est, seculi huius principes, sapientes, nobiles: qui cœlestis benedictionis minimè sitientes non quærunt Seruatorem suum, non procedunt ei obuiam, immò venienti portas non apperiunt, sed claudunt potius, nec sese ab ista sua contumacia dimoueri patiuntur. Horum enim talem generationem verè fidelium generationi oppositam, quæ sese in principibus huius seculi, qni Dominum gloriæ noluerunt agnoscere, Propheta in spiritu describere videtur versibus sequentibus.

VI. *Attollite*, inquit, *portæ capita vestra* (Græca & vulg. *attollite portas principes vestras*,) *& eleuamini fores seculi, & introibit Rex gloriæ*. Quæris interpretem? ipsum Christum audi. *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum*. Portas plurali numero compellat, hoc est, eos, quorum est portas aperire, & iubet eas attolli; aperimus enim Christo, cum sursum ad cœlestia ferimur, non, cum conuersi ad terrena, quiescimus. Mandato adjungit promissionem, *& ingredietur Rex gloriæ*. Rex antonomasticè, & Chri-

Apoc. 3. 20.

ſtus, ſeu Meſſias reciprocantur. Chriſtus igitur *gloria & honore coronatus* Rex eſt gloriæ. Compellat autem eos qui Regi gloriæ venienti obuiam ire noluerunt, ſed ſeſe intrà clauſas domos continuerunt. Itaque pulſandum fuit, & iubendum vt aperirent. Adeſſe enim Regem illum glorioſiſſimum toties promiſſum, & tamdiu expectatum, qui ingredi cupiat. Quid principes huius ſeculi? paruerunt ne celeriter iſti mandato? Num tanto Regi confeſtim, vt par erat, aperuerunt? Num eum ſumma cum alacritate exceperunt? Nihil minus. *Quis eſt*, inquiunt, *iſte Rex gloriæ?* Non dicunt quis eſt Rex gloriæ, quemadmodum dicendum erat congruenter mandato, ſed quis eſt *iſte Rex gloriæ?* Profitentur ſe iſtum regem gloriæ non cognoſcere, ac, niſi prius quis ſcit doceantur, ſe aperire nolle. Reſpondetur, eſſe *Dominum* (Iehouam) *fortem & potentem, Dominum potentem in prælio.* Ita Chriſtus paſſim inculcat ſe eſſe Dei Filium, vnum cum Patre, Patri æqualem, vſque adeò potentem, vt verbo diabolos fugaret, cæcis viſum reſtitueret, mortuos ſuſcitaret, omnis generis morbos curaret, ac in ipſum credentibus vitam æternam & glorioſam reſurrectionem polliceretur. Potuitne cogitari animo rex potentior fortiorue in prælio eo, qui hoſtes omnes noſtros, etiam ipſam mortem deuicit, & tandem abolebit, quique, verus Iacob, *ſtrenuè ſe geſſit cum Deo, & cum hominibus, & præualuit?* Num huiuſmodi concioni, & Regis gloriæ reuelationi principes huius ſeculi fidem habuerunt? Nequaquam. Non parent enim: Itaque iteratur idem illud mandatum, *Attollite portæ capita veſtra, eleuamini fores ſeculi, & introibit Rex gloriæ*, non iterandum ſi paruiſſent. Parent ne ſaltem iterum pulſanti & aperire iubenti? Haud magis quàm antea. Perinde ac ſi ſurdis prædicatum fuiſſet, præ ſe ferunt ſe æquè ac antea neſcire quis ſit ille Rex gloriæ. *Quis eſt*, inquiunt, *iſte Rex gloriæ?* accumulant pronomina, מִי הוּא זֶה innuentes ſe quidem regem gloriæ agnoſcere, ſed iſtum tam humilem & abjectum pro rege gloriæ non habere.

Gen. 32. 28.

VII. His ita explicatis ſic argumentor. Rex iſte gloriæ venit ad ſuos, & ſui ipſum non receperunt, venit ad Eccleſiam Iudaicam, & portas ſibi clauſas inuenit, pulſauit, iuſſit aperiri, quis eſſet expoſuit, nec tamen agnitus eſt: quóque magis inſtitit, & ſeipſum per ſe & miniſtros ſuos deſcripſit, ſuamque diuinitatem, potentiam, virtutem declarauit, eó magis Sacerdotes, primores,

populi, Iudæi obduruerunt, nolueruntque eum pro rege gloriæ habere. Hoc autem non conuenit Patri præcisè & quatenus à Filio distinguitur, sed Filio: Est igitur Rex ille gloriæ non Pater præcisè, sed Filius. Propositio patet ex dictis. Illam enim interrogationem, *Quis est iste Rex gloriæ?* Non esse interrogationem fidelium Regem gloriæ noscere cupientium, sed incredulorum potius & rebellium, jam, opinor, satis ostendi. Si quis tamen dubitat, is cogitet, istos quorum in potestate portæ illæ erant, non processisse obuiam Regi gloriæ, non curasse vt ei aduentanti portæ paterent, iubenti sibi portas aperiri & attolli non statim paruisse, profitentis se Regem esse gloriæ vocem non agnouisse, nec ei fidem habuisse, sed intempestiuis interrogationibus prolatando tantam Majestatem contempsisse. Nulla enim causa erat sic quærendi; Nam & mandatum satis erat perspicuum, & nullus erat locus dubitandi quin Regi, Regi gloriæ sic absolutè nominato portæ aperiri deberent celeriter: præsertim à subditis, à seruis eius. Adde quod, vt iam obseruaui, non quærunt quis est Rex gloriæ, sed quis est iste Rex gloriæ, cum tamen in mandato non iste Rex gloriæ, sed absolutè & sine limitatione Rex gloriæ dictus fuisset. Deinde accepta responsione, qua Rex gloriæ abundè descriptus est, non parent tamen, non credunt, rursus opus est mandato, rursus interrogant: tam sunt quàm prius ignari, tam rebelles. Denique responsis describitur, non à clementia, sed à potentia & robore, & præliandi virtute, quæ terrori esse debent incredulis & rebellibus.


VIII. Propositione majore sic probata, Minor versantibus nobis in luce Euangelij Regis gloriæ obscura esse non potest. Deum enim Patrem præcisè, quatenus à Filio differt, Iudæi, etiam hodie, pro Rege gloriæ habent. Immò eius *Zelo, sed non secundum scientiam*, abrepti Filium eius, cum maximè se Filium Dei esse, atque adeò Deum & Regem gloriæ professus est, tum maximè contempserunt. Caueant Aduersarij ne simili aliquo Zelo impediantur, quominus eum esse Regem gloriæ, seu Iehouam credant.

Rom. x. 2.

X. Hinc liquidum esse potest, falsam esse Socini responsionem. *Respondemus*, inquit, *locum istum psalmi vel ad Christum referri non posse, vel certe non tanquam ad eum, qui sit ille ipse Iehoua, de quo ibi nominatim agitur; sed tanquam ad eum, in cuius persona,*

persona, licet diuersa essentia ab ipso Iehoua, id impletum fuerit, quod de Iehoua ibi praedictum fuit. Iam enim, opinor, ex dictis patet, locum istum psalmi ad Christum referri non modo posse, sed etiam debere. Intelligi autem non potest, quomodo id quod habetur in isto psalmo impleri potuerit in persona Christi, si Christus non est Rex gloriæ, nec quomodo sit Rex gloriæ, si descriptio Regis gloriæ, quæ ibidem bis facta est, ei non conuenit.

X. Ad psalmum 50. quod spectat, dubitari non potest, quin is, qui dicit ℣. 13. *meus est orbis, & plenitudo eius*, sit Deus Israëlis praeditus essentia diuina: vocatur enim, vt iam obseruaui, *Deus Deorum* & *Iehoua* ℣. 1. dubitari etiam non debet, quin idem sit Christus. Dicitur enim de eo ℣. 3. & 4. *Deus illucescet, Deus noster veniet*, (Græca & vulgata editio habent, *Deus manifestè veniet, Deus noster*) *& non silebit. Ignis ante eum deuorabit, & in circuitu eius tempestas valida. Aduocabit cœlum desursum & terram vt iudicet populum suum*, Quis autem veniet ad Iudicandum, & quidem manifestò ac cum igne praecedente? Pater? Non: *Neque enim Pater iudicat quenquam.* Filius? Certè; id enim Euangelium constanter testatur, & inculcat. Ioh. 5. 22.



DISPVTATIO VNDECIMA

De Arg. XI. Ex Pſ. LXVIII. ℣. 19. *Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus*, collato cum Eph. 4. 8.

I. EGREGIVM etiam argumentum nobis ſuppeditant verba illa pſalmi 68. 19. *Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus*, laudata ab Apoſtolo Eph. 4. 8. quod ſic concipi poteſt. Ille qui dicitur pſal. 68. 19. *aſcendiſſe in altum*, &c, eſt Deus Iſraëlis.

Chriſtus eſt ille qui dicitur pſal. 68. 19. *aſcendiſſe in altum*, &c.

Chriſtus igitur eſt Deus Iſraëlis. Major legenti ſine prejudicio pſalmum, Minor legenti Apoſtolum non vera nequit videri. Tamen aduerſarij minore, vt videtur, conceſſa, negant Majorem. *Aiunt enim, illa verba*, Aſcendiſti in altum, &c, *eſſe prophetiam de Chriſto futuro, & non dici iſta de ipſo vno Deo Iſraelis. Quomodo enim*, addit Socinus, *cum Paulus iſta ad Chriſtum accommodet ſupra omnes cœlos exaltatum, negare primùm quis audebit, hanc eſſe de Chriſto futuro prophetiam? Deinde quid erit, quod ſuadere poſſit, iſta nihilominus de vno illo Deo Iſraelis fuiſſe dicta?* Suadent multa,

II. Primùm verborum totius pſalmi ſeries & contextus. Nam ſeu antecedentes verſus, ſeu ſequentes ſpectes, vbique de Deo Iſraëlis modò in tertia, modò in ſecunda perſona agitur. Fitne veriſſimile, ſermonis, qui de Deo Iſraëlis toto pſalmo habetur, & quo Deus Iſraëlis aliquoties compellatur, filum continuum interpoſito iſto verſiculo decimo nono medium ſecari & inter-

rumpi, conuersa ad alium oratione, cuius, neque in antecedentibus facta esset mentio, neque in sequentibus fieri deberet? Ita versus iste 19. quem vulgata versio diuidit in duos, lacinia quædam esset neque cum ijs quæ antecedunt, neque cum ijs quæ sequuntur cohærens, sed aliorsum pertinens. Quod nullo modo probabile est. Huc accedit, quod non obscura est connexio huius versus cum proximè antecedente. In illo enim describitur exercitus, in isto parta victoriâ reditus in cœlum, & de spolijs hostium largitio, vt dubium esse non possit, quin de eodem sit sermo.

III. Id vidit Socinus, addit enim, *Sed concedamus (vt quidem mihi maximè probatur) liquidò constare, ea referri debere ad illum Deum proximè ante nominatum, quamuis ille in tertia persona nominetur, is verò, de quo hæc dicuntur, in secunda, non tamen euincetur, hunc esse illum vnum Deum Israelis. In Hebræo enim nomen Deus est Elohim, quod alijs præter vnum illum Deum Israelis, præsertim Christo homini, tribui rectè posse nemo est qui neget. Præterea hunc non esse illum vnum Deum Israelis, suadere omnino videtur, quod eo cum suis curribus, &c, nominato, statim subiungitur,* Dominus in eis. *Verissimile enim est prorsus, hunc Dominum alium esse ab illo Deo; quippe de quo dicatur quod in curribus &c, illius Dei sit, id est, illis virtute sua ac fauore adsit. Est autem hic Dominus ille vnus Deus Israelis.* Primùm istæ duæ rationes nihil valent. Prior quidem: Nam si ducitur à Christo homine, qui, cum Deus Israëlis non sit, dicitur tamen Elohim, petitio est quæsiti: si ducitur ab angelis & magistratibus, quibus in plurali numero nomen Elohim tribuitur nonnunquam, aberratio est à textu Prophetæ. Certum enim est in versu 18. huius psalmi per Deum, *Elohim*, intelligendos non esse angelos, nec summos inter homines Magistratus. Posterior verò: Quid est enim cur in eo versu non sit idem Deus, & Dominus, cum constet hæc nomina passim eundem significare? Nempe, currus dicuntur esse Dei, Dominus dicitur esse in curribus: *Currus Dei sunt viginti millia, millia multiplicia, Dominus in illis*, &c. Ergo Deus & Dominus non sunt idem. Egregia argumentatio! quasi Deus dici non possit esse in suo ipsius exercitu, in suis curribus, hoc est, interprete Socino, illis virtute sua ac fauore adesse? Canit Propheta exercitum Dei esse numero & virtute fortissimum, quippe in quo sunt viginti millia curruum, & quidem ite-

rata, & præterea Deum in eo esse, eius ducem esse. Id quod erat addendum, pendet enim victoria non tam à numero & robore militum, quàm à ducis peritia, prudentia, vigilantia, forticudine, &c.

IV. Deinde, quis credat nomen Dei (heb. Elohim) in verbis, *currus Dei sunt viginti millia, &c,* non eundem significare, quem in præcedentibus & sequentibus huius psalmi versibus significat, in quibus plusquam vicies vsurpatum est? Quis credat Prophetam, cum exercitum Dei describit, non eum Deum intelligere, quem iam toties nominauit, cuique toto psalmo canit epinicia? Quid? erantne duo dij, quorum alterius essent victoriæ, alterius currus seu exercitus? Nonne tunc, cum hæc scribebat Dauid, currus Dei erant viginti millia, &c? quis ergo credat, Deum intelligendum esse in illis verbis, qui nunquam antea fuerat, nondum erat, nec futurus erat nisi post mille annos, ac proinde cuius tunc temporis nulli erant currus? talem enim Deum cogitant aduersarij.

V. Præterea, sic argumentor. Deus ℣. 16. *Mons Dei, mons Bascan, mons Gibbosus, mons Bascan*, & ℣. 17. *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*, est Deus Israëlis. Atqui Deus cuius currus ℣. 18. dicuntur bis decem millia, est idem Deus. Id enim non modo nominis, vt ita loquar, identitas, & versuum propinquitas, & Dei vnitas arguit, sed etiam sensus & argumenti seu materiæ conjunctio. Cum enim Propheta, qui toto ferè hoc ps. alludit ad historiam populi Dei in deserto, montem Dei dixisset esse montem Bascan, qui giganti Og bello ereptus, populo adhuc agente in deserto, & Mose viuente, dimidiæ tribui Manasse in hæreditatem cessit, subjunxit statim apostrophen ad alios montes, hoc est, regna & societates, quæ erant montem Dei, hoc est, Ecclesiam oppugnaturæ, *Quare*, inquit, *exilitis montes gibbosi?* Deinde monet eorum conatus omnes fore irritos. *Deum* enim *montem illum concupiuisse vt habitaret in eo, & reuera in eo habitaturum perpetuò*. Neque verò esse cur confidant in militum suorum numero & robore, in curribus & equitibus: Deo enim etiam currus esse, & quidem longè plures, & potentiores, & præterea suo exercitui præsentem ipsum adesse; Itaque Sinai esse sanctitate inuiolabili reuerendum, qui impunè tangi aut violari non possit. Quis non videt eiusdem Dei & montem esse, & exer-

citum ad montem illum tuendum?

VI. Quæro etiam, cui Deo cantat Propheta, cui psallit, cuius laudes, victoriam, triumphum, beneficentiam concelebrat hoc versu 19. certè ei, ad quem laudandum alios hortatus ℣. 4. *Cantate Deo, psallite nomini eius*, &c, ipse vt alijs præeat exemplo, canit & psallit reliquis versibus? Quem Deum potius (si tamen fas est plures cogitare Deos) describit, victis & dissipatis inimicis, ascendentem, atque adeo redeuntem in cœlum, captiuam ducentem captiuitatem, dona bello parta distribuentem hominibus, quàm eum, de quo cecinit ℣. 1. *Exurgat Deus & dissipentur inimici eius*, &c. Ille autem quin sit Deus Israëlis, nec negatur ab aduersarijs, nec negari potest.

VII. Cæterum verba illa, *Exurgat Deus & dissipentur inimici eius*, &c, sunt Mosis verba, quæ, cum Arca proficisceretur, solebat pronunciare. Erat autem arca, saltem ratione operculi seu propitiatorij, typus Christi, sed typus imperfectus: propitiatorium enim non erat persona, non loquebatur, non erat vllo modo Deus. Consideremus igitur quo Deo surgente inimici dissipantur. Vel hostes intelliguntur carnales, vel spirituales. Si spirituales, Nonne Christus is est quo surgente primo suo aduentu hostes nostri spirituales dissipati sunt, & quo iterum surgente secundo suo aduentu, peribunt in æternum. Si carnales, nonne vt se habent hostes carnales ad spirituales, sic se habet victor hostium carnalium ad victorem hostium spiritualium? vel igitur idem est, vel ille huius est typus.

VIII. Potest etiam argumentum duci à ℣. 20. *Benedictus Dominus quotidie onerans nos*, &c. Cui enim gratiæ illis verbis aguntur? nonne apparet ex versu antecedente eum esse, qui deuictis hostibus reuersus in cœlum dona dedit hominibus? itaque pro illa beneficentia & largitione summa maximèque commemorabili gratiæ ei continuò, vt par erat, aguntur.

IX. Finem imponerem huic argumento, nisi Socinus addidisset, *minus verum esse id, quod Vviekus Bellarmini verbis de suo addidit, videlicet Paulum affirmare, Dauidem verba illa de Christo dixisse. Aliud enim est*, inquit, *in Christo illa impleta esse, siue impleri debuisse (quod est quicquid necessariò ex Pauli verbis elici potest) aliud verò, de Christo dicta fuisse.* In quo primùm contradictio implicari videtur. De eo enim certè illa dicta sunt in

quo impleta sunt vel impleri debuerunt, potius quàm de eo in quo non sunt impleta. Nullus enim melior est vaticinij commentarius, quàm ipse euentus. Hoc volo, Is dicitur à Propheta ascendisse in altum, captiuam duxisse captiuitatem, &c, qui reuera ascendit in altum, &c, non autem is qui non ascendit. Deinde dicta illa esse de Christo tam disertè Paulus affirmat, vt disertius vix potuerit. *Vnicuique*, inquit, *nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit*, (διὸ λέγει, expendat lector illud *propter quod*, &, *dicit*) *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ? Qui descendit ipse est qui etiam ascendit supra omnes cœlos vt impleret omnia.* Si verba illa, *ascendit in altum*, &c, non sunt in psalmo dicta de Christo, sed de alio aliquo, qui non descendit prius in partes inferiores terræ, & deinde ascendit supra omnes cœlos, quomodo sic ratiocinatur & colligit Apostolus? quomodo dicit, *quod ascendit quid est nisi quod descendit*, &c? sic enim apertè significat, id aliter accipi non posse.

X. Id quod etiam res clamat, de quo enim alio dicta illa fuissent à Propheta? de Mose? repugnat scopus Prophetæ, qui est laudes & victorias Dei canere, non Mosis: repugnant verba: Dei enim tot ò psalmo meminit, Mosis nunquam: repugnat res ipsa: nam ascendit quidem Moses in montem, verùm non dicitur hoc loco, ascendisti in montem, sed ascendisti למרום εἰς ὕψος, quæ vox sic absolutè posita montem Sinai nunquam, cœlum verò persæpè significat. Deinde reliqua non congruunt: non enim Moses ascendendo in montem captiuos abduxit, non accepit dona distribuenda inter homines, multò minus rebelles vt in ijs habitaret Dominus Deus. Denique si de Mose verba illa accipiantur, non cohærebunt cum antecedentibus neque cum sequentibus, sed erunt veluti scopæ dissolutæ, quod non congruit cum Spiritus Dei, qui in Dauide loquebatur, sapientia. De Dauide illa multò minus dicuntur: Nam vt taceam Dauidem nec sui meminisse hoc psalmo, nec suas laudes cecinisse, nec sic in altum ascendisse, nec causam fuisse cur tale quid de seipso diceret eo versu, manifestum est, eum verbis illis, *ascendisti in altum*, non semetipsum, sed alium alloquutum fuisse.

XI. De quo igitur alio ista dicerentur? de Deo Patre? alius non

succurrit. Quando ergo Deus Pater ascendisset in altum? Cum ascendit in montem Sinai? At in eum montem descendisse Deus dicitur in Scriptura, non autem ascendisse: Et vox מרום cum de Deo agitur cœlum significat, non autem terrenum montem: & Deus ascendendo in montem Sinai non abduxit captiuitatem, nec parta bello antecedente dona accepit quæ ad homines mitteret, inter quæ etiam quidam rebelles essent, vt in ijs habitaret, sed contrà potius iussit sibi munera ab Israëlitis offerri, ex quibus tabernaculum fieret, in quo habitaret. Tantùm igitur abest, vt ascensus iste in altum sit idem cum descensu Dei in montem Sinai, vt ei oppositus videri possit. Exod. 19. 11. 20.

XII. Necesse ergo est vt dicant Aduersarij, Deum Patrem dici ascendisse in altum, cum eius Filius Iesus Christus ascendit in cœlum: id quod tamen dici non potest. Nam si habita ratione ascensus Christi Deus pater dici potest ascendisse in cœlum, idem etiam dici poterit descendisse in partes inferiores terræ. Nam qui dicit, *ascendisti in altum*, is eum significat, de quo hoc dicit, antequam ascenderet, in loco inferiore fuisse. Hoc autem concesso, cur non possit Deus Pater crucifixus & mortuus pari iure dici, equidem non intelligo. Si hoc absurdum est, etiam illud absurdum videri debet. Concludo igitur de eo dicta esse verba illa, ascendisti in altum, &c, qui ascendit in altum, &c, non autem de eo qui non ascendit in altum, &c. Ascendisse autem in altum, &c. Filium, non verò Patrem, testibus omnibus Euangelistis & Apostolis: De Filio igitur non de Patre verba illa dicta fuisse.



DISPVTATIO DVODECIMA

De Arg. XII. Ex his verbis Psal. CII. ℣. 26. *Tu initio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, &c.* laudatis Heb. 1. 10.

I. ACCEDIT ad superiora testimonium disertissimum, quod Apostolus Heb. 1. 10. laudauit è ps. 102. ℣. 26. *Tu initio terram fundasti*, &c. Qui enim sic compellatur, quin sit Deus Israëlis cœli & terræ creator, nec negant, nec negare possunt Aduersarij, adeò manifestum est. Quod autem is sit Filius Dei, tam clarè docet & testatur Apostolus Heb. 1. 10. vt clarius vix possit, nec puto præter Aduersarios, quibus decretum est quoquomodo tueri thesim, vllum esse Christianum, vel Iudæum, vel Mahometanum, vel Ethnicum, qui si primum caput Epistolæ ad Hebræos legat, id ab eius autore doceri non animaduertat.

II. Excogitarunt tamen Aduersarij, quo sunt acumine, duas loci illius ab Apostolo citati distortiones. Primùm enim aiunt verba illa ps. 102. 26. ab autore illius Epistolæ *commemorata fuisse, non vt testimonium de Christo proferret, sed vt illis vteretur ad apostrophen ad Deum* Patrem *faciendam*. Deinde (quod *sibi plus probari* dicit Socinus) confitentur *in his verbis* (*nempe Heb. 1. 10.*) *testimonium quidem de Dei Filio esse, inter alia antecedentia numerandum, quæ ibi Apostolus attulit*. Quid ergo posita illa confessione respondere possunt? Nam versus ille decimus nihil habet præter ista verba, *Et, Tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli*, quæ si testimonium sunt de Filio, Filius est cœli & terræ creator. Quid ergo respondent? Audi lector & mirare

mirare subtilitatem, negant testimonij partem illam quæ recitatur ℣. 10. ad Filium dirigi, aut ad eum vllo modo pertinere. Quorsum ergo citatur? non propter se, sed propter sequentia, quæ recitantur ℣. 12. *Ac velut amictum circumuolues eos, & mutabuntur.* Quid igitur? diriguntur ne ista verba ad Filium? Minimè. Aut est ne in illis verbis mentio aliqua Filij? Nulla prorsus. Quomodo igitur sunt *testimonium de Filio*? Quia in eis mentio fit abolitionis seu mutationis cœlorum. Quid hoc ad rem? Hæc mutatio, inquiunt, fiet per Christum in eius postremo aduentu. Istudne dicitur à Propheta? nullo modo. Sic confessio, *Testimonium esse de Filio Dei*, euanescit tandem in auras, nihilque esse nisi illusio deprehenditur.

III. Sed quoniam duæ istæ citationis huius testimonij deprauationes satis refutatæ nobis videntur lib. I. Disp. de Arg. XXXI. nihil addemus hoc loco, nisi quod, vt hæc quoque disputatio momenti nonnihil ad superiora adjungat, confirmabimus, Filium Dei mundum creasse, duobus argumentis, si non prorsus necessarijs, saltem valdè probabilibus. Prius ducetur à Typo. Constat enim Christi quidem propitiatorium, Angelorum verò cherubim illos typos fuisse, qui faciebus in propitiatorium conuersis, illud alis tegebant, quò alludere videtur Petrus I. Pet. I. 12. Hoc posito (nam, quia non videtur ab aduersarijs negatum iri, confirmatione supersedeo) quæro, cur duos illos cherubim ex ipso propitiatorio fieri oportuit? Id enim, & Deus disertis verbis præcepit Exod. 25. 18. & factum fuisse congruenter præcepto narratur Exod. 37. 8. Cum enim id neque fortuitò, neque temerè acciderit, neque frustrà ab autore Scripturæ obseruatum fuerit, & quidem tam accuratè, causam aliquam grauem eius rei oportet subesse, quæ aliundè quàm ab ipsa re adumbrata peti non potest. Talem enim vmbram seu figuram esse oportuit, vt, quoad eius fieri potuit, corpori suo seu veritati responderet. Credendum est igitur idcircò cherubim illos originem ab ipso propitiatorio ducere debuisse, vt illud nobis adumbrarent, quod Apostolus disertè affirmauit Col. I. 16. & nos lib. I. disp. seu Arg. 20. 25. 27. 28. 29. 30. 31. probauimus, Angelos ab eo, qui est verum propitiatorium, originem ducere, hoc est, creatos fuisse. Quid enim aliud potuit ea re adumbrari?


IV. Alterum argumentum petetur ex Apoc. V. 13. quo loco

testatur Apostolus, se, cum primum sigillum Agnus aperuisset, *omnem creaturam, quæ in cœlo est, & quæ in terra, & sub terra, & in mari, & quæ in ijs sunt omnia, audiuisse dicentes, Sedenti in throno & Agno benedictio, & honor, & gloria, & robur in secula seculorum.* Quomodo omnis creatura nulla exceptâ (ne qua enim excipi posset cauisse diligenter Apostolus videtur) hoc dicit? Propriè enim id dicere neque creaturæ mentis expertes possunt, neque rebelles volunt. Nempe id creatura dicere intelligitur, quod aliquomodo significat: dicere enim est aliquid significare. Signa porrò vel naturâ suâ, vel ex instituto significant. Dicitur propriè quod significatur vocibus ex instituto significantibus; impropriè verò, quod significatur signis naturalibus. Quod igitur sunt voces loquenti, id sunt facultates & operationes rebus: Hæ enim sese, non minus quam voces, ingerunt sensibus, & præter se aliquid aliud menti. Itaque non rarò Scriptura per metaphoram, aut etiã prosopopoeiam, rebus inanimatis tribuit sermonem. Hoc ergo dicit omnis creatura, quod eam dicentem Iohannes audiuit, quatenus id significat. Quomodo autem id significat, si non est creatura, seu opus Agni?

V. Id enim dicit sine dubio, aut quatenus eius creatura, aut quatenus ab eo reformata, aut quatenus, quamuis nec eius creatura sit, nec ab eo reformata, tamen eius imperio subjecta est. Quartũ enim excogitari non potest. Primum si conceditur causam vicimus, verbum seu Dei Filius creauit omnia. Secundũ dici non potest. Nam, neq; nomen creaturæ positum absolutè pro noua creatura vsurpatur vnquam; neque omnis creatura quæ est in cœlo, & in terra, & sub terra, & in mari, &c, dici potest reformata per Christum. Quis enim diabolos aut homines incredulos & impios, aut cadauera hominum putrescentia in terra, aut pisces, aut metalla per Christum reformata fuisse dicat? Legatur disp. de Arg. 29. lib. 1. à §. 12. ad finem vsque. Sed pone, quod falsum est, omnes creaturas esse aliquomodo reformatas per Christum, tamen huius reformationis nullum prorsus apparet in plurimis creaturis indicium, nullum signum: quomodo ergo ratione huiusmodi reformationis significant benedictionem, honorem, gloriam, robur pertinere ad eum qui sedet in throno & ad Christum? Tertium
Heb. 2. 8. quoque dici non potest. Primum quia *nondum videmus omnia Christo esse subiecta.* Deinde quia ad eiusmodi δοξολογίαν sola sub-

jectio non sufficit. Non enim quicquid subjicitur alicui, id continuò laudes eius celebrat cui subjicitur. Multæ sunt regiones, multi mortales, vt de ijs quæ sunt sub terra & in mari nihil dicam, in quibus subjectionis Christo quatenus est homo, aut propter istam subjectionem confessionis illius nullum prorsus vestigium apparet. Quomodo igitur tot creaturæ id dicentes audiri possunt, quod nullo modo significant? Fatendum est igitur omnes creaturas id dicere quatenus sunt creaturæ. Opus enim benefactum non potest non laudare opificem suum.


VI. Id quod etiam nonnulla suadent. Primò nomen creaturæ isti significationi congruens. Deinde similis confessio quatuor animalium & viginti quatuor seniorum cap. IV. 9. 11. *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & robur;* versu 9. etiam *benedictio* exprimitur: quæ quatuor hoc loco & omnia & sola memorantur. Subjicitur autem ratio ducta à creatione, *quia tu creasti omnia, & per voluntatem tuam sunt, & creata sunt.* Ex quo intelligitur, eiusmodi δοξολογίαν deberi & reddi Deo ob creationem. Tum, adoratio seu confessio Angelorum proximè antecedens ℣. 12. ijsdem enim etiam verbis concepta est, quibus illa cap. IV. 11. Nisi quod ad majorem emphasim plura nomina congesta sunt. Vt appareat quæcunque sunt Patris, eadem etiam Filij esse, ne gloria quidem illa excepta quæ ei propter creationem mundi debetur. Denique, conjunctio Sedentis in throno cum Agno. Non enim potuit apertius innui inter vtriusque adorationem & gloriam nihil interesse. Quomodo dicit omnis creatura, *Sedenti in throno benedictio, & honor, & gloria, & robur in secula seculorum*, eodem modo id ipsum dicit Agno: nullum est discrimen: est enim vna eademque δοξολογία. Constat autem omnem creaturam id dicere Sedenti in throno, quia est eius creatura, eo modo quo præclarum opus causæ suæ virtutes declarat. Eodem igitur etiam modo id dicit Agno.





DISPVTATIO
DECIMA TERTIA

De Arg. XIII. Ex verbis Apostoli 1. Cor. x. 9. *Neque tentemus Christum, sicut & quidam illorum tentauerunt, & perierunt à serpentibus,* collatis cum Num. 21. 5. 6.

I.  RGVMENTVM sic potest concipi. Ob quem tentatum in deserto quidam Israëlitarum perierunt à serpentibus, ille est Deus Israëlis.

Ob Christum tentatum in deserto quidam Israëlitarum perierunt à serpentibus.

Christus igitur est Deus Israëlis. Vel sic, ille quem quidam Israëlitæ tentarunt in deserto & perierunt à serpentibus, est Deus Israëlis.

Christus est ille quem quidam Israëlitæ tentarunt in deserto & perierunt à serpentibus.

Christus igitur est Deus. Major nititur historia, quæ narratur Num. 21. 5. necnon constanti testimonio Scripturæ Veteris testamenti, quæ Deum Israëlis tentatum fuisse ab Israëlitis dicit aliquoties, alium verò ab illis tentatum fuisse nunquam dicit. Minor nititur diserto Apostoli testimonio 1. Cor. 10. 9.

II. Socinus primùm negat majorem. Nam præter Deum Israëlis tentatum fuisse Mosem, necnon Angelum illum, *cuius ductu populus ex Ægypto liberatus fuerat,* & qui *fuit in deserto perpetuò cum populo.* Quod vt confirmet ait, Num. 21. 5. *Mosem disertè nominari, Illum autem vnum Deum Israelis non disertè nominari: Nomine* enim Dei, *Elohim non significari vnum illum Deum Israelis, sed Angelum cuius ministerio Israelitæ educti fuerant ex Ægypto,* quem *Angelum* ait, *cum in sua propria persona consideratur,*

Elohim apertè vocari: cum verò *sustinet* alienam *personam vnius illius Dei Israelis*, *Iehouam appellari*. De hoc Angelo alias. Nunc satis est monuisse frustrà laborasse Socinum in excogitanda, & multis verbis explicanda responsione, quam parua quadam declinatione possumus effugere. Sic enim argumentum reformo. Quicunque tentatus fuit ab Israëlitis Num. 21. is fuit aut Deus Israëlis, aut Angelus creatus, aut Moses. Christus tentatus fuit ab Israëlitis Num. 21. Christus igitur fuit aut Deus Israëlis, aut Angelus creatus, aut Moses. Atqui non fuit Moses, nec Angelus creatus. Ergo fuit Deus Israëlis. Non fuit Moses, vt patet. Nec Angelus, vt liquet ex Heb. 1. 5. & 2. 2. 5. Itaque nunquam in Nouo Testamento Angelus appellatur nisi fortè in Apocalypsi, in qua etiam pastores seu Episcopi angeli vocantur.

III. Interim moneo duo: vnum, Israelitas loquutos quidem fuisse contra Deum & contra Mosem, tamen Mosem non tentasse, sed Deum. Nunquam enim Moses tentatus dicitur in Scriptura. Quanti autem fieri debeat perpetuum Scripturæ silentium ignorare non potest, qui eo nitentem contemplatus fuerit Apostolum Gal. 3. 16. Heb. 1. 5. & 7. 3. Sed neque Lex vetabat tentare hominem, neque quisquam, quòd sciam, reprehenditur in Scriptura quòd tentarit hominem. Alterum, Si per Deum, Elohim, eo loco non intelligitur vnus ille Deus Israelis, iam tum duos Deos fuisse, qui populum Israeliticum eduxerunt è captiuitate Ægyptiaca, qui eum duxerunt per desertum, quos populus ille tentauit, contra quos peccauit, quosque adeo colere debuit. Quis hoc credat? Quomodo etiam Apostolus Christum Angelis præstare docet argumento ducto ab Elogio Filij Dei Heb. 1. 5. si vni cuidam Angelo in propria persona considerato Dei nomen tributum est in Scriptura, si etiam is nonnunquam appellatus est Iehoua? Sed ea de re disputandum nobis erit, Deo fauente, alio loco diligentius, nunc dico, vno verbo, illum Angelum aut Christum fuisse, aut Christi typum. Si prius, jam tum Christus fuit, & quidem Deus, populi ex Ægypto liberator, & qui se Iehouam esse aliquoties dixit. Si posterius, cur ille Angelus Deus appellatus est, & Iehoua etiam, nisi vt id eo adumbraretur quod homine adumbrari non potuit, Christum esse reuera Deum & Iehouam?

Reliquas Aduersariorum responsiones habes, lector, refutatas lib. 1. Disp. de Arg. XII.



DISPVTATIO
DECIMA QVARTA

De Arg. XIV. Ex Esai. xxxv. 4. *Deus ipse veniet, & seruabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum reserabuntur*, &c, collato cum Matth. xi. 5.

I. REDEAMVS ad Esaiam Prophetam, & loca quædam expendamus in extremo huius primæ Sectionis, quæ aliquomodo ambiguum est, vtrum ad hanc, an ad sequentem sectionem potius referri debeant. Occurrit mihi primus ille locus, qui extat Esai 35. 4. *Ecce Deus vester cum vltione & retributione veniet. Deus ipse veniet & seruabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum & aures surdorum reserabuntur. Tunc saliet sicut ceruus claudus & cantabit lingua muti.* Hoc intelligendum esse de aduentu Christi ipse Christus docet Math. 11. 4. Quærenti enim per discipulos Iohanni Baptistæ. *Tu ne is es qui venturus est, an alium expectamus?* Respondit, *ite & renunciate Iohanni quæ auditis, & cernitis. Cæci visum recipiunt, & claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui suscitantur, & pauperibus euangelisatur.* Quibus verbis manifestum est eum ad vaticinium illud Esaiæ alludere. Argumentum sic potest confici.

Deus, cuius aduentus prædicitur Esai. 35. 4. est Deus Israëlis, seu est præditus essentia diuina.

Christus est Deus cuius aduentus prædicitur Esai. 35. 4.

Ergo Christus est Deus Israëlis.

II. Quid respondet Socinus? *Primo*, inquit, *loca nego, necesse esse vt locus Esaiæ de vno illo Deo Israelis accipiatur. Possunt enim verba eius ita intelligi, vt, quando de re futura manifeste loquitur,*

quidquid in illis dicitur in futurum respiciat. Et sic, quamuis Deus, qui ibi nominatur, hac appellatione Deus vester, *vocetur, non tamen continuo sequitur, ibi sermonem esse de vno illo Deo Israelis, qui iam tum erat. Potuit enim Christus homo, qui nasciturus erat, illorumque Deus futurus ista appellatione insigniri.* Laudo confessionem, Christum Dei nomine hoc loco insigniri. Probo id nomen non posse hoc loco nisi de vno illo Deo Israelis intelligi. Primùm enim negari non potest nomen Elohim Dei Israelis nomen esse, & quidem omnium & primum & maximè vsitatum: Itaque quoties occurrit in Scriptura, toties Deum illum vnum Israelis cogitandum esse, nisi grauis ratio obstet, quæ hîc nulla est. Si idolis gentium tribuitur aliquando, id fit cum adjectione quæ idolum significari innuit: Si Iudicibus aut Angelis, id fit cum metaphoricè seu figuratè, tum in plurali numero, ita vt propterea eorum nemo singulariter Elohim seu Deus appellari potuerit. Si singulari numero de aliquo Angelo dicitur, aut is Angelus non est natura angelus, sed officio tantùm, atque adeò idem cum Christo; aut si est angelus creatus, is quis sit ignoratur prorsus, nec potest ab alijs Angelis vllo modo internosci, & sine dubio Deus dictus est typicè tantùm. Hoc autem loco nomen Dei, Elohim, vsurpatur absolutè, singulariter, subjectiuè, non metaphoricè sed propriè, non typicè sed verè, quomodo contendo, nisi Deo Israelis, tribui in Scriptura nemini. Adde quod construitur cum verbo singularis numeri, vt solet cum de vno illo Deo Israelis agitur.

III. Deindè dicitur *Deus vester.* Quos autem alloquitur? Quandoquidem confitetur Socinus Christum sic appellari, alloquitur eos quibus promissus est aduentus Christi. Hoc negari non potest. Promissus est autem Israelitis. Vocatur ergo Deus Israelitarum. Clamat autem Scriptura Deum Israelitarum esse vnum. Vnus igitur Deus Israelis intelligitur. Certè cum de Israelitis agitur de idololatria non reprehendendis, aut de fidelibus, nunquam Deus noster, Deus vester quisquam dicitur, qui non sit Deus Israelis.

IV. Tum, non modo dicitur hoc loco Deus, & Deus vester, sed *Deus ipse.* Potuitne Propheta clarius significare, se Deum intelligere, qui tunc reuera Deus erat, & præter quem nullus est Deus?

V. Præterea, quis non videt, qui vocatur hoc ℣. 4. *Deus vester*, *Deus ipse*, eundem cum eo esse qui ℣. 2. *Deus noster* appellatur, *videbunt gloriam Domini*, *& decorem* (seu, vt alij vertunt *magnificentiam*, *maiestatem*) *Dei nostri*. Nam, quàm dicitur verè Deus vester Israelitas vel fideles alloquendo, tam dici potest ab Israelitis vel à fidelibus Deus noster. Quis etiam legens verba illa *videbunt decorem Dei nostri*, & continuò post, *Deus ipse veniet*, eundem Deum non intelligat, præsertim si credat (qua fide & persuasione imbutos esse omnes Israelitas decuit) *nullum esse Deum nisi vnum*? Adde quod videbunt sine dubio decorem Dei qui veniet, atque adeo veniens sese ostendet, gloriamque suam reuelabit aperiendo oculos cæcorum, & aures surdorum, &c. Iam autem eo ℣. 2. Deus noster idem *Dominus*, heb. Iehoua, appellatur: vt enim gloria & decor seu magnificentia idem sunt, sic idem est Dominus cuius gloriam videbunt cum Deo nostro, cuius magnificentiam seu decorem videbunt. Videbitur qui apparebit, apparebit qui veniet, veniet autem Deus ipse. Est igitur Deus ipse ille Deus noster ille Iehoua, cuius gloria & decor videbitur.

VI. Hoc ipsum docet collatio huius loci cum similibus, in quibus Deus prædicitur venturus. Esai. 25. 9. *Ecce Deus noster iste. Expectauimus eum & seruabit nos*: *Iste est Dominus quem expectauimus*: *exultabimus & lætabimur in salute eius*. Hunc enim Deum esse Deum Israelis liquet ex verbis, *Iste est Dominus* Heb. Iehoua *quem expectauimus*. Eundem autem esse cum eo qui venire dicitur hoc loco Esai. 35. patet 1. ex nomine *Deus noster*: quibus enim dicitur *Deus vester veniet*, hi inducuntur dicentes postquam venit, *Ecce Deus noster iste*. 2. ex verbo repetito expectauimus. Non enim expectatur nisi qui venturus creditur. 3. ex verbis *seruabit nos*, notant enim finem aduentus eundem: dicunt *seruabit nos*, vt hîc *seruabit vos*, Esai. 40. 10. *Ecce Deus vester, Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet*, &c. Hîc similiter Deus vester appellatur, & venturus promittitur; & tamen dicitur Dominus Deus, heb. Adonai Iehoua, quæ duo nomina maximè propria sunt Dei Israelis. Sic psal. 50. 3. *Deus manifestè veniet*, *Deus noster*, & *non silebit*. Deus est, *Elohim*, additur pronomen *noster*, eius aduentus prædicitur, & tamen negari nequit, quin intelligendus sit Deus Israelis, vt patet ex ℣. 1. & 8. Sic psal 96. 12. & 98. 9.

98. 9. promittitur aduentus Domini, Iehouæ, ad Iudicandum orbem. Concludimus igitur per Deum ipsum, Deum vestrum, cuius aduentum Esaias prædicit ad vlciscendum & ad seruandum, Deum Israelis intelligendum esse. Clamat Deus Israelis apud Esai.& inculcat, se Deum esse, & præter se nullum Deum esse, Et tu putabis apud Esaiam per Deum, Deum ipsum, non esse intelligendum Deum Israelis! Clamat Deus Israelis & inculcat apud Esaiam, Seruatorem esse se & præter se neminem, & tu putabis apud Esaiam cum dicitur, *Deus ipse veniet & nos seruabit*, Deum seruatorem intelligendum esse tota substantia, totoque genere à Deo Israelis diuersum! Appello, lector, fidem & conscientiam tuam, num id tibi videatur vllo modo verisimile? Manet igitur firma Major argumenti nostri. Minorem quoque Socinus tentat, sed frustra.

VII. *Secundò*, inquit, *respondeo, Etiamsi concedatur, Esaiam de illo vno Deo Israelis verba facere, non tamen sequi, Christum esse illum Deum. Quamuis enim facilè concedam, prædictionem istam pertinere ad Christi tempora; non tamen hinc sequitur, Christum esse illum vnum Deum, de quo Esaias loquitur.* Immò sequitur. Nam si ille cuius aduentus promittitur & prædicitur ab Esaia est ille vnus Deus Israelis, & prædictio pertinet ad Christi tempora, venit Christi temporibus ille vnus Deus Israëlis. Vel igitur alius aduentus eius fuit, alius aduentus Christi, vel idem. Alium nemo dixerit. Non enim venit ille vnus Deus, nisi quia Christus venit. Si est idem, etiam Christus & vnus ille Deus idem sunt. Nam, vt se habet aduentus ad aduentum, sic se habet venturus ad venturum. Si igitur aduentus illius vnius Dei & Christi vnus idemque aduentus sunt, etiam ille vnus Deus venturus & Christus venturus vnus idemque qui erat venturus sunt. Deinde respondet ad amussim euentus prædictioni. Quem igitur Esaias venturus prædixit, is venit. Considera igitur quis venerit: venit enim certè is quem venturum prædixerat. Quis ergo venit? venit vnus Christus, alius nemo. Venit quidem Iohannes Baptista, sed vt Christi anteambulo & minister: venerunt Apostoli, sed missi à Christo ipsorum domino. Vnum igitur Dominum venisse video. Id clamat vniuersum Euangelium, hoc est optatissimus de eius aduentu nuncius. Christus igitur est ille, quem Esaias venturum prædixerat. Congruunt omnia; Nomen, nam & in Veteri & in Nouo Testamento Deus appellatur: Miracula aduentus effecta &

Ref. Resp. 2.

signa, aduentũ enim & virtute Christi oculi cæcorum aperti sunt, & aures surdorum referatæ &c: Finis, venit enim ad seruandum, vt esset autor salutis cum ab omni malo, tum æternæ, nec in alio est salus.

VIII. Præterea quorsum pertinet quod subjungit Esaias, *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum reserabuntur &c?* Nonne eo pertinet, vt intelligamus, quicunque venerit, nisi miracula illa edantur, Deum non venisse, cum autem miracula illa patrabuntur, tunc esse colligendum, Deum venisse? certè negari non potest, quin proponantur miracula illa tanquam effecta & signa aduentus ipsius Dei: cum ergo cum ea videamus à Christo & quidem virtute ipsi insita, cum per se, tum per Apostolos suos patrata, non concludimus ipsum Deum venisse?

IX. Atque hoc est quod sua responsione Christus innuit. *Tune*, dixerant discipuli Iohannis, *is es qui venturus erat, an alium expectabimus?* Venturum sine dubio intelligunt præstantissimum, in quo sit acquiescendum, nec expectandus præstantior. Respondet Christus, se illum ipsum esse, non quidem totidem verbis, sed aduocata in testimonium ipsa experientia, *ite & renunciate Iohanni quæ auditis & videtis, cæci visum recipiunt*, &c. Quasi diceret, quærit Iohannes num sim ὁ ἐρχόμενος, ille κατ᾽ ἐξοχὴν venturus ad seruandum, in quo debeant omnes acquiescere. At quid opus est id à me sciscitari, quod ipsa res tam clarè loquitur. reputet cum animo suo quis sit omnium, quos Prophetæ venturos prædixerunt, dignissimus, nullum comperiet præstantiorem ipso Deo. Cogitet quæ Prophetæ prædixerunt tunc euentura cum Deus ipse venerit, eaque conferat cum illis quæ videtis & auditis à me patrari miracula, & statim quis sim cognoscet, nec alia ei opus erit responsione. Facilis ratiocinatio. Prædictum fuerat à Prophetis ipsum Deum venturũ esse vt seruaret populum suum, & cum venisset, tunc futurum, vt cæci visum recuperarent, surdi auditum &c. Venit Christus, & cæci visum receperunt, surdi auditum &c. Ergo Christus est ipse Deus qui erat venturus. Nemo enim ante Christum ea miracula edidit, nedum
Ioh. 15. 24. & 9. 32. tanta copia. *Si opera*, inquiebat, *non fecissem inter eos quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent* &c. *A seculo*, dicebat visu recepto cæcus, *non est auditum quenquam aperuisse eius oculos, qui cæcus natus fuisset*: quæ causa fortasse est, cur id vnum miraculum

selectum sit, cuius tam enucleatè historia exponeretur. Nemo post Christum venit qui non fuerit seruus Christi, quique, si miracula eiusmodi edidit, ea, nomini Christi accepta non retulerit. Itaque aut in Christo impletum est istud Esaiæ de ipso Deo venturo vaticinium, aut nondum impletum est. Si prius, testantur illa signa Christum esse illum ipsum Deum, cuius aduentus salutaris promissus Ecclesiæ fuerat hoc in loco. Itaque ipse Christus in Euangelio profitetur, se Dei Filium, atque adeo Deum esse, vnum cum Patre, testesque suæ diuinitatis profert opera & miracula, quæ propria virtute & autoritate patrabat. Si posterius, non erat acquiescendum in Christo, sed expectandus alius Christo præstantior, scilicet ipse Deus, id quod & cum responsione Christi, & cum vniuerso eius Euangelio pugnare manifestum est.

X. Si ipse Deus, qui venturus prædicebatur à Propheta, non est Christus, sed alius ab eo tota essentia, immò genere diuersus, certè Christus tantùm homo non fuit κατ' ἐξοχὴν ὁ ἐρχόμενος, sed alius multò præstantior nempe ipse Deus. Qui fit igitur, vt Christus venisse ad nos seruandos toto Euangelio nuncietur, venisse alium Christo præstantiorem, aut venturum, nunquam dicatur? Patrem quatenus differt à Filio venisse in mundum, vt peccatores seruaret, nusquam lego. Dicit quidem Filius Patrem secum esse, se esse in Patre, Patrem in se: cum enim ipse & Pater vnum sint, aliter se res habere non potuit: sed nunquam dicit, Patrem venisse in mundum, immò mundum opponit Patri. *Exiui*, inquit, *à Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum, & abeo ad Patrem.* Ioh. 16. 28. Adde quod si ipse Pater venisset, non potuisset majore quàm Filius, vel autoritate peccata condonare, spiritibus immundis, mari & ventis imperare, vel virtute miracula omnis generis facere, atque discipulis suis in suo ipsius nomine faciendi potestatem indulgere, vt non potuerit ipsa experientia clariori voce testari, præsentissimum maximeque salutiferum numen adesse.

XI. At, inquit Socinus, in Christi verbis, *non tantùm ista commemorantur, quæ in loco Esaiæ leguntur: sed præterea, mortuos resurgere, pauperes euangelisari, & beatum esse, qui in Christo scandalisatus non fuerit.* Quid inde colligi potest, nisi, ad ea, quæ in loco Esaiæ leguntur, maximum accessisse cumulum: Chri-

stum non modò ea omnia præstitisse, sed etiam plura atque majora: itaque vaticinium illud in Christo cumulatissimè impletum esse? Adde quod superadditis illis verbis alludere videtur ad alios locos quibus eius diuinitas à nobis confirmatur. Esai. 25. 8. Ose. 13. 14. Esai. 61. 1. Esai. 8. 14.

XII. Pergit Socinus, *Affirmo*, inquit, *eam Esaia prædictionem commodè posse, vel potius, vt multa alia similes, debere ad tempora etiam liberationis ex captiuitate Babylonica referri, tanquam redemptionis nobis per Christum partæ typum.* Temeraria affirmatio. Nihil enim eo loco occurrit, quod agi de liberatione ex captiuitate Babylonica suadeat, multa dissuadent. Immò inquit, *indicant hoc satis apertè vltimus & penultimus cap. versiculus, vbi prædictio ista demum terminatur, in quibus disertè redemptorum, id est, ex captiuitate liberatorum, & eorum in Sion reditus fit mentio.* Quid? nullane est redemptio, nullus reditus in Sion nisi ex captiuitate Babylonica, vt quoties mentio fit redemptorum à Domino, toties cogitanda sit captiuitas Babylonica? Atqui nescio an vspiam in Scriptura verbum redimendi de liberatione ex captiuitate Babylonica legatur vsurpatum. In causa fortasse est, quod nulla commemoratur Dei apud Cyrum per Prophetas aut legatos suos externa actio, qua populi sui dimissionem ab eo impetrauerit. Sed præterea adduntur hoc loco, quæ ab eiusmodi carnali & temporali liberatione mentes nostras auocent. Sic enim versiculus habet, *Et redempti à Domino conuertentur & venient in Sion cum laude: & lætitia sempiterna super caput eorum. Gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Nam lætantes quidem Iudæi reuersi sunt in Iudeam è Babylone, sed nec perpetua fuit ea lætitia, nec dolor & gemitus fugerunt; fuit enim illis statim multis cum molestijs doloribus & angustijs confligendum, vt patet ex Neh. 1. 3. &c. Adde quod versus immediatè præcedentes carnali eiusmodi liberationi nullò modo conueniunt, *& erit ibi semita & via, & vocabitur via sancta: non transibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa via, ita vt stulti non errent per eam.* Sic vulg. At Heb. *Et ipsa illorum: viator & stulti non errabunt.* Quid si sic vertas, *& ipse*, (heb. הוא, quod Dei nomen est non infrequens apud Esaiam) *cum eis ambulans, via, & stulti non errabunt?* Deus enim, hoc est, Christus, qui nobiscum ambulauit & ad gloriosam immortalitatem nobis præiuit, ipse via est, nec possunt er-

rare ſtulti cùm in eo incedunt, & per eum eunt ad Patrem. Vt vt ſit, clarum eſt id de via, qua reuerſi ſunt è Babylone Iudæi, intelligi haud magis poſſe, quàm quod ſequitur, *Non erit ibi leo, & mala beſtia non aſcendet per eam, &c.*

XIII. Sed quid clarius verbis, *Deus ipſe veniet, & ſeruabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum reſerabuntur, &c.* Lege hiſtoriam reditus è captiuitate Babylonica, nihil in ea eiuſmodi commemoratur. Non dicitur veniſſe Deus vt populum ſuum ſeruaret. Cæcorum, ſurdorum, claudorum, mutorum ne mentio quidem eſt. Nullum prorſus narratur miraculum tunc patratum. Reſpondet Socinus, *hoc nihil impedire. Allegoricè enim*, inquit, *ſunt miracula iſta ſaltem pro eo tempore accipienda.* At cur ſunt accipienda allegoricè, quæ videmus à Chriſto edita hiſtoricè, ſenſu proprio, & literali? Tunc enim demum ad allegoriam confugiendum eſt, cum ſenſus literalis non quadrat. Nam ſi ſine neceſſitate confingere licet ſenſus allegoricos pro arbitratu, quid non poterit conuerti in allegoriam? quid tam diſertè & propriè dictum fuerit de Chriſto, quod non aliorſum allegoricè detorqueatur? Hoc eſt primum Socini peccatum in illis verbis. Accedit alterum. Vult liberationem è captiuitate Babylonica typum fuiſſe redemptionis nobis per Chriſtum partæ. Id, quo ſenſu ab eo intelligitur, falſum eſſe puto. Sit tamen ita Quid abſurdius, quàm Prophetæ verba de typo quidem allegoricè, de re verò adumbrata propriè exponere? Contrà enim fieri debet. Quoties enim cunque de Typo agitur, toties ſenſus literalis ad typum pertinet, allegoricus verò ad rem per typum ſignificatam. Verba enim typum ſignificant immediatè, rem verò adumbratam non niſi mediante typo.

XIV. Video etiam in illis verbis tertium peccatum, falſam nimirum aſſertionem. Nihil enim deprehendo in hiſtoria liberationis Iudæorum è captiuitate Babylonica, ad quod verba illa, *tunc cæcorum oculi aperientur*, &c, allegoricè poſſint accommodari: Nec vllam poſſum excogitare allegoricam expoſitionem, quæ quadret. Sed fac tale quid in ea hiſtoria deprehendi poſſe, neceſſe erit, vt ſit typus miraculorum illorum, quæ Chriſtus in cæcis, ſurdis, mutis & claudis edidit. Alioqui periret typi analogia, & verba Prophetæ, ad Chriſti tempora, aut citra typi interuentum, aut nullo modo pertinerent. Oſtendant igitur no-

commemorare hoc loco necesse non est. Dicam tantùm, quando tam disertè, tam emphaticè, tam sæpe venturus Deus prædicitur & promittitur, eum veniendi modum esse intelligendum, qui sit omnium maximè & proprius, & perfectus, & exoptandus, qualis profectò est hic vnus, cum Deus hominibus apparet, seque contemplandum exhibet in specie visibili, non terribili aut diuersæ ab hominibus speciei, sed humana, non euanida sed perpetua, non apparente tantùm, sed vera, per quam homines blandè alloquatur & doceat, eorum tecta subeat, cum ijs conuiuat, &c. Atque hoc modo vt ad nos seruandos ipse Deus veniret, necessarium fuisse, alijs argumentis hoc loco confirmaremus, nisi nobis visa essent digna, quæ seorsim proprijs disputationibus exponerentur.

XVII. Itaque venio ad tertiam Socini responsionem, quæ est, *Deum tunc venire dici, cum aliquis eius loco venit, & propterea singulari quadam ratione Deum venturum dictum fuisse, cum Christus venturus esset, quippe quod Christus singulari quadam ratione eius loco venturus erat.* Primùm vbi legit Socinus Christum venisse, aut venire debuisse loco Dei, hoc est, Patris? Idne Euangelium dicit alicubi? Deinde, Si Patris loco venit, debebat Pater venire: cur ergo Pater non venit? mutauit fortasse consilium. Nam homines isti ita præclarè de Deo sentiunt, vt eum putent essentia & loco finitum, duratione successiua præditum, futurorum contingentium ignarum, decreta sua pro re nata mutare & refigere, quæ mihi contradictionem implicare videntur, adeò sunt falsa & absurda. Tum, si Christus venit loco Dei, hoc est, Patris, vtique venit vt partes Patris ageret, non suas ipsius. Dicant igitur nobis aduersarij quid fuit aut fecit Patris loco. Fuitne mediator Propheta Sacerdos Rex seu Christus Patris loco? Num ministrauit, num actus est in crucem, num resurrexit, num ascendit in cœlum Patris loco? fecit quidem opera Patris, sed, vt Filium decuit, suo, non Patris loco.

Ref. 3. Resp.

ſuo fungi deſijt conjectus in carcerem, ac tandem de medio ſublatus. Poſtquam enim Dominus venit, præcurſore, ſeu anteambulone opus non fuit amplius, qui clamaret, parate viam Domino. Concludimus igitur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, eſſe illum Dominum Deumque noſtrum, cui via paranda fuit. Hunc autem Dominum & Deum noſtrum eſſe Deum Iſraelis quominus negent Aduerſarij obſtat nomen Domini, quod hebraicè eſt Iehoua.

II. Alterum Arg. peti poteſt ex ℣. 5. Nam poſt auditam illam vocem, & complanatam viam ſequitur, *& reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quoniam os Domini loquutum eſt.* Cuius, quæſo, Domini poſt Iohannis prædicationem reuelata eſt gloria? Nonne illius, qui poſt Iohannem venit, ſe oſtendit, gloriam ſuam reuelauit, & contemplandam omni carni præbuit? Atqui is fuit Chriſtus. Ioh. 1. 14. *verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis (& vidimus gloriam eius, gloriam ſicut vnigeniti à Patre) plenum gratia & veritate. Ioh.* 2. 11. *Manifeſtam fecit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius.* Itaque Euangelium vocatur ab Apoſtolo 2. Cor. 4. 4. *Euangelium gloriæ Chriſti.* Deſcendit enim Filius de cœlo, & ſe mundo oſtendit, *vt quicunque contemplatur Filium, & credit in eum habeat vitam æternam, & ab eo ſuſcitetur vltimo die:* ac propterea oportuit gloriam Filij reuelari, & contemplandam omni carni proponi. Manifeſtam quidem etiam Patris gloriam fecit, ſed manifeſtando ſuam. Ita enim Pater in ipſo eſt & ipſe in Patre, vt *quicunque eum contemplatur, Patrem contempletur.* Ioh. 6. 40. Ioh. 12. 45. & 14. 9. 10.

III. Hoc confirmari poteſt ℣. 8. huius cap. XL. Eſai. *Exaruit fœnum & cecidit flos: verbum autem Dei noſtri manet in æternum.* Hic Deus noſter eſt Chriſtus. Eſt enim verbum Dei noſtri hoc loco Euangelium Chriſti, teſte Apoſtolo Petro 1. Pet. 1. 25. cui conſonat illud Chriſti, *cœlum & terra præteribunt, verba autem mea non præteribunt.* Math. 24. 35.

IV. Vltimum argumentum petam ex verſu ſequente, *Super montem excelſum aſcende euangeliſatrix Sion: attolle vocem tuam fortiter Euangeliſatrix Hieruſalem: attolle, noli timere, dic ciuitatibus Iudæ, ecce Deus veſter,* &c. Poteſtne dubitari, quin iſta Sion ſiue Ieruſalem Euangeliſatrix ſint Apoſtoli Chriſti, iuxta illud Matth. 5. 14. *vos eſtis lux mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi*

supra montem posita; Et Rom 10. 15. *Quàm speciosi sunt pedes Euangelisantium pacem, euangelisantium bona?* quæ verba desumpta sunt ex Esai. 52. 7. *Quàm speciosi sunt super montes pedes euangelisantis pacem,* &c. Dicitur enim Sion & Ierusalem, vt significetur societas & multitudo hominum penes quos est cultus Dei. Additur Euangelisatrix, vt distinguatur à Sione & Hierosolyma, quæ aut Euangelium respuit, aut non est ad Euangelisandum vocata. Iubetur ascendere in montem excelsum & vocem attollere, vt longè latèque Euangelium audiri possit. Timere prohibetur, ne pudore vel metu persecutionis ab euangelisando absterreatur. Summa euangelij, quod debet proclamare, his verbis continetur, *Dic ciuitatibus Iudæ, ecce Deus vester: Ecce Dominus cum robore veniet, & brachium eius dominabitur ei: Ecce merces eius cum eo, & opus eius coram eo.* Partes enim duas habet Euangelium: altera Christus venisse nunciatur & ostenditur, & describitur tanquam Deus noster Dei nostri Filius, fidei objectum & salutis auctor: altera venturus promittitur & prædicitur cum summa potentia & gloria, vt gratuita mercede beet omnes qui in ipsum crediderint, ipsique obediuerint.

V. Hanc esse mentem illius loci res ipsa loquitur. Primùm enim manifestum est agi de Euangelio summo consensu à pluribus in publicum proponendum ante illud tempus non promulgato. Attamen illum unum Deum Israëlis esse Deum ciuitatum Iudæ propositum semper fuit publicè, ac creditum in illo populo, ex quo populus fuit, hodieque etiam à rebellibus Iudæis creditur. Deinde cum dicitur *Ecce Deus vester*, ostenditur & demonstratur aliquis, quemadmodum cum dicebat Baptista, *Ecce agnus Dei*, & Dominus, *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est*, ostendebat ille Iesum, hic Nathanaelem. Quem igitur ostenderunt, demonstrarunt, contemplandum proposuerunt, prædicarunt Apostoli? Patrem? An Filium? Lege Euangelium, & considera quis eo toto describatur, & annuncietur. Audi etiam Paulum, *Non enim statui*, inquit, *quicquam scire inter vos nisi Iesum Christum, eumque crucifixum.* Et alio loco, *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Christum Iesum Dominum, nos autem ipsos seruos vestros propter Iesum.* Idem docet materiam Euangelij, seu, vt vulgò loquuntur, subjectum, esse Filium Dei Rom. 1. 3. Et alibi passim. Deinde de eo, quem ostendunt, aliquid, alioqui occul-

Ioh. 1. 36. 47. 1. Cor. 2. 2. 2. Cor. 4. 5.

tùm, manifeſtant prædicant teſtantur, eum nempe Deum noſtrum eſſe. Ita Apoſtoli de Ieſu, quem annunciant, prædicant & teſtantur eum eſſe Filium Dei, Deum noſtrum, Dominum noſtrum, in quem credere, cui parere, quem inuocare, colere, adorare omnes tenentur. Tum iſta Sion ſiue Ieruſalem vetatur timere, *attolle*, inquit, *vocem tuam, ne time, dic ciuitatibus Iuda, Ecce Deus veſter.* Suberat igitur aliqua cauſa timendi, vel quod hæc veritas videretur abſurda carni, vel quod odium pareret, & perſecutionem accenderet, quod vtrumque veriſſimum eſt. Quid enim magis vel abſurdum iudicio carnis, vel inflammans animos incredulorum ira atque odio, quàm hæc veritas, Ieſum, quem Iudæi & Pilatus ignominioſiſſimè condemnarunt & in crucem egerunt, eſſe Filium Dei, Deum noſtrum, ſeruatorem mundi? Præterea hoc alta voce proclamare jubetur: quoniam alioqui ignoratum fuiſſet nec creditum à ciuitatibus Iudæ. Quod ſi verbis, *Ecce Deus noſter*, Pater oſtenditur, nunquam ignoratum eſt, aut negatum à Iudæis, Patrem eſſe Deum ipſorum: negant tantùm eius filium atque adeò Deum ſuum eſſe Ieſum Chriſtum. Denique alterum huius Euangelij menbrum, *Ecce Dominus cum virtute veniet*, &c, de eo qui venturus eſt intelligi debet. Quis autem venturus eſt, niſi Dei Filius? Certè idem intelligitur hoc loco, qui Eſai. 62. 11. *Dicite filiæ Sion, Ecce Seruator tuus venit. Ecce merces eius cum eo, & opus eius coram eo*, Et Apoc. 22. 12. *Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, vt reddam vnicuique prout opus ipſius erit.* Hic autem quin ſit Filius nemo, opinor, ambigit. Poſtremò ſubjungitur ℣. 11. *Sicut paſtor gregem ſuum paſcet, & brachio ſuo congregabit agnos, inque ſinu ſuo feret, & fœtas ſuauiter ducet.* Vtrum de Patre, an de Filio hoc ſit accipiendum quæris? conſule Euangelium. Luce enim ſua Vetus Teſtamentum illuſtrat. Id Filio Paſtoris nomen & partes vendicat, additis etiam *boni & magni* epithetis. Ipſe Petrus eum vocat ἀρχιποιμένα principem paſtorum. Patri verò id nomen Euangelium nunquam tribuit. Ex quo intelligitur, cum Deus, cum Iehoua paſtor dicitur in Veteri Teſtamento, Deum ſignificari, non qua Pater eſt, ſed qua Filius.

Ioh. 10. 11. 14. Heb. 13. 20. 1. Pet. 5. 4.



DISPVTATIO
DECIMA SEXTA

De Arg. XVI. Ex Esai. LII. ℣. 6. 7. *Propterea cognoscet populus meus nomen meum, propterea* cognoscet *in die illa, quia ego ipse qui loquor, ecce adsum. Quàm speciosi super montes pedes euangelisantis, prædicantis pacem, euangelisantis bonum,* &c, collat. cum Rom. 10. 15.

I. SVPERIORIBVS locis non absimilis est iste Esaiæ LII. 6. *Propterea cognoscet populus meus nomen meum, propterea* cognoscet *in die illa, quia ego ipse qui loquor, ecce adsum, &c.* Ex eo sic argumentor.

Ille, qui Esai. 52. 6. dicit *Ecce adsum*, est Deus Israëlis.

Christus est ille, qui Esai. 52. 6. dicit *Ecce adsum.*

Christus igitur est Deus Israëlis. Major in confesso est: Nam is qui hoc dicit eo loco aliquoties Dominus, *Iehoua*, appellatur, & Israëlem, qui descendit in Ægyptum, quemque Assur oppressit, populum suum vocat. Minor à nobis probanda est. Primò autem obseruo, verba *Ecce adsum*, referri debere ad certum quoddam tempus futurum designatum verbis *in die illa.* Id autem est tempus aduentus Christi.

II. *Respondeo*, inquit Socinus, *me non negare, Esaiæ locum mysticè ad Christi tempora pertinere. Sed affirmo apertè constare eum secundum literam (vt vocant) ad liberationem ex captiuitate Babylonica referendum esse.* Cur? *Quia*, inquit, *in præcedentibus versiculis huius capitis, qui planè cum istis sunt coniungendi, expressa fit mentio, inter alia, quæ huc pertinent, soluendæ captiuitatis filiæ*

Sion, & Assyrij, qui oppressurus erat Dei *populum, ex cuius manu redimendi erant.* Atqui alij tunc erant Assyrij, alij Babylonij, alius rex Assyriorum, alius rex Babyloniorum; alia oppressio populi Israelitici ab Assyrijs, alia à Babylonijs, vt patet ex illa ipsa historia regis Ezechiæ, quam, quia necessaria erat ad antecedentia & sequentia melius intelligenda, propheta inter cap. 34. & cap. 40. Prophetiæ suæ, tanquam parenthesin, inseruit. Anno sexto Ezechiæ Salmanasar Rex Assyriorum abduxit in captiuitatem perpetuam decem tribus annis 130. aut circiter, ante captiuitatem Babylonicam. Anno decimoquarto Ezechiæ Sennacherib rex Assyriorum ascendit contra omnes vrbes munitas Iudææ & cepit eas. Ab eo liberata est Iudæa opera Angeli, qui vna nocte centum octogintaquinque millia percussit in castris Assyriorum. Inde natus est typus valdè diuersus à typo Babylonicæ captiuitatis & liberationis. Tamen, quoniam tandem Rex Babylonis Assyriam in suam ditionem redegit, & quasi consiliorum regis Assur hæres, id perfecit, quod ille designauerat atque aggressus fuerat, confunduntur cum Babylonijs Assyrij, & fit vtriusque typi cinnus quidam, ad quem hoc loco Deus obiter alludit instituta inter Ægyptum & Assur oppositione ad vtriusque illius typi cognitionem apprimè necessaria.

III. Cæterum quæ antecedunt quæque sequuntur ad Euangelij tempora ita pertinent, vt eorum vel nihil prorsus, vel vix vmbra aliqua ad tempora Assyriæ aut Babyloniæ captiuitatis referri possit. Primus capitis versus sic habet, *Consurge, consurge, induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ Ierusalem ciuitas sancta: quia non adyciet vltra, vt pertranseat per te incircuncisus & immundus.* Quis nos videt hoc minimè conuenire terrenæ Sion & Ierusalem habita ratione temporalis liberationis: tam enim per eam, postquam ab Assyrijs & Babylonijs liberata est, incircuncisus & immundus pertransijt, quàm antea, immò multò magis. Versus vltimi capitis de alio quàm de Christo intelligi nequeunt. In versibus quoque intermedijs, qui cum extremis cohærent & consentiunt, de eadem liberatione agitur, quæ veræ Sioni per Christum obtigit, sed injecta aliqua mentione Ægyptiorum & Assyriorum sub quibus etiam Babylonij comprehenduntur, propterea quod isti typi ad eam liberationem enucleatius intelligendam conducunt.

IV. Sed in versibus laudatis consistamus. *Propter hoc sciet populus meus nomen meum, propter hoc* illud sciet *in die illa, quoniam ego ipse qui loquor, ecce adsum.* Num populus Israëliticus, quo tempore liberatus est ab Assyrijs vel Babylonijs, eo cognouit nomen Domini ante ignoratum? Num tunc noua aliqua reuelatio, multò quàm antè clarior, nominis Dei populo illi indulta est?
Ioh. 17. 26. Quàm hoc melius quadrat in tempus Christi, qui suum & *Patris nomen* discipulis suis *notum fecit.* Et quis alius id notum facere
Matth. 11. 27. potuisset? *Nemo enim Patrem nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* At, reponit Socinus, verba, *sciet populus meus nomen meum*, significant, *cognoscet populus meus, quis sim reuera; id est, quàm fidelis in promissis meis seruandis.* Esto. Nonne id demum cognitum est aduentu Christi, in quo omnes Dei promis-
2. Cor. 1. 20. siones sunt etiam atque amen? Tenuis quidem aliqua hujus fidelitatis vmbra cernitur in liberatione à captiuitate Babylonica, sed dubia & obscura, quamdiu promissioni illius liberationis intextæ promissiones spirituales & magnificæ nondum fuerunt impletæ. Adde quod patefactio nominis Dei posita non est in vnius fidei, sed in omnium virtutum diuinarum reuelatione, quæ sese, non in liberatione è captiuitate Babylonica, sed in Christo mirabiliter ostenderunt.

V. Cur verò populus Dei cognoscet nomen Dei in die illa? *quia*, inquit Deus, *Ego ipse qui loquor, ecce adsum*, hoc est, quia ego ipse qui loquor veniam, meque ipsum ostendam & videndum cognoscendumque præbebo. Nihil enim nominis significationem æquè declarat, ac rei significatæ exhibitio & ostensio. Loquitur ergo Deus de reuelatione nominis sui, non de ea, quæ fit per nuncios, aut per typos, sed de ea quæ fit per ipsius Dei præsentiam, atque adeò præsentis intuitum.

VI. Sed quid opus est argumentis, quando videmus verba sequentia, *O quam speciosi sunt super montes pedes euangelisantis & proclamantis pacem* &c, de Christi ministris ipsum annunciantibus ab Apostolo exposita Rom. 10. 15. Quam Apostoli expositionem res ipsa confirmat. Num enim in eiusmodi exclamationem erupisset, siue Deus siue Propheta, si de pace, de bono temporali ageretur? Quis non videt Euangelium, pacem, bonum, quod sic κατ' ἐξοχὴν appellatur, intelligi? Bona enim temporalia neque Deus, neque Prophetæ magni faciunt, aut admirantur. Deus

apud Esaiam bis clamat *non esse pacem impijs*, quibus tamen maximè pax est temporalis, & putaremus eum apud eundem Esaiam exclamare, O quàm speciosi sunt pedes euangelisantis pacem temporalem! Absit. Esai. 48. 22. & 57. 21.

VII. Non modo autem quod annunciatur *pax* & *bonum* dicitur, sed vocatur etiam *salus*, quæ trium vocum accumulatio non caret emphasi. Additur etiam, tanquam prædicationis seu Euangelij summa, *dicentis Sioni, regnat Deus tuus.* Ex quo apparet *Euangelium regni Dei* intelligi; atque bonum illud, pacem, & salutem regno Dei contineri. Quid ergo annunciarunt Apostoli? Regnum Dei, teste ipso Apostolo Act. 19. 7. & 20. 25. & 28. 23. 31. Quid autem est regnum Dei? Iustitia, & pax, & gaudium *per Spiritum Sanctum*, teste eodem Apostolo Rom. 14. 17. Regnauitne Deus liberatis è Babylone Iudæis? minus quàm antea. Iacuit enim prorsus dissipatum regnum decem tribuum. Iudæa autem graui jugo incircuncisorum pressa, aut æquè, aut magis etiam quàm antea ingemuit.

VIII. Omitto breuitatis studio id quod dicitur ℣. 10. *Nudauit Dominus brachium suum sanctum in oculis omnium gentium, & viderunt omnes fines terræ salutem Dei nostri*, quod magnificentius est, quàm vt referri possit ad liberationem è captiuitate Babylonica. Taceo etiam quod subjungitur ℣. 12. *Dominus enim ante vos incedet, & congregabit vos Deus Israel, quemadmodum*, vt verbis vtar ipsius Socini, *idem Dominus, id est Iehoua, dicitur præcessisse eundem populum ex Ægypto liberatum, in nube & in columna ignis, Exod.* 13. 21. Id quod tempore solutionis captiuitatis Babylonicæ nullo modo est impletum, neque typicè, id enim jam satis adumbratum fuerat, cum soluta est captiuitas Ægyptiaca, (non multiplicat autem Scriptura typos sine aliqua necessitate) Neque reipsa: Non enim liberationi ex Ægypto respondet liberatio è Babylone vt veritas typo, sed typi sunt diuersi diuersas vel res, vel etiam eiusdem rei perfectiones & circunstantias adumbrantes.

IX. Sed fac verba illa, *propter hoc cognoscet populus meus nomen meum in illa die: quia ego ipse qui loquor, ecce adsum*, ad tempus etiam liberationis ex captiuitate Babylonica referri posse. Cum illa liberatio, affirmante Socino, typus sit redemptionis partæ per Christum, Præsentia Dei intelligenda erit illi liberationi

consentanea, hoc est, typica. Fuit igitur præsens Deus tempore reditus è captiuitate Babylonica typicè, tempore verò Christi verè & reipsa. Præsentia illa vmbra fuit, hæc corpus. Illa figura fuit, hæc veritas. Non igitur si illa *nihil fuit nisi Dei præsens fauor & gratia*, vt vult Socinus, consequens est hinc quoque nihil aliud esse. Contrarium consequitur potius. Perit enim ratio typi, si typus & id cuius typus esse dicitur, ponantur esse eiusdem rationis. Itaque fauor Dei præsens inuisibiliter, quatenus talis, adumbrari nec potuit nec debuit, cum sit communis omnium liberationum, quæ Deus populo suo indulsit. Adde quod qui sic loquitur, *Ego ipse qui loquor ecce adsum*, præsentiam personæ suæ non præcisè fauoris sui, significat; alioqui quomodo personæ significari præsentia possit, me fugit. Nihil enim ad eam exprimendam significantius succurrit.

X. Hoc confirmat causalis *quia*. Docet enim verbis, *Ego ipse qui loquor, ecce adsum*, causam contineri eius quod antecessit, *cognoscet populus meus nomen meum in illa die*. Significat igitur se tunc temporis per suam ipsius præsentiam à populo suo cognitum iri. In quo tacita quædam oppositio potest obseruari inter modum sui reuelandi, quem hactenus Deus sequutus erat, & eum quem hoc loco pollicetur. Quasi diceret, Populus meus nondum nomen meum cognoscit, quoniam eum non sum per me ipsum alloquutus, sed per alios, ministros meos: at in illa die nomen meum cognoscet, quia ego ipse, qui hoc promitto, meipsum illi præsentem & contemplandum exhibebo, atque adeò ego ipse eum præsens alloquar. Quemodmodum hæc personæ ipsius Dei præsentia nullo typo adumbrata est, qui quidem deprehendi possit in historia liberationis è captiuitate Babylonica, sic ea adumbrata est in historia redemptionis ex seruitute Ægyptiaca typis admodum illustribus, præsentia Dei in monte Sinai, è quo populum suum immediatè, id est non mediante Mose, alloquutus est; præsentia Dei populum suum in columna nubis & ignis ducentis, tegentis, & illuminantis in deserto: & præsentia Dei in propitiatorio, quod erat operculum arcæ testimonij. quibus typis negari non potest, quin significata sit potius ipsius Dei fauentis præsentia, quàm præcisè fauoris. Sed de illis typis alius erit disputandi locus.



DISPVTATIO
DECIMA SEPTIMA

De Arg. XVII. Ex Esaiæ LX. ℣. I. *Surge, illuminare, &c*, citato Eph. 5. 14.

I. VENIT etiam nobis in mentem locus Esaiæ LX. I. *Surge, illuminare, quoniam venit lux tua & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus & gloria eius super te videbitur*, quem Apostolus laudauit Eph. 5. 14. insertis explicationis gratia nonnullis vocibus, *Propterea dicit, Expergiscere qui dormis, & surge à mortuis, & illucescet tibi Christus.* Vnde sic argumentor.

Ille qui Esai. LX. I. dicitur illuminaturus Ecclesiam, & super eam oriturus est Deus Israëlis, seu, est præditus essentia diuina.

Christus est ille qui Esai. LX. I. dicitur illuminaturus Ecclesiam, & super eam oriturus.

E. Christus est Deus Israëlis.

II. Major ex verbis Prophetæ clara est. Is enim, qui, tanquam sol, super Ecclesiam oriturus erat, eamque illuminaturus, Iehoua bis appellatur, nec alio nomine ab omnibus alijs eo loco distinguitur. Minor autem Apostoli testimonio probatur. Is enim laudat Scripturæ locum, vt patet ex verbis, *Propterea dicit.* Nullibi autem id dicit Scriptura, nisi in hoc Esaiæ loco. Citat igitur hunc Esaiæ locum, sed, vt ita loquar, paraphrasticè; Nam & illius, qui jubetur surgere, statum, & illius, qui surgenti illucescet nomen exprimit, quo solet in Nouo Testamento, non modo ab hominibus & Angelis, sed etiam à Deo Patre, & à Spiritu Sancto distingui. Cum igitur Apostolus locum illum citaret, non dixit, *& illuminabere*, tacito illuminantis nomine, nec dixit, *& illucescet tibi Dominus* (hoc enim nomen accipi potuisset de Pa-

tre) nec dixit *illucescet tibi Dominus per Christum*, potuisset enim videri non ipsa lux, non ipse sol Christus esse; sed simpliciter commutato Domini nomine in nomen Christi, *illucescet tibi Christus.* Quo significauit per Dominum apud Esaiam Christum esse intelligendum. Alioqui causa nulla apparet, cur Christum dicere maluerit, quàm Dominum, quo vno nomine Propheta vsus est. Huc accedit, quod non tantùm alludit ad Prophetæ verba, aut verba mutuatur à Propheta, sed apertè significat se locum citare, adeoque id quod sequitur dici eo loco, quod non dicitur, si Dominus non est idem cum Christo.

III. Apostolo res ipsa succlamat. A quo enim alio illuminaretur Ecclesia, quàm à Luce? Quis alius super eam oriretur, quàm sol Iustitiæ? Est autem ipsa lux Christus. Ioh. 12. 46. *Ego lux in mundum veni.* Ioh. 8. 12. 9. 5. *Ego sum lux mundi,* Ioh. 3. 19. *lux venit in mundum.* Ioh. 1. 9. *Erat lux illa vera quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Matth. 4. 16. *positis in regione & vmbra mortis lux orta est.* Idem vocatur *oriens ex alto*, Luc 1. 78. & *sol iustitiæ, exoriturus illis qui nomen Domini timent*, Malach. 4. 2. Reuera exortus est Christus primo suo aduentu, & exorietur aduentu suo secundo Ecclesiæ suæ: alius solis spiritualis ortus vel aduentus non commemoratur in Scriptura.



DISPVTATIO
DECIMA OCTAVA

De Arg. XVIII. Ex Esai. LXI. ℣. 1. *Spiritus Domini Dei est super me, eo quod vnxit me, &c*, laudato Luc. 4. 18.

I. DABIT etiam hic locus nobis argumentum. Cum res ipsa, tum autoritas Domini nostri Iesu Christi locum illum Esaiæ, *Spiritus Domini est super me*, &c, de seipso exponentis Luc. 4. 18. prohibet, quominus in dubium vocari possit, quin is, qui sic apud Esaiam loquens inducitur, sit Christus. Itaque vnus nobis restat labor, vt probemus, qui sic apud Esaiam loquitur, eum reuera Deum esse, hoc est, præditum essentia diuina. Id autem concludo hoc syllogismo. Dominus (Iehoua) est præditus essentia diuina. Ille qui dicit apud Esaiam *Spiritus Domini super me*, &c, est Dominus (Iehoua) Ergo ille qui dicit apud Esaiam, *Spiritus Domini super me*, &c, est præditus essentia diuina. Majorem non negabunt Aduersarij.

II. Minor probatur ex ℣. 8. *Quia ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocausto*, &c. Qui hoc dicit est Dominus (Iehoua) Deus Israelis, præditus essentia diuina. Id vocari in dubium non potest. Hic tamen idem est cum eo, qui dixit vers. 1. *Spiritus Domini super me*, &c, vt legenti manifestum est: Nam versus iste octauus cohæret cum septimo, vt patet ex conjunctione *quia*, septimus autem cohæret cum antecedentibus, vt à primo versu ad octauum vsque manifesta sit eiusdem sermonis continuatio ab eodem loquente, qui primis capitis versiculis loquitur vt Propheta, versibus 8. & 9. vt Deus, ℣. 10. & 11. vt vnum corpus mysticum cum Ecclesia sua componens, sic tamen

vt ipse Sponsi, illa sponsæ personam sustineat.

III. Frustrà nobis objicient Aduersarij, Christum versu primo semetipsum à Domino distinguere, cum ait, *Spiritus Domini est super me* &c, Agnoscimus enim distinctionem personæ Filij à persona Patris, etsi communi vt essentia diuina, sic nomine Dei & Iehouæ gaudere credamus vtrumque, quæ distinctio personarum, vnitatem communis essentiæ non dissoluit, vt lib. 3. Deo fauente, fusius explicabitur.



DISPVTATIO
DECIMA NONA.

De Arg. XIX. Ex Esai. LIV. 5. *Quoniam maritus tuus factor tuus, Dominus exercituum nomen eius, & redemptor tuus, sanctus Israëlis, Deus vniuersæ terræ vocabitur*, necnon ex alijs locis, in quibus Deus Israëlis Ecclesiæ maritus seu sponsus appellatur, collatis cum Matth. 9. 15. & 25. 1. Ioh. 3. 29. 2. Cor. 11. 12. Eph. 5. &c.

I. PENE prætermiseram locum Esai. LIV. 5. *Quoniam maritus tuus factor tuus, Dominus exercituum nomen eius*, &c: Ex quo tamen argumentum peti potest inuictum, quod sic concipio.

Maritus Ecclesiæ est Deus Israëlis, præditus essentia diuina.

Christus est maritus Ecclesiæ.

Christus igitur est Deus Israëlis, præditus essentia diuina.

Major propositio nititur loco laudato Esaiæ LIV. 5. ex quo

luce meridiana clarius est, legitimum sponsum seu maritum Ecclesiæ Deum esse, cuius nomen est Dominus (Iehoua) exercituum. id quod passim toto Veteri Testamento inculcatur. Minor nititur testimonijs ipsius Christi Matth. 9. 15. & 25. 1. Iohannis Baptistæ Ioh. 3. 29. Apostoli Pauli 2. Cor. 11. 12. Eph. 5. necnon Apostoli Iohannis Apoc. 21. 9. &c.

II. Non video quid possit ab Aduersarijs responderi. Nam si Ecclesiam Veteris Testamenti distinxerint ab Ecclesia noui, quasi illius maritus Pater fuerit, huius Filius, distinctionem loca laudata respuent, resque ipsa refutabit. Eius enim Ecclesiæ se Deus maritum esse profitetur hoc loco, quam compellat versibus proximè antecedentibus, *Lætare sterilis quæ non paris, erumpe, canta, clama quæ non parturis, quoniam plures sunt filij desertæ, quàm eius quæ habet virum*, &c. Compellat autem illis verbis eam *quæ sursum est Hierusalem, quæ libera est, quæ est mater omnium nostrum* teste Apostolo Gal. 4. 27. quo eodem teste sibi mutuò respondent Agar, fœdus legale, & Ierusalem terrena, quibus opponuntur Sara, fœdus gratiæ, Ierusalem quæ sursum est. Idem autem fuit Agaris & Saræ maritus Abrahamus, sed Saræ prius ac magis legitimè, Agaris ad tempus propter Saræ sterilitatem. Qui typus sublata deitate seu diuina Domini nostri essentia explicari non potest, eadem vero posita mirabiliter cum sua veritate congruit.

III. Hoc etiam ipse Deus confirmat Ose. 2. 16. *Et erit in die illa dicit Dominus, vocabis me vir meus, & non vocabis me vltrà Baal meus*, diem autem intelligit, quo veritatem typo ascensionis ex Ægypto adumbratam erat exhibiturus reque ipsa daturus effectam. Id autem est tempus Noui Testamenti. Ne quis verò putaret tandem aliquando hoc Dei & Ecclesiæ matrimonium dissolutum iri, subjicit ℣. 19. *Et desponsabo te mihi in sempiternum, desponsabo te mihi in iustitia, & in iudicio, & in gratia, & in miserationibus: desponsabo te mihi in fide, & cognosces Dominum.*

IV. His testimonijs ipsa res consentit. Nam si ponitur Ecclesia Veteris Testamenti sponsa ipsius Dei fuisse, Ecclesia verò Noui Testamenti sponsa Christi tantùm hominis, consequitur Ecclesiam Veteris Testamenti præstantiorem ac digniorem Ecclesia Noui Testamenti fuisse, quippe dignioris sponsam. Id quod tamen falsum esse perspicuum est. Illa enim vmbras & typos ha-

bebat, Hæc corpus & veritatem: Illa tractabatur vt infans, & sub elementis mundi in seruitutem redacta erat, Hæc asserta in libertatem adoptionem accepit, tractaturque vt filius adultus : Illa promissiones eminus aspexit & salutauit, Hæc illis fruitur : Illa cupiebat id quod ista assequuta est, &c.

V. Quid ergo respondebunt Aduersarij? Dicentne eiusdem Ecclesiæ duos esse sponsos, Patrem & Filium? Non arbitror hoc eos esse dicturos, Nam præterquam quod manifestam præ se fert absurditatis speciem, elogium sponsi Ecclesiæ totum nouum Testamentum vendicat Filio constanter, nec vnquam tribuit Patri. Sunt etiam in Veteri Testamento typi multi matrimonij spiritualis Christi & Ecclesiæ, sed nulli duos sponsos Patrem & Filium adumbrant, cum tamen vix quicquam in eo conjugio possit obseruari, cuius non extet aliquis typus. Adde quod Deus se multis locis Zelotypum esse testatur, si igitur Pater est maritus Ecclesiæ, quomodo patitur alium se eiusdem Ecclesiæ maritum profiteri tam sæpè, tamque constanter? Sed quid opus est argumentis, cum habeamus disertum Apostoli testimonium 2. Cor. 11. 2. *vos*, inquit, *aptaui vni viro virginem castam exhibendam Christo.* Non sunt igitur duo viri Ecclesiæ, sed vnus. Nec possunt respondere Aduersarij, Filium esse subordinatum Patri, subordinationem enim maritorum matrimonium non recipit. Nihil igitur nobis occurrit quod possit responderi.



DISPVTATIO
VIGESIMA

De Arg. XX. ex Deut. VI. 13. citato Matth. 4. 10. & Luc 4. 8. *Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli seruies.*

I. CLAVDAT hanc sectionem locus Deut. VI. 13. ab ipso Domino nostro laudatus Matth. 4. 10. & Luc. 4. 8. *De-*

minum Deum tuum adorabis & ei soli seruies. Quod ex eo ducitur argumentum tale est.

Qui est religiosè adorandus & colendus, ille est Deus Israëlis.
Christus est religiosè adorandus & colendus.
Christus igitur est Deus Israëlis. Major nititur loco laudato: Nam si solus Deus Israëlis est adorandus, si soli Deo Israëlis est seruiendum, negari non potest, quin, quicunque adorandus & colendus est religiosè sit Deus Israëlis. Minor conceditur ab Aduersarijs. Est igitur argumentum omni ex parte inuictum.

II. Respondet tamen VVolkelius, *illud Dei præceptum sententiæ suæ triplici de causa nihil quicquam officere. Primò enim*, inquit, *vt sacræ literæ solum Deum immortalem, aut sapientem nominando, Christum aliosque immortalitate ac sapientia minimè spoliant, sed tantùm Deum solum à semetipso talem esse significant: sic de solo quoque Deo, vt pote primario omnium rerum autore adorando indicandum est. Particulis* enim *istis exclusiuis*, inquit Schlichtingius, *qualis est* solus *& similes, cum de Deo vsurpantur, nunquam ij simpliciter excluduntur, qui à Deo ea in re, de qua agitur, dependent.* Resp. 1. Resp. Principiò hinc colligo, falsum esse quod ait & vrget Crellius, *Eam esse vim vocis* solius, *vt omnes alios excludat à communione prædicati, præter eum cui apponitur.* Deinde propositiones, solus Deus est immortalis, solus Deus est sapiens interpretari, solus Deus est immortalis à semetipso, solus Deus est sapiens à semetipso, non est propriè loquendo eas exponere, sed tantùm aliquid eis addere & apponere. Est enim propositio *solus Deus est immortalis*, vt loquuntur scholastici, exponibilis, & debet per duas istas exponi, Deus est immortalis, & alius nullus est immortalis, quæ respondent quæstioni an sit, non verò cur sit, aut vnde sit. Dicitur igitur Deus solus immortalis quia solus absolutè loquendo mori non potest, implicat contradictionem eum mori cum creaturæ omnes, vt aliquando non fuerunt, sic possint non esse. Dicitur solus sapiens, quia sapientia creaturarum ad diuinam collata vix eam proportionem habet quàm gutta ad oceanum, ac pro nulla habetur. Sic Esai. 40. 15, 17. gentes comparatione Dei dicuntur esse tanquam gutta situlæ, puluisculus trutinæ, nihil, immò minus nihilo & inanitate.

III. Tertiò, Quis est VVolkelio judice sensus huius propositionis, solus Deus est adorandus, vel mandati, adorabis Dominum

Deum tuum & illi soli seruies, Num hic, solus Deus est adorandus à semetipso, Adorabis Dominum Deum tuum, & illi soli seruies à semetipso? Nimis esset absurdus. Num iste, solus Deus est adorandus tanquam *primarius omnium rerum autor?* Estne igitur aliquis secundarius omnium rerum autor? suntne plures creatores, vnus primarius, alius secundarius? Deinde si sic accipi deberet mandatum, non illud violaret, qui alium religiosè adoraret & coleret, modò non tanquam primarium omnium rerum autorem. Atque ita omnis ferè excusari posset idolatria. Perquam multos enim idololatræ gentiles & Israëlitæ religiosè adorarunt, quos non putarunt esse primarios rerum omnium autores. Quid quod ne ipse quidem diabolus adorari voluit à Christo tanquam primarius omnium rerum autor? quam enim ei potestatem & gloriam regnorum offerebat, eam sibi datam fuisse profitebatur Luc. 4. 6. & tamen ad eius tentationem repellendam nihil visum est Christo aptius, quàm istud præceptum, *adorabis Dominum Deum tuum, & illi soli seruies.* Petrus Apostolus,
Act. 10. 25. 26 quamuis, *diuina muneris auctoritate, admirandisque donis instructus esset*, tamen *à Cornelio adorari noluit propterea quod non minus quàm Cornelius homo esset. Nec* tamen *Cornelius tanto stupore mentis oppressus fuit, vt Petrum non hominem, sed ipsummet Deum esse,* seu primarium rerum omnium autorem, *sibi persuaderet.* Num *Iohannes Angelum, qui se pro Dei ac Christi ministro apertissimè gerebat, pro ipso Deo*, vel pro rerum omnium autore, adorare voluit? Hic tamen adorationem magno zelo respuit, adhibita ratione, & insinuato hoc ipso mandato, *vide ne: conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum qui habent testimonium Iesu, Deum adora.* Quibus uerbis non obscurè significat, solum Deum esse adorandum. Nam, & hoc mandatum, de quo agimus, Iohanni reuocat in mentem, & quis sit adorandus ei ostendit, & eum ab adoratione eorum qui non sunt Deus reuocat ad adorationem ipsius Dei. Ex quo intelligitur, Dei nomine Christum comprehendi una cum Patre.

VVolk. de vera Relig. lib. 4. cap. 12.

2. Resp. Ref.

IV. Secundò respondet VVolkelius, *cum Christum Patri subordinatum esse constet, sequi, nos Christum adorando, ipsum Patrem, à quo tanta potestate ac gloria donatus est, adorare.* Sit ita, adorando Christum adoretur Pater, quid hoc ad rem? Num propterea solus Pater adoratur? Non adoratur homo diuersus

tota

tota natura à Patre? Si sunt Pater & Filius duo dij totis substantijs diuersi: Ille Deus naturâ, hic gratia: Ille ab æterno, hic factus in consummatione seculorum: Ille creator, hic tantùm creatura: Ille summus, hic summo subordinatus &c, vterque adorandus, certè non solus Pater, sed eius etiam Filius, ab eo magis, quàm quiuis alius à suo patre, differens, est adorandus.

V. Tertiò denique respondet, *Mandatum de solo Deo adorando ad Veteris Testamenti tempora propriè spectare.* Hoc idem respondet Socinus, sed minus rotundè, Respondeo, inquit, *quod ad Dei præceptum attinet, Deut. 6. nihil contra illud à Deo fieri, licet iubeat, Christum hominem, seu Christum, quamuis prorsus, res creata sit, cultu diuino affici. Neque enim, cum istud præceptum datum est, Christus extabat, nedum diuina potestate atque imperio esset præditus. Quod imperium ac potestas omnino per se, etiam Deo tacente, cultu diuino affici debet.* Atqui jam extabat Christus, jam Dei Filius erat, jam de eo Pater clamauerat è cœlo, *Hic est filius meus dilectus, in quo acquiesco*, jam in eum visibiliter descenderat Spiritus sanctus, jam Deus erat dignus cultu diuino, cum mandatum illud laudauit, & tanquam homines etiam tunc temporis obligans vrsit, inserta etiam particula exclusiua; ac mirum est huius mandati, quatenus à Christo vsurpatum est, Socinum & VVolkelium non meminisse. Consentit Christo Angelus ille, quem Iohannes *vidit volantem per medium cœli, habentem Euangelium æternum, vt euangelisaret incolis terræ, & omni genti, & tribui, & linguæ, & populo, dicentem magna voce, Timete Deum, & ei tribuite gloriam: nam venit hora iudicij eius, & adorate eum qui fecit cœlum & terram & mare & fontes aquarum.* Vrget enim verbis illis & inculcat hoc ipsum mandatum Deut 6. 13. Idem fecit ille Angelus, qui cum nollet adorari à Iohanne dixit, *adora Deum*. Non adhibent, inquies, particulam exclusiuam. Facilè subintelligitur: auocant enim eos quos alloquuntur ab adoratione creaturarum.

3. Resp. Ref.

Apoc. 14. 6.

Apoc. 19. 10.


VI. Profectò si qua sunt in Vetere Testamento præcepta moralia, perpetua, ad tempora Euangelij pertinentia, in eo numero est præceptum de solo Deo adorando. Cum enim resolui possit in duo: vnum affirmans quo iubemur adorare Deum, alterum negans quo prohibemur alios adorare, Vtrumque Christianos obligat. Nos enim hodie æquè ac olim Iudæi, aut magis etiam, &

Deum adorare tenemur, & ab idololatria fugere: quàmque illud in natura Dei fundatur quæ perpetuò dignissima est adoratione, tam istud eius vnitate nititur, quæ & Deut. 6. præmittitur isti mandato, & in Nouo Testamento, non minus quàm in veteri, docetur & confirmatur: ac quum Christus ita præceptum illud Deut. 6. vsurpauerit, vt exclusiuam particulam, quæ abest à textu hebræo, addiderit, major exclusiuæ illius, apud nos Christianos debet esse auctoritas quàm apud Iudæos. Satius igitur multò est, Filium confiteri, vnum cum Patre Israëlis Deum, quàm tantum præceptum soluere & homines ita docere. Quid quod ne ad veteris quidem testamenti tempora propriè spectare hoc mandatum dicere coguntur, si consentanea loqui volunt? Contendunt enim Angelum propriedictum fuisse illum, qui Patriarchis & Mosi apparuit, & legem promulgauit, & nomen Dei ac Iehouæ sibi tribuit, & adorari se passus est, quo posito sequitur necessariò, ne veteris quidem testamenti temporibus solum illum vnum Deum, qui essentia diuina præditus est, adorandum fuisse.



DISPVTATIO
VIGESIMA PRIMA

De Arg. XXI. Ex 1. Reg. 8. 39. 2. Chron. 6. 30. *Tu solus nosti corda filiorum hominum* collat. cum Apoc. 2. 23.

I. CCEDENT etiam, velut cumulus quidam, ad hanc Sectionem verba Salomonis 1. Reg. 8. 39. 2. Chr. 6. 30. *Tu solus nosti corda filiorum hominum*: collata enim cum ipsius Christi verbis Apoc. 2. 23. *Et scient omnes Ecclesiæ quod ego sum scrutator renum & cordium, & dabo vnicuique secundum opera sua*, sugge-

runt nobis hoc argumentum.

Solus Deus Israëlis nouit corda hominum.

Christus nouit corda hominum.

Christus igitur est Deus Israëlis. Major probatur testimonio Salomonis 2. Chr. 6. 30. 1. Reg. 8. 39. Minor ipsius Christi Apoc. 2. 23. Quid ergo poterunt respondere Aduersarij? Si quid coniicio, Respondebunt duo: primùm enim verba illa, *Tu solus nosti corda hominum*, dicent accipienda esse cum limitatione *à temetipso*. Deinde ea restringenda esse ad tempora Veteris Testamenti. quæ duo paucis refellenda sunt.

II. Primùm igitur si propositio, *solus Deus nouit corda hominum*, intelligenda est cum tacita illa limitatione *à semetipso*, cadet vis exclusiuæ *solus*, non super id quod exprimitur, sed super illam limitationem quæ non exprimitur, sed ab Aduersarijs additur, excludetque omnes alios, non à communione prædicati quod exprimitur, sed à communione causæ prædicati quæ non exprimitur. Id quod num sit verisimile, lectori judicandum relinquo. Certè propositio affirmatiua, Deus nouit corda hominum, non eget illa limitatione, à semetipso, sed absolutè vera est. Inserta autem exclusiua, *solus*, affirmatiuam illam nullo modo limitat, tantùm alios excludit à communione prædicati, impeditque ne latius attributum quàm subjectum pateat.

III. Hoc confirmatur inductione similium propositionum. Nehem. 9. 6. *Tu ipse, solus es Dominus* (Iehoua) *Tu fecisti cœlum & cœlos cœlorum* &c. Ps. 86. 9. *Tu solus es Deus*. Esai. 37. 16. *Tu solus es Deus regnorum omnium terræ, tu fecisti cœlum & terram*: & ℣. 20. *Tu es Dominus solus*. Ps. 83. 17. *Tu solus es altissimus super omnem terram*. Esai. 2. 11. 17. *exaltabitur Dominus solus in die illa*. Num in his & similibus propositionibus subintelligenda est limitatio à *temetipso*, vel *à semetipso?* Non hoc dicent Aduersarij: nolunt enim duos esse altissimos, duos Dominos. Cum de creaturis agitur, non puto vllum exemplum proferri posse, vbi talis limitatio adhiberi debeat: quæ si possit subintelligi, nihil tam commune est, quod Deo tribui non possit soli. Solus Deus est, agit, loquitur, solus Deus nouit Christum venisse in carne, solus Deus credit veram esse hanc propositionem, *Qui credit in Filium habet vitam æternam*, solus Deus cognoscit Christum resurrexisse, &c. Veræ erunt propositiones si addas à semetipso. Quis ta-

men sine expressa illa limitatione, aut sic vnquam loquitur, aut ferre possit ita loquentem? Fac aliquem suo, vt loquuntur, marte veritatem aliquam inuenisse in Physica aut Mathematica aut Medicina, eamque cum alijs multis communicasse, dicetur nihilominus solus eam nosse, & poterunt reliqui negare se veritatem illam, vt vt eam ab alio reuelatam animo comprehenderint, cognitam habere subintellecta nimirum ista limitatione, & poterit adjuratus testis negare se scire quod reuera scit, aut quiuis alius negare se fecisse quod reuera fecit, subintelligendo à semetipso, Atque ita lata porta mendacijs aperietur. Quid quod admissa ista limitatione & opinione Aduersariorum, quàm vera erit ista propositio *Tu solus nosti corda hominum*, tam veræ erunt istæ, Christus non nouit corda hominum, Christus non venit in mundum, Christus non iudicabit viuos & mortuos, &c. Mirum est si suæ istius limitationis jam aduersarios non pudet. Itaque missis ijs quæ possent adjici, progrediar ad responsionem alteram.

Resp. 2. Ref. IV. Non esse propositionem, ***tu solus nosti corda hominum***, restringendam ad tempus quo loquebatur Salomon, aut V. T. ex eo intelligitur, quod ea dogma est, dogmata autem sunt perpetuæ veritatis: continet enim diuini attributi diuinæ proprietatis reuelationem. Quoniam autem Deus perpetuò idem est, nec potest vllo modo mutari, eius attributa & proprietates nunquam mutantur. Itaque in illa propositione verbum ***nosti*** non adsignificat præsentis aut præteriti temporis certam differentiam, vt solet in propositione contingente; sed, vt fit in necessaria, ab ea adsignificatione solutum est. Vera enim illa enunciatio, & ab omni æternitate ad illud vsque tempus quo loquebatur Salomon, fuerat, & futura erat vsque ad tempora reuelati Messiæ; & quominus ad omnem vsque æternitatem vera fore credatur ab Aduersarijs nihil impedit, præter hunc ipsorum errorem, quem confutamus: Ac cum propositio, ***Tu solus nosti corda hominum*** resolui debeat in has duas, Tu nosti corda hominum, &, alius nullus nouit corda hominum, quarum illa in Dei naturâ, hæc in eius vnitate fundatur, cumq; illam constet necessariam esse ac perpetuæ veritatis, idem etiam de hac judicandum est: alioquin erit eadem propositio, tu solus nosti corda hominum, necessaria & contingens, perpetuæ & non perpetuæ veritatis, cum tamen tota nitatur principijs seu fundamentis æternis, essentia Dei & eius vnitate.

V. Adde quod cur Deus perſpecta habeat corda hominum duas ſolet Scriptura rationes afferre, vnam ab eorum creatione, alteram à Dei immenſitate, quia fecit corda hominum, & quia replet cœlum & terram, quæ duæ rationes omnium confeſſione propriæ ſunt ſolius Dei. Ecquis verò legens iſta Dei verba Ierem. 17. 9. *Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile. Quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes* &c, non intelligat, Deum ſibi tribuere ſcrutationem cordium, tanquam attributum proprium, quo ab omnibus creaturis diſtinguitur? Cum ergo videamus hoc idem ſibi Chriſtum tribuere, & quidem ita emphaticè, vt magis non potuerit: (non enim dicit *ſcient omnes Eccleſiæ* ὅτι ἐγὼ ἐρευνῶ quod ego ſcrutor, ſed, ὅτι ἐγώ εἰμι ὁ ἐρευνῶν *quod ego ſum ille qui ſcrutor, ille ſcrutator*) cur non inde concludimus, eum eſſe Deum, hoc eſt, præditum eſſentia diuina, præſertim cum fateri neceſſe ſit, eum habere perſpecta atque explorata corda omnium, etiam illorum, qui aduentum eius anteceſſerunt, vbicunque & quandocunque vixerint? Eſt enim omnium, quot quot vnquam fuerunt, hominum Iudex, & quidem ſupremus. Pſ. 33. 15. & Pſ. 139. Ier. 23. 24.

VI. Afferrem hoc loco argumentum ab ipſa rei natura petitum; Mihi enim contradictio implicari videtur, ſi dicatur intellectus humanus vi ſibi inſita & propria omnium hominum corda ſcrutari, & cogitationes noſcere, multòque difficilius id capio, quàm Deum patefactum fuiſſe in carne noſtra, ſibique in perpetuum naturam noſtram vniuiſſe, in qua ſeſe nobis præſentem exhiberet. Hoc enim nihil habet quod rationi repugnet, quodque non ſit maximè & generi humano honorificum atque vtile, & Scripturæ conſentaneum. Illud verò eſt virtutem infinitam finitæ menti, hoc eſt, accidens infinitum ſubjecto finito attribuere. Sed eam rationem in alium locum differo. Nunc enim id vnum ago, vt quæ ſit Scripturæ de natura diuina Domini noſtri ſententia exquiram & proferam in lucem. Quod cum à me fuerit Dei beneficio perfectum, tunc eiuſdem ope oſtendam, cum in ſententia Scripturæ & fide noſtra nihil eſſe quod pugnet cum recta ratione, tum in errore Aduerſariorum quædam eſſe, quæ cum recta ratione conciliari non poſſe videantur.



SECTIO SECVNDA

Locos Veteris Testamenti continens non laudatos in Nouo.

DISPVTATIO VIGESIMA SECVNDA

De Arg. XXII. Ex apparitione Dei quæ describitur Gen. cap. 18.

I. QVONIAM Dominus noster vniuersam Veteris Testamenti Scripturam partitus est in legem Mosis, Prophetas, & Psalmos, eundem ordinem sequemur in hac Sectione, exordiemurque à Mose, (Luc. 24. 44.) qui Gen. cap. 18. insignem quandam Dei apparitionem describit: Ex qua tribus modis argumentari possumus.

II. Primò sic, Is qui eo loco dicitur apparuisse Abrahamo duobus angelis viris comitatus vocatur vir & Iehoua, seque gerit vt homo & vt Deus, habeturque ab Abrahamo pro homine & pro Deo. Ergo non est impossibile, nec repugnat Scripturæ, aut rectæ rationi, vt Deus appareat hominibus in natura humana, idemque dicatur Deus & homo, se gerat vt Deum & hominem, & à fidelibus habeatur pro vero Deo prædito essentia diuina, & vero homine prædito essentia humana. Negari enim non potest, quin is, qui apparuit Abrahamo, verus homo fuerit. Nam & vir appellatur, & præ se ferebat figuram humanam, & ambulabat, pedes lauabat, edebat, loquebatur vt homo: & rursus negari nequit, quin verus Deus fuerit: sexies enim vel septies vocatur Iehoua, quinquies Adonai, loquiturque vt Iudex mundi penes quem est suprema puniendi & parcendi potestas. Quid possunt Aduersarij aduersus vnionem diuinæ & humanæ naturæ in persona Christi afferre, quod non possit exemplo huius appari-

tionis Dei in humana forma refelli? Si Deus voluisset eiusmodi diuinæ & humanæ naturæ conjunctionem haberi pro absurda & impossibili, num illius tam illustre exemplum & specimen ostendisset in Scriptura ad instructionem & ædificationem Ecclesiæ vsque ad finem seculorum?

III. Frustrà reponent verissimile non esse, Deum eo tempore sibi naturam humanam personaliter vniuisse, modò enim simpliciter, &, vt sapientiam quæ supernè est decet, ἀδιακρίτως confiteantur Christum Deum & hominem, diuina & humana natura præditum esse, id nobis nunc quidem sufficit. Certè diuinæ & humanæ naturæ personalis vnio clarius & melius repræsentari non potuit. Idem enim & Deus & vir appellatur, & præse fert cum proprietates & infirmitates humanas, mouetur enim loco, ambulat, edit, bibit, pedes abluit, loquitur, videtur, tum proprietates diuinas, cogitationum cordis & rerum futurarum cognitionem infallibilem, iudicandi atque adeo puniendi & parcendi autoritatem summam, &c. Erat igitur quâ Deus seu Iehoua ab æterno, quâ homo in tempore, quâ Deus etiam in cœlo, qua homo in terra tantùm, qua Deus infinitus, qua homo finitus, qua Deus creator, qua homo creatura. Si sic Deus naturam humanam assumpsit ad tempus, cur non potuit eam assumere in perpetuum? Si in gratiam Abrahæ & Saræ, cur non in gratiam totius Ecclesiæ?

IV. Secundò sic argumentor. Si apparitio illa Iehouæ in carne humana specimen fuit aduentus & conuictus Christi cum hominibus, certè qualem sese ille qui tunc apparuit ostendit, talem Christum esse oportuit. Ille autem sese ostendit tanquam Deum Iehouam & hominem. Christum igitur esse Deum seu Iehouam & hominem oportuit. Quale enim est specimen, tale debet esse id cuius est specimen. Fuisse autem illam apparitionem specimen aduentus & conuictus Christi cum hominibus, probatur, primò testimonio ipsius Christi Ioh. 8. 56. *Abraham Pater vester exultauit vt videret diem meum, & vidit & gauisus est.* Quomodo vidit diem Christi, si ei non est eius aliquod specimen ostensum? nulla autem visio seu apparitio ei est indulta diei Christi similior quam ista. Est igitur hæc apparitio specimen & vt ita dicam, prælusio reuelationis seu aduentus Christi in carne. Hoc ipsum eodem illo cap. jam Christus insinuauerat ℣. 39. & 40. *Si filij Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis. Nunc autem*

quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis loquutus sum, quam audiui à Deo. Hoc Abraham non fecit. Hominem enim illum, quem cum alijs duobus hospitio exceperat, se pro Deo gerentem non voluit interficere vt blasphemum, sed reuerenter allocutus est vt Deum.

V. Ad Christi testimonium accedit, quod sine dubio destructio Sodomeorum specimen fuit destructionis impiorum per ignem judicij extremi. Id Christus innuit Luc. 17. 28. *Similiter etiam vt accidit in diebus Lot. edebant, bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant. Quo autem die Lot exijt Sodomis pluit ignem & sulphur, & omnes perdidit. Secundum hæc erit dies, qua Filius hominis reuelabitur.* Et Iudas 𝒱. 7. *Sicut Sodoma & Gomorrha & his finitimæ ciuitates simili modo atque illæ scortatæ, & carnem alteram sectatæ, propositæ sunt exemplo, ignis æterni pœnam sustinentes.* Hinc Dauid ps. xi. *6. pluet super impios laqueos, ignem & sulphur*, &c. Quod si destructio Sodomæ & Gomorrhæ specimen fuit destructionis mundi, fatendum est Abrahamo ostensum fuisse specimen quoddam vtriusque aduentus Christi. Primo venit Christus ad semen Abrahæ, cum eo ad breue tempus conuixit, ei promissionem jamjamque impletum iri annunciauit, clementiam admirabilem ostendit, Iudicium futurum prædixit, ad quod exercendum professus est se descensurum, tum se subduxit ex oculis hominum, misitque nuntios suos atque legatos in mundum præcipuè in magnam illam ciuitatem, quæ vocatur spiritualiter
Apoc. 11. 8. Sodoma & Ægyptus, qui dicerent *Seruamini ex generatione ista praua, in promptu habentes quo vindicent omnem inobedientiam,*
Act. 2. 40. *postquam impleta fuerit electorum obedientia.* Tandemque ipse no-
2. Cor. 10. 6. cte elapsa die illo magno manè veniet, mundumque impiorum igne destruet. Hæc tanta similitudo non obscurè testatur, specimen quoddam seu exemplum vtriusque aduentus Christi memorabili illa apparitione contineri: ac proinde talem oportuisse Christum reuera esse, qualem ille, qui apparuit, sese exhibuit. Id quod ipsa experientia confirmat. Vt enim ille vir appellatur, seque hominem fuisse figura externa & actionibus probauit; sic Christus homo dicitur, & se hominem verè fuisse multis rebus docuit: vt ille se mundi judicem esse professus est, sic itidem Christus. Vt ille Deus vocatur, sic Christus dicitur Deus. Quid est igitur, quamobrem non existimemus, quàm ille Iehoua nominatur,

tur, tam Christum eodem nomine insigniri?

§ VI. Tertiò denique sic possum argumentari. Qui apparuit Abrahamo Gen. 18. is fuit præditus essentia diuina. Christus est ille qui apparuit Abrahamo Gen. 18. Christus igitur est præditus essentia diuina. Major sic probatur. Iehoua est præditus essentia diuina. Ille qui apparuit Abrahamo Gen. 18. fuit Iehoua. Ille igitur qui apparuit Abrahamo fuit præditus essentia diuina. Vocatur enim, vt dixi, septies Iehoua, nomen omnium confessione Dei Israëlis maximè proprium: vocatur aliquoties Adonai, quod etiam nomen est vnius illius Dei: dicitur judex totius terræ, quod elogium nisi vni illi Deo conueniebat nemini.

VII. Minor ex eo probatur quod 1. hic qui apparuit Abrahæ dicitur Iudex vniuersæ terræ ℣. 25. Solus autem Christus est Iudex vniuersæ terræ. 2. dicitur etiam homo. Nullus autem homo iudicat vniuersam terram præter vnum Christum. 3. Is fuit aut Deus Pater, aut Angelus creatus, aut Filius Dei. Non enim Aduersarij dicent fuisse Spiritum Sanctum, quem ne personam quidem fuisse autumant. Atqui non fuit Deus Pater. Primùm enim Deus Pater nunquam venit aut apparuit immediatè seu, vt loquuntur, in propria persona, ne tum quidem cum, aut annuncianda fuit beatæ Virgini conceptio & natiuitas Christi, aut seruandum genus humanum. Quis ergo credat eum venisse in propria persona vt annunciaret instantem Isaaci conceptionem, deque Sodomæ exitio cum Abrahamo colloqueretur? Deinde quorsum Deus Pater pransus fuisset apud Abrahamum, ijsque rebus se verum fuisse hominem docuisset, quibus Christus post resurrectionem suam se verum esse hominem confirmauit. Huius enim rei tam inusitatæ & memorabilis nullus vsus apparet. Sed nihil opus est pluribus id refellere, quod aduersarij neque dicunt, neque seruatis hypothesibus suis de Dei natura loco & motu dicere possunt.

VIII. Num ergo fuit Angelus? affirmant quidem Socinus Crellius & VVolkelius. Quo autore, aut teste? Nullo prorsus. Id enim Scriptura nuspiam dicit. Vtris igitur potius credendum, nobis qui Deum fuisse dicimus, & probamus testimonio Scripturæ cum plusquam septies Iehouam appellantis, an verò Aduersarijs qui Angelum fuisse uolunt, neque locum vllum proferre possunt vbi angelus appelletur? At duo eius comites vocantur an-

Bb

geli Gen. 19. 1. 15. sunto igitur illi angeli, quia angeli dicuntur: Hic verò qui nunquam angelus, sed tam sæpe Iehoua nominatur, habeatur pro Deo, non pro angelo.

Heb. 13. 2. IX. *At*, inquit Crellius, *aliud D. Auctor Epistolæ ad Hebr. docet. Is hospitalitatem commendaturus, quosdam, ait, inscios eius virtutis beneficio excepisse hospitio Angelos. Ad hanc autem de Abrahamo, & quæ de Lotho subijcitur, historiam eum respicere, præter rem ipsam, arguunt Scripturæ loca, quæ in ora sacri codicis vulgò solent adijci. Quodsi Deus ipsemet tunc adfuisset; ad laudem hospitalitatis tantò maiorem dicturus potius fuisset scriptor diuinus, quosdam per eam Deum ipsum hospitio excepisse.* Fallacia est à non causa pro causa. Quisquis enim ille fuerit quem Abrahamus hospitio excepit, nihil prohibuit Apostolum congruenter loqui Scripturæ, quæ eum non Angelum, sed Deum, immò Iehouam sæpius appellauit. Cur igitur id non fecit, si faciebat magis ad scopum? Cur etiam ille toties Iehoua appellatur, cur non secus ac Deus ipse loquitur, cur Iudex totius terræ dicitur cur eum tanquam Deum Abrahamus alloquitur, si nec Deus fuit, nec pro Deo haberi aut potuit, aut debuit? Non igitur illa causa fuit quam reddit Crellius, cur Deum ipsum sacer autor non dixerit hospitio fuisse exceptum, sed ista potius, quia nimirum voluit prudenter ratiocinari. Non videtur autem ratiocinari prudenter, qui aliquos ad certum officium hortatur argumento inde ducto, quòd id officij facientibus ingens quoddam bonum olim euenerit, si tale bonum palam est eis quos hortatur, vt vt hortanti pareant, neque euenturum esse vnquam, neque euenire posse. Iam autem, certum est contingere amplius non posse, vt Deus ipse hospitio excipiatur: Pater enim extra Christum hominibus ostendi aut non potest, aut non debet, teste ipso Christo Ioh. 14. 9. Filius verò vetat admodum accuratè Matth. 24. 5. 23. 26. dicenti, *ego sum Christus*, aut dicentibus, *Ecce hic est Christus, aut illic*, credere, addita hac ratione, quod non sit venturus, nisi adeò splendidus & illustris, vt nemo eum non videat. Ad Spiritum autem sanctum quod attinet, is non venit nisi inuisibiliter in corda fidelium. Quapropter noluit Apostolus vllam ipsius Dei hospitio excipiendi spem Christianis ostendere. Angelorum ratio est dispar: Apparuerunt enim in figura humana mulieribus Marc 16. 5. Luc. 24. 4. Apostolis Act. 1. 10. Cornelio Act. 10. 3. Petro Act.

12. 7. alijsque nonnullis, si fides habenda est historijs non sacris, constatque, tum omnes esse administratorios spiritus, qui in ministerium emittuntur propter eos qui futuri sunt hæredes salutis, Heb. 1. 14. tum eos mittendos esse à Christo, vt colligant de regno eius scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, necnon congregent electos. Matth. 13 41. &24.31.

X. Objiciet fortè aliquis, Si quia is qui apparuit Deus & homo vocatur, Christum oportuit simul Deum & hominem esse, consequens esse, vt quia illius ministri Angeli & homines appellantur, etiam Christi ministri esse debuerint simul Angeli & homines, ac proinde si Deus incarnari debuit, etiam Angelos incarnari debuisse. Respondeo, Angelum nomen esse officij, quod de hominibus in vtroque testamento vsurpatur non infrequenter, itaque posse eundem esse natura hominem & munere Angelum, vt patet exemplo Iohannis Baptistæ, qui Angelus Dei appellatur Malach. 3. 1. & Matth. 11. 10. Iehouam verò non esse nomen officij seu muneris: itaque non posse eundem Iehouam & hominem esse, nisi qui sit diuina & humana natura præditus. Adde quod non venit Filius, deinde Pater, sed venerunt ministri Christi homines, deinde venturi sunt tandem vltimo die, aut circa vltimum diem Angeli; cuius rei confusum quoddam specimen in historia Gen. 18. & 19. ostensum Ecclesiæ est.

XI. At, inquit Crellius, *is ipse, qui nomen Iehoua, cum Mose colloquens sibi imposuit, eoque tam frequenter in ea sermocinatione insignitur, Angelus fuit.* De hoc videbimus disputatione sequente. Interim dico duo: vnum, Hunc qui Abrahamo apparuit non vocari Angelum: Alterum, etiam Christum Angelum dici Malach. 3. 1. Apoc. 8. 3. &c. nec mirum, Est enim Angelus propriè nuncius.



DISPVTATIO VIGESIMA TERTIA

De Arg. XXIII. Ex Gen. 31. 11. 13. Exod. 3. 2. 6. alijsque locis similibus, in quibus Angelus se Deum esse profitetur, aut Deus appellatur.

I. NVNC de illo Angelo consideremus, qui dicit Iacobo Gen. 31. 11. *Ego sum Deus Bethel, vbi vouisti votum mihi:* & Mosi Exod. 3. 6. *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*, & alijs multis locis, vel profitetur se Deum esse, vel Dominus seu Iehouah appellatur. Aut enim officio, aut natura Angelus fuit. Si officio tantùm, sine dubio Deus fuit prædictus essentia diuina. Tamen Deus Pater non fuit. Deus enim Pater dici non potest Angelus Dei. Fuit igitur Filius Dei. Nam Spiritus Sanctus non fuit: Hunc enim contendunt Aduersarij nec personam esse, nec Deum dici in sacris literis: quod vtrumque quidem falsum est, Sed tamen Spiritus Sanctus non apparet extrinsecus corpori, sed illabitur intrinsecus cordi, seque potius habet vt facultas interna, quàm vt objectum externum.

II. Si naturâ sua Angelus fuit, vt affirmant Aduersarij quomodo tam clarè, tam disertè, tam sæpe clamauit se Deum esse, Iehouam, Deum Abrahami Isaaci & Iacobi, hoc est, illum Deum præter quem alius nullus est Deus? Quomodo è monte Sinai tanta cum Majestate legem ferens pronunciauit, *Ego sum Iehoua Deus tuus, qui eduxi te de Terra Ægypti*, &c? Quomodo se vnum pro Deo haberi & coli jussit, alium verò neminem? Quomodo dicit Auctor Ep. ad Heb. Christo præstantiora quàm cuiquam Angelorum tributa esse in Scriptura nomina, si vnus ali-

quis Angelus appellatus est Iehoua tam sæpè tamque disertè? Quid quod Christus ipse testis est, Deum fuisse qui dixit Mosi, *Ego sum Deus Abraham*, &c. Matth. 22. 42.

III. Respondet Crellius, illum Angelum *alienam personam ac nomen assumpsisse, Deo ita volente, vt tantò plus auctoritatis haberet res & oratio, & in auditorum animos altius ascenderet*, additque *in dramatibus similia quodammodo cerni. In iis enim*, inquit, *alter alterius personam ita sustinet, vt res non referri, sed geri videatur, quanquam istic, ad delectationem spectantium, & in rebus sæpè minimè seriis: illic ad vtilitatem audientium, ac in rebus maximè seriis: &, quod discrimen hîc maximè attendendum est, Angeli Dei personam ita sustinent, vt eius auctoritatem simul habeant: longè secùs quàm in dramatibus contingit.* Prudenter hoc discrimen, ne sibi objiceretur, obseruauit. Sed sunt alia. Primùm enim in dramate omnes actores sunt personati, omnes alienas personas agunt. Hîc secus res habet. Solus enim iste Angelus fuisset personatus, reliqui quibuscum loquebatur & agebat suas ipsi proprias personas sustinebant, id quod non videtur vllo modo Dei sapientiæ fuisse consentaneum: Fateor equidem omnia, aut ferè omnia, typica fuisse: nam & Iacobus, & Moses, & populus Israëliticus, & mons Sinai, & legis è monte Sinai promulgatio, & tabulis lapideis inscriptio, & desertum, & tabernaculum, & reliqua ferè omnia typi fuere. Sed typi suas agebant proprias partes, non autem alienas earum scilicet rerum, quarum erant typi. Deinde in dramate qui Regis nomen & personam assumit non dicitur Regis legatus aut nuncius: sunt enim opposítæ personæ Regis & legati Regis. Si igitur similiter pugnant Angeli Dei, & Dei personæ, quî fit vt dicatur Angelus Dei sic loquutus, *Ego sum Deus* &c, *Ego sum Iehoua* &c? Sic enim quædam quasi contradictio lectori objicitur. *Non* enim (vt bene obseruauit Crellius) *solent eandem rationem principum personas assumendi, ac loquendi formam seruare legati.* Præterea in dramate res ipsa non geritur, sed iam gestę imago effingitur: itaque veritas non est, sed fabula veritatis æmula. Scriptura verò ipsius veritatis seu rei gestæ simplex est historia, quæ nihil habet cum fabula commune. Quod si Angelus Dei nomen & personam assumit, vt tantò plus autoritatis habeat res & oratio, quî factum est vt eodem loco, quo se Deum esse clamat, dicatur Angelus Dei? Sic enim non modo

minuitur auctoritas, sed speciem quandam mendacij præ se fert oratio, siquidem non potest idem simul & officio Angelus, & natura Deus esse. Hinc apparet, Angelum, cum dicit, *Ego sum* D*eus Abrahami* &c, aut, *Ego sum Dominus, Iehoua*, non loqui vt decet merum Dei angelum, hoc est, nuncium seu legatum (nunquam enim nuncius se illum ipsum dicit esse cuius est nuncius) nec tanquam si drama aut fabula ageretur: cætera enim fabulæ non conueniunt, sed repugnant potius.

IV. At, inquit Crellius, eum, qui Mosi apparuit in rubo & dixit *Ego sum Deus patris tui* &c *eum, qui e monte Sinai tanta cum maiestate legem ferens pronunciauit*, Ego sum Iehoua Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, *& quæ sequuntur, qui in tota illa historia passim* Iehoua *appellatur à Mose, angelum fuisse, testis est Stephanus Act.* 7. 53. *testis Paulus Gal.* 3. 19. *testis diuinus ad Hebræos scriptor Heb.* 2. 2. *Hi namque omnes vno affirmant ore, per angelos dispositam, seu latam pronunciatamque Legem. Et Auctor quidem diuinus* Epistolæ *ad Hebræos eo argumento Euangelium præfert Legi, quod hæc per Angelos, illud per Dominum nempe Christum, quem angelis longe præstantiorem esse factum prolixè docuerat, primò fuerit promulgatum. Quò respicit etiam Paulus, Colossenses monens, ne à Christo ad mundi rudimenta relabantur quæ in Lege Mosaica continentur*: & estis, *inquit*, in ipso (*Christo*) impleti, qui est caput omnis principatus & potestatis, *quasi dicat. si quis fortè cogitet, Legem per angelos, & quidem principes, esse latam, gloriosum esse, ab illis diuinæ voluntatis notitia imbutum censeri; Longè gloriosius est, vos per eum, qui omnium illorum principum ac potestatum caput est ac dominus, diuinæ voluntatis notitiam fuisse consecutos, eamque plenam & perfectam, non, vt sub lege, inperfectam.* Hæc transcripsi, non quo refutem, sunt enim si benè accipiantur vera, sed vt conciliem cum mea sententia. Fateor enim angeli alicuius operam adhibitam fuisse, cum ad visibiles illas formas efficiendas, quæ sunt oculis Mosis & populi Israëlitici obuersatæ, tum ad sonum illum edendum & articulandum, quo verba illa prolata sunt, *Ego sum Iehoua*, &c. Sed quæritur quomodo Angelus creatus sic loqui potuit, *Ego sum Iehoua* &c. *Ego sum* Deus *Abrahæ* &c. Aduersarij aiunt eum sic loqui quia sustinet Dei personam vt fit in dramate, & quia est Dei nuncius vel legatus. Hoc jam refutaui. Addoque in Nouo testamento missos à

Deo angelos non assumere nomen & personam Dei; Itemque Christum præstantissimum legatum Patris, nunquam sibi Patris nomen sumere. Immò negant Aduersarij eum vocatum fuisse vllo in loco Scripturæ Iehouam, cum tamen affirment, eum, & Dei personam perfectissima ratione sustinuisse, & qui passim Iehoua appellatur à Mose, angelum fuisse. Reddant igitur, quæso, rationem, cur passim Angelus se Deum esse profiteatur, & vocetur Iehoua, Christus verò, quem aiunt perfectiore ratione Dei Patris personam sustinuisse, nunquam se profiteatur esse Deum Patrem?

V. Vt igitur eadem opera simul & respondeamus & argumentemur, Angelus creatus (vnus an plures fuerint, nihil refert) cuius opera Lex è monte Sinai promulgata est, vel Iehoua dicitur seque esse Iehouam profitetur, vel non. Si prius: Necesse est vt à se & ab alijs Iehoua, Deus Abrahami Isaaci & Iacobi &c dicatur non propriè, sed figuratè: Propriè enim Deus non fuit, sed Dei creatura & minister. Nemo enim, opinor, dicet Deum sibi personaliter angelicam vniuisse naturam. Figuratè autem Deus & Iehoua dici non potuit, nisi ea figura, qua nomen rei significatæ eius signo tribuitur, vt reliquas figuras seu tropos percurrenti manifestum esse potest. Quæ figura in Scriptura, & in quotidiano omnium hominum sermone frequentissima est. Porrò ea figura non potuit Angelus dici Deus seu Iehoua, nisi, aut quemadmodum histrio in fabula rex dicitur, & imago eius nomine appellatur, cuius est imago, aut quemadmodum Typus nonnunquam id esse dicitur cuius est typus. Priorem modum jam rejecimus: nam nec fabula agitur, sed res verè gesta, nec vllus alius in ea historia alienam agit personam, nec vllus angelus dicitur in Scriptura imago Dei, aut Deo similis, nec si diceretur imago Dei, propterea sic loqui posset, *Ego sum Iehoua* &c, vt viri exemplo patet, qui Dei imago & gloria dicitur 1. Cor. 11. 7. nec Angelus ille quis, qualisue fuerit, reuelatur in Scriptura, aut à nobis cognosci potest.

VI. De posteriori duo certa sunt: vnum, posse typo tribui rei quam adumbrat nomen & quædam attributa. Sic Petra dicitur fuisse Christus 1. Cor. 10. 4. Sic de Dauide Ps. 16. 10. & 22. 18. 19. &c, & de Salomone Ps. 45. 8. & 2. Sam. 13. 14. &c. quædam dicuntur, quæ Christi sunt propria. Alterum, Angelum il-

lum qui Legem è monte Sinai promulgauit typum fuisse Cum enim reliqua omnia, vt jam dixi, typi fuerint, mons Synai, Moses, Aaron, tabulæ lapideæ, Lex, Legis promulgatio, liberatio à seruitute Ægyptiaca, desertum &c, consentaneum fuit, vt is etiam qui legem promulgauit typus fuerit. Cuius autem typus fuit? Christi. Id ipsa res testatur: cuius enim typus fuisset is qui Legem promulgauit, nisi eius qui promulgauit Euangelium? Atque vt ille Angelus (siue vnus fuerit siue plures) cœpit Legem per seipsum immediatè pronunciare, Deinde vius est ad eam rem Mosis ministerio; sic Christus per seipsum Euangelium prædicare cœpit, Deinde id perfecit per Apostolos, sicut est obseruatum ab Apostolo Heb. 2. 3. 4. Id etiam colligitur ex Heb. 2. 2. & 12. 18. 25. Coloss. 2. 10. 2. Cor. 3. 13. 16 18. qui postremus locus est maximè notandus. Si igitur iste Angelus (vnus, vt dixi, an plures fuerint, nihil ad hoc quod agimus interest) typicè Deus & Iehoua dicitur, necesse est vt Christus sit Deus & Iehoua reuera. Itaque in ipso, teste Apostolo, *inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter*, quæ non habitauit in Angelo, in propitiatorio & templo Hierosolymitano nisi vmbratiliter.

VII. Si quis objiciat, typos non adumbrasse nisi res futuras, reuincetur exemplo tabernaculi quod cœlum, & immunditiei legalis quæ peccati immunditiem significabat. Si objiciat, non tam frequenter typis tribui quod proprium est rerum adumbratarum, is recordetur nihil occurrere frequentius in lege, quàm sacrificijs legalibus peccata expiari, id quod tamen proprium esse sacrificij Christi Auctor Ep. ad Heb. testatur & probat capp. 9. & 10. Si objiciat, non solere typo tribui nomen rei adumbratæ, is cogitet nonnullos esse typos, qui communi cum rebus significatis nomine gaudeant. Sic exempli causa, Christi Sacerdotis typus fuit sacerdos, Regis rex, Mediatoris mediator, Sacerdotij sacerdotium, Sacrificij sacrificium, Tabernaculi tabernaculum &c. Si denique adjiciat, typicos Reges, Sacerdotes &c verè & propriè reges & sacerdotes fuisse, ac propterea hunc Angelum, si typicus Deus fuit, verè & propriè Deum fuisse. Concedam verè, id est, non falsò, & propriè Deum fuisse, sed deitate typica & vmbratili, quæ cum reliquis vmbris exoriente Christo, sole iustitiæ, euanuit.

VIII. Si Angelus creatus non tribuit sibi nomen Dei, necesse est vt

est vt verba illa, *Ego sum Iehoua* &c. proferat non tanquam sua, sed tanquam aliena. Vel igitur ea pronunciat tanquam nuncius recitans eius à quo est missus, verba; vel tanquam seruus, cuius opera alius vtitur ad exprimendos suos conceptus. Prius mihi non fit verisimile. Nunquam enim sic loquuntur, vel Angeli in Nouo Testamento, vel Prophetæ in veteri, vel hominum nuntij, nisi præmissa aliqua præfatione, qua doceant se eius à quo sunt missi verba referre. Deinde qui pronunciat illa verba *Ego sum Iehoua*, ab ipso sacro historico *Iehoua* appellatur, & cum eo tanquam cum Iehoua agitur. Posterius intelligi potest duobus modis. Vno, vt Deo loquenti operam suam angelus accommodauerit ad sonum producendum & articulandum, quomodo Tertius scripsit Epistolam ad Romanos Paulo dictante; altero, vt Angelus ipsa quidem verba conceperit pro sua prudentia, sed ad significandos Dei conceptus, quomodo solent notarij, siue scribæ regij regis edicta & epistolas ita concipere, vt Rex perpetuò loquatur, ipsi nunquam. Hoc quidem satis fuisse videtur, vt Lex dici potuerit *accepta per dispositionem Angelorum* Act. 7. 53. *ordinata per Angelos* Gal. 3. 22. *per Angelos dictus sermo* Heb. 2. 2. Non uerò vt dicatur Angelus in singulari numero dixisse, *Nunc cognoui quod timeas Deum, cum non peperceris filio tuo vnigenito propter me* Gen. 22. 12. *Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem, & votum vouisti mihi* Gen. 31. 13. *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Exod. 3. 6. *Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram pro qua iuraui patribus vestris, & dixeram, non faciam irritum pactum meum vobiscum in sempiternum*, &c Iudic. 2. 1. Non etiam id satis fuit, vt posset ille Angelus appellari *Iehoua*, vt factum est persæpe. Ac propterea confitendum est, Angelum illum, qui sic loquitur & appellatur, causam principalem illius apparitionis, & sermonis fuisse: quo posito necesse est eum fuisse, aut Angelum officio, & Deum naturâ; aut, si natura Angelus fuit, Deum deitate, vt ita loquar, vmbratili & typica. Vtrumuis eligant Aduersarij, oportet Christum esse Iehouam. Nam, si prius placet, Angelus ille est Filius Dei, quis enim alius dici possit simul Legatus Patris & Deus? Si posterius, Christus est id verè, quod ille Angelus fuit typicè.

IX. Sic quidem confectum est argumentum nostrum. Verùm vt veritas clarior fiat, loca quædam Scripturæ breuiter percur-

renda sunt. Exod. 24. 9. oblato sacrificio confirmatoque fœdere Legali *Moses, Aaron, Nadab, & Abihu, & septuaginta ex senioribus Israel ascenderunt in montem, & viderunt* Deum *Israel, eratque sub eius pedibus quasi opus lapidis saphirini, & quasi cœlum cum est serenum.* Dubitari non potest, quin, vt typica fuerunt, fœdus legale, sacrificium quo illud confirmatum est, selecti illi septuaginta è filijs Israël, & Mons in quem ascenderunt, sic typica etiam fuerit admissio eorum ad præsentiam & aspectum Dei serenum. Vt igitur sancito & confirmato vetere testamento per
Heb. 9. 18. & seqq. mortem victimæ atque oblatum sacrificium, cuius sanguine liber legis & omnis populus aspersus fuit, Moses Aaron Nadab & Abihu & septuaginta è filijs Israël admissi sunt in conspectum Dei Israëlis, qui illos benignè accepit, atque etiam, (vt colligi posse videtur ex ℣. 11. & tanti principis erga eos, quibuscum fœdus percutiebat, liberalitate) conuiuio excepit, Sic sancito & confirmato testamento nouo per mortem Christi & oblatum sacrificium cuius sanguine fideles omnes asperguntur, & à peccatis purgantur, Apostoli & septuaginta discipuli admissi sunt ad Dei aspectum, atque adeò conuiuium. Quem igitur viderunt? Chri-
Ps. 22. 28. stum. Quis eis quod spiritualiter ederent & biberent apposuit? Christus. Patrem certè non viderunt, nisi quatenus Filium viderunt.


X. Exodi cap. 34. ℣. 29. Legimus cutem faciei Mosis, cum manu teneret duas tabulas fœderis, descenderetque è monte, splenduisse contracto ex Dei aspectu splendore, ac propterea Mosem velamen posuisse super faciem suam, quod aufferebat, cum ingrederetur in conspectum Domini: Ad quam historiam alludit Apostolus 2. Cor. 3. 13. seque ita cum Mose confert, vt perspicuum sit, Domino, qui cum Mose loquebatur in monte, respondere Dominum nostrum Iesum Christum, ad quem cum fuerint Iudæi conuersi tolletur velamen, cuiusque gloriam, detecta facie, tanquam in speculo, intuentes Apostoli transformati sunt in eandem imaginem ex gloria in gloriam. Christum enim ab Apostolo per Dominum intelligi patet ex ℣. 14. & ℣. 17. & nomine *Domini*, quod Christi proprium esse testatur Apostolus 1. Cor. 8. 6. (quo loco non dicitur cum articulo εἷς ὁ κύριος, sed sine articulo εἷς κύριος) necnon ex ipsa experientia, quæ docuit
Ioh. 1. 14. Apostolos gloriam Filij vidisse, Patris, nisi in Filio, non vidisse.

Aut igitur ille Dominus (Iehoua) quem Moses vidit, ipse Dei Filius fuit, aut eius typus. Vtrumlibet eligatur, Filius Dei est Deus Israëlis, est Iehoua.

XI. Exod. cap. 33. ℣. 1. Dominus idololatria populi offensus dicit Mosi, ***mittam ante te Angelum, & eyciam Chananaum, & Amorrhaum &c, Non enim ascendam in medio tui, quia populus dura ceruicis tu es, ne fortè consumem te in via. Audiens autem populus verbum istud malum, luxerunt, nec posuit vllus ornamentum suum super se.*** Itaque eodem capite ℣. 12. & seqq. Moses Deum obnixè rogat, vt velit ipse cum eis ire. *Nisi*, inquit, *facies tua ierit, ne nos hinc educas*. Id quod etiam impetrat. Quid? Populus Israëliticus non fuit contentus Angelo ductore per typicum desertum ad Canaam typicam, & nos Christiani contenti erimus homine tantùm homine, ad verã & cœlestem Canaam duce? Pugnabimusque obnixè, ne ipse Deus dicatur ad nos seruandos venisse, nobisque in cœlum deducendis præiuisse: adeò differunt Aduersarij ab illo populo, à Mose! Num ad eiusmodi liberationem carnalem & typicam opus fuit ipsius Dei facie & præsentia, nec satis fuit præsentia Angeli; ad liberationem verò spiritualem & æternam non opus fuit ipso Deo, sed homo tantùm homo satis fuit? Quis hoc credat? Fuit-ne hac in parte ministerij mortis quàm ministerij Spiritus major gloria? Absit. Agnoscamus igitur ducem nostrum, eumque, reuera Deum seu Iehouam esse credamus.

XII. His accedat memorabilis illa historia, quæ extat Ios. 5. 13. ***Contigit autem cum esset Iehosua prope Iericho, vt attolleret oculos, & videret, & ecce vir stabat contra eum habens in manu sua districtum gladium. Et abijt Iehosua ad eum, & dixit ei, noster es, an hostium nostrorum? Qui dixit, Non: sed ego princeps exercitus Domini nunc veni. Procidens autem Iehosua super faciem suam in terram, adoraui*** &c. Negari non potest, quin princeps ille exercitus Domini, aut Filius Dei fuerit, aut typus eius. Vocatur autem cap. sequenti ℣. 2. ***Dominus*** seu ***Iehoua***. Mirum est Iudæos tot Dei in forma humana apparitionibus, tot Patriarcharum exemplis, qui hominem, cum se professus est Deum esse, pro Deo habere & adorare non dubitarunt, præparatos non fuisse ad Christum reuerenter accipiendum, cum se Dei Filium, Deum, vnum cum Patre profiteretur, multisque & maximis miraculis confirmaret. Reliquas Angeli Domini siue Dei in humana specie

seu figura apparitiones breuitatis studio prætermitto. Illud duntaxat vnum addam hoc loco, concurrisse eodem tempore ad Christum adumbrandum duos typos naturæ admodum diuersæ, Angelos & Mosem, quorum illi diuinitatem, iste humanitatem præcipuè repræsentarunt.



DISPVTATIO

VIGESIMA QVARTA

De Arg. XXIV. Ex Esai. 2. 11. 17. *Exaltabitur Dominus solus in die illa.*

I. ARGVMENTVM est eiusmodi. Solus Dominus (Iehoua) exaltabitur in die illa.

Christus exaltabitur, & quidem maximè, in die illa.

Christus igitur est Dominus, Iehoua. Major est Prophetæ. Minor in dubium vocari nequit. Nihil potest responderi, nisi per *diem illam* tempus denotari, quod Christi natiuitatem antecessit. Hoc verò falsum esse ex eo manifestum est, quod huius cap. 2. visionem Propheta orditur à designatione temporis, *Et erit*, inquit, *in nouissimis diebus* &c. Quinam autem sunt nouissimi dies, nisi tempora Messiæ? Deinde continuò prædicit vocationem gentium ℣. 2. & 3. Deinde pacem illam, quam nobis Christus dedit, ijs verbis describit, quibus solet à Prophetis describi ℣. 4. Tum prædicit Iudæorum rejectionem ℣. 6. Ac tandem Iudicium Dei, quo omnem hominum sublimitatem ℣. 10. omnemque idololatriam ℣. 18. prorsus abolebit, ijsdem ferè verbis prædicit, quibus illud cum ipse Christus Luc. 23. 30. tum eius Apostolus Iohannes Apoc. 6. 15. 16. prædixerunt.

II. Ad Prophetæ testimonium accedit ipsa experientia, quæ clamat nondum impletum esse hoc Esaiæ vaticinium. Nondum

enim abolita est omnis idololatria. Nondum depressa est omnis hominum altitudo. Nondum exaltatus est Dominus solus. Nunquam autem Deus exaltabitur nisi cum exaltabitur Christus. Itaque, aut Dominus nunquam exaltabitur solus, aut Christus idem est Dominus, hoc est, Iehoua.

III. Similis locus extat ps. 148. 12. *Iuuenes & virgines, senes cum pueris, Laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen eius solius.* Pertinent autem psalmi vltimi præcipuè ad vltima tempora, aut etiam ad vltimum diem, quo demum Regis & iudicis omnium Christi nomen ita exaltabitur, vt ei se flectat omne genu cœlestium, terrestrium & infernorum, adoreturque ab Angelis, & quidem omnibus. Quomodo igitur tunc solum, vel solius Domini nomen exaltabitur, si Christus non est Dominus? Porrò Dominus heb. est Iehoua.



DISPVTATIO
VIGESIMA QVINTA

De Arg. XXV. Ex Esai. IX. 6. *Puer enim natus est nobis, Filius datus est nobis &c.*

I. SVPERIORI loco subjungo celeberrimum illum, qui habetur Esai. IX. 6. *Puer enim natus est nobis, Filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis.* Ex quo sic argumentor. Deus fortis est præditus essentia diuina.

Christus est Deus fortis.

Christus igitur est præditus essentia diuina. Major nulla instantia potest infirmari. Minor est ipsius Prophetæ. Conclusio

igitur non potest negari.

I I. Respondet Socinus nihil, nisi, *non absolutè nomen Deus esse ibi positum, sed cum adiecto fortis.* Primùm autem hoc nihil facit ad argumentum nostrum soluendum, cuius medius terminus non est nomen *Deus* absolutè, sed cum ista adjectione *fortis.* Hoc enim elogium Deus fortis Deo Israëlis tribuitur aliquoties in Scriptura, vt Esai. 10. 21. *Reliquia conuertentur, reliquia Iacob ad Deum fortem,* quo loco *Deus fortis* idem valet quod Deus Israëlis; Angelo verò non tribuitur, nisi ei, qui Iehoua appellatur; nec homini, nisi ei, qui Dei Filius est ab hominibus & Angelis adorandus. Deinde colorem aliquem haberet hæc responsio, si epitheton *fortis* aliquomodo frangeret, aut debilitaret, aut minueret, aut mutaret vim & significationem nominis *Deus.* Nunc autem eam non minuit nec mutat, non magis certè quàm similia adjecta, magnus, viuens, iustus, seruator &c. Immò contrà eam auget: solet enim tunc nomini Dei adjici, cum Deus describitur magnificentissimè, vt Deut. 10. 17. & Nehem. 9. 32. *Deus magnus, fortis, & terribilis.* Ierem. 32. 18. *Deus magnus & fortis, Dominus exercituum nomen eius.* Hoc vsque adeò verum est, vt etiam nomini Iehoua adjungatur ad majorem emphasim. Vt ps. 24. 8. *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Sic enim distinguitur verus Deus ab idolis, quibus nomen Dei tribui solet, virtus & potentia non potest. Nihil enim boni maliue facere possunt cultoribus suis.

I I I. Socinus suæ isti tam breui & futili responsioni, Duas alienas subjungit, vnam Iudæorum, alteram aliorum. *Vt interim,* inquit, *taceam, quod Rabbini appellationem istam vnà cum cæteris, quæ ibi recensentur, non ad Messiam referunt, de quo ibi alioqui vaticinationem esse concedunt: sed ad illum, qui eius nomen vocabit; nempe ad vnum illum Deum. In hebræo enim vocabit legitur, non vocabitur, vt habet vulgata editio.* Probatne igitur Socinus hanc Rabbinorum interpretationem? Non. *Hæc autem dico,* inquit, *non quòd interpretationem Rabbinorum probem in loco isto ab aduersarijs allato.* Cur igitur eam attulit? *vt,* inquit, *eò magis appareat, non esse certam probationem, quam inde illi sumunt.* At, si falsa est, cur incertam facit nostram ex hoc loco probationem? si vera est, cur eam Socinus non probat? Est igitur hæc Rabbinorum interpretatio, ne ad eam confugere possint Aduersarij, paucis refellenda.

Ref. 2. Resp.

IV. Non dicam hanc interpretationem esse quorundam Rabbinorum recentium inuentum. Non dicam eam ab odio eorum in Messiam profectam esse. Non dicam verbum ויקרא, si consonas spectes, æquè legi posse *Veykare & vocabitur*, ac *Vaikra & vocabit*: Non esse autē puncta subjecta paris antiquitatis & autoritatis cum consonis: Sed dicam in Scriptura, cum de nomine imponendo agitur, perpetuò post שם *nomen* poni nomen vocati, nunquam vocantis: hoc enim, si exprimitur, semper præcedit, nunquam sequitur. Id quod inductione omnium locorum in quibus verbum קרא iungitur cum שם vel את שם perspicuum esse potest. Huic regulæ generali opponunt instantiam ex Esai. 45. 3. quo loco post הקורא בשמך sequitur אלהי ישראל nomen vocantis, sed perperam: dissimilis enim est cum constructio, tum sensus. Constructio quidem: Nam Esai. 9. שם regitur à verbo יקרא: Esai. verò 45. non regitur à verbo הקורא nisi mediante præpositione ב. Sensus verò: Nam קרא שם vel את שם est nomen imponere, & קרא בשם est vocare nominatim, siue expresso nomine. Non solet autem expresso nomine vocari Deus ab homine nisi vt inuocetur, nec homo à Deo, nisi vt ad munus aut rem aliquam faciendam vocetur. Potest etiam obseruari alia constructionis dissimilitudo. Nam Esai. 45. 3. nomen *Deus Israel* construi debet non cum verbo *voco*, sed cum antecedente *scias*, vt patet ex particulis, *vt, quod*: Sensus enim est, *vt scias quod ego Dominus, qui te nomine tuo voco*, sum *Deus Israelis*. Hic vero Esai. 9. 6. nomina *Admirabilis, consiliarius* &c necessariò construenda sunt cum verbo *vocabitur*: aliud enim verbum à quo regantur, nullum est.

V. Ad hoc primum argumentum accedit secundum. Nam immediatè post verba, *vocabitur nomen eius*, oportuit nomen illud exprimi. Id enim & perpetua Scripturæ consuetudo flagitabat, & ipsa ratio, alioquin enim maneret & suspensa sententia, & frustratus auditoris, vel lectoris, animus; qui cum audit aut legit, *& vocabitur nomen eius*, expectat vt nomen illud quale sit futurum exprimatur.

VI. Sequatur & tertium argumentum. Causa enim nulla erat cur imponentis nomen seu vocantis subjicerentur nomina & elogia, cum de eo non ageretur propriè. Contrà causa erat cur vocati seu vocandi nomina subjungerentur, cum in eo describen-

do versaretur Propheta, vt ex antecedentibus & sequentibus verbis manifestum est.

VII. Præterea, vel Propheta nomen exprimit quo erat appellandus Filius, uel non exprimit. Hoc dici non potest. Nam, & se nomen illud dicere velle præ se fert, cum ait, *& vocabit*, siue *vocabitur nomen eius*, & alioqui digna non esset Prophetâ sententia. Quis enim nesciebat futurum esse, vt aliquo nomine appellaretur? Si igitur nomen eius exprimit, vel illud est totum quod sequitur, *Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis*, vel ex his elogijs vnum aliquod. Si prius, falsa est Rabbinorum interpretatio. Si posterius. Vel est primum nomen, vel medium, vel vltimum. Non dicent medium; Nam, & illud est *Deus fortis*, & qui elogio medio describitur, is sine dubio describitur etiam extremis: Nec primum, aut vltimum: Quis enim non videt illis omnibus elogijs eundem describi, ad quem vnum refertur, ad eundem reliqua referri? Estne aliquid, quo doceas, duas esse descriptiones, vnam vocantis, alteram vocandi, & quot, quibusque elogijs vterque describitur, internoscas? Exempli causa, si refertur vltimum ad Filium, cur non etiam penultimum? Si penultimum cur non antepenultimum? Haud enim decet nos in Scripturis interpretandis versari temerè, ac cæcorum instar sine luce, sine ratione. At, inquiet fortè aliquis, debuit etiam eius, à quo sic erat appellandus, nomen exprimi. Cur? Annon enim sic debuit appellari à Deo Patre, ab Angelis, & ab hominibus? Deinde si de impositione nominis agitur, nonne facilè parens subintelligitur? Huius enim certè est Filio nomen imponere. Denique quis non videt, neque sic vnquam Deum Patrem describi in Scriptura, & prima illa elogia *Admirabilis, Consiliarus*, maximè propriè conuenire Filio Dei?

Ref 3. Resp. VIII. Addit Socinus tertiam interpretationem. *Multi*, inquit, *verba ista*, Deus fortis, *ex hebræo aliter legunt, videlicet*, Fortis heros, *vel, conuerso ordine*, Heros fortis. Probetne an improbet, non significat. At quid illi est Heros? Num, vt loquitur Lucianus, ὃ μήτε ἄνθρωπός ἐστι, μήτε θεός, καὶ συναμφότερον ἐστί? Solus Christus est eiusmodi, verè simul & Deus & homo; Alioqui nomen est alienum à Scriptura, & quod potius respondeat hebræo גבור quàm אל. Est enim nomen אל in singulari numero proprium Dei, quodque nunquam de creatura vsurpatur, nisi fortè

fortè Ezech. 31. 11. quo tamen loco & in multis exemplaribus plenius ſcribitur inſerto י, & non ponitur abſolutè, ſed cum adiecto גוים *gentium*, quæ limitatio vim eius aliquo modo minuit. Aut igitur aliquo exemplo doceant Aduerſarij nomen אל ſingulariter & abſolutè, aut cum adiecto אל גבור de eo vſurpari qui non ſit vnus ille Deus, Aut fateantur Chriſtum, cum ſit אל גבור *Deus fortis*, cumque illud elogium ſit illius nomen, eſſe cum Patre illum vnum Deum.

IX. Poteſt etiam ex ſequenti elogio duci argumentum, Quomodo enim potuit Filius appellari *Pater æternitatis*, ſi nihil niſi homo fuit recens natus? Nam ſeu Pater æternitatis ſit Pater æternus, quomodo puer dici poteſt Pater æternus, ſi nihil eſt niſi puer? Seu Pater æternitatis ſit fons & autor æternitatis, quomodo id tribui poteſt puero, in quo nulla natura præter humanam recens productam ac mortalem agnoſcitur? Reſpondent per æternitatem ſignificari futurum ſeculum. Vnde id colligunt? ex vocabulo quo Propheta vſus eſt? Non. Illud enim eſt עד: quod æquè æternitatem à priori ac à poſteriori, vt loquuntur, ſignificat. Itaque apud hunc ipſum Prophetam Deus dicitur habitare עד æternitatem, & apud Habacuc montes quidam dicuntur montes עד æternitatis ſeu æterni. Nec vllus occurrit locus, vbi per ſe ſeu abſolutè poſitum, vt hoc loco, futurum ſeculum præcisè ſignificet. Num igitur id colligunt ex eo, quod Filius non potuit Pater æternitatis dici habita ratione temporis, quod eius durationem anteceſſit? At cur non potius ex iſtis attributis *Deus fortis*, *Pater æternitatis*, colligunt, Filium non merum hominem eſſe, ſed Deum in vera carne humana apparentem ad homines ſeruandos? Nam qui poteſt is, qui natura ſua nihil niſi homo eſt, reuera Deus fortis Paterque æternitatis eſſe? At nihil prohibet, quominus is, qui eſt naturâ ſua Deus fortis & Pater æternitatis, patefaciat ſeſe in carne ſeu natura humana, vt varijs apparitionibus ſub Vetere Teſtamento Deus olim teſtatum fecit. Reuera *Pater æternitatis* elogium eſt ipſo Deo dignum, & quo nullum videtur cogitari poſſe auguſtius ac diuinius.

Esai 57. 15. Habac. 3. 6.

X. Sed eſto, ſit æternitas hoc loco futurum ſeculum. Nonne futurum ſeculum multis partibus præſtantius eſt ſeculo præſente vel præterito? Plus igitur eſt eſſe Patrem futuri ſeculi quàm præſentis aut præteriti. Ita Relinquetur ſoli Deo quod minus

est, quod verò multò plus est id tribuetur homini tantùm homini. Sed quid tandem, Christum esse Patrem futuri seculi, significat? *Respondet* Socinus, *significare, Christum esse, vt alibi vocatur, principem & auctorem vitæ, nempe æternæ, quæ futura est: non autem esse Patrem omnium nostrum.* Primùm igitur per æternitatem intelligunt futurum seculum, Deinde per futurum seculum vitam æternam. Vtrum vitam æternam, vt loquuntur, in abstracto, an in concreto? opinor, in abstracto; alioqui Pater diceretur omnium nostrum, siquidem omnes vitæ æternæ compotes sumus. Quod mirum est, dici Patrem vitæ æternæ, & tamen non dici
Gal. 4. 26. Patrem eorum, qui habent vitam æternam ab ipso communicatam? Dici Ecclesiam *matrem omnium nostrum*, & tamen non dici maritum seu sponsum Ecclesiæ Patrem omnium nostrum! Addit Socinus, *Et, si esset, non satis esset. Aliud est enim, esse Patrem omnium nostrum, aliud verò, esse Patrem omnium. Qui enim est pater omnium, non nostrum modò omnium, sed omnium etiam Angelorum, & ipsius Christi est pater. Hic autem solus* Deus *pater est; nec vllus alius esse potest.* Quid? potest ne dubitari quin sit Pater omnium Angelorum, cum *per eum*, teste Apostolo Col. 1. 16. *creata sint omnia, quæ in cœlis sunt & quæ in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per eum & in eum creata sint, & ipse sit ante omnia, & omnia per ipsum consistant?* Decet ne Christi sanguine redemptos gloriam & elogia Christi, quantum possunt, minuere & angustis limitibus circumscribere? Cæterum non posse Christum dici Patrem omnium, nisi sit suimetipsius Pater, miror excidisse Socino. Cur enim æquè dici non possit pater omnium, ac dicitur *Dominus omnium* Act. 10. 36. *omne genu illi curuatum iri* Phil. 2. 10. *per eum omnia facta fuisse* Ioh. 1. 3?

XI. Denique nullus est vaticinij commentarius ipso euentu melior. Atqui vocatur Filius, Deus fortis & Pater æternitatis, non modò eo sensu parco & restricto quem excogitarunt Aduersarij, sed isto etiam ampliore & augustiore, qui diuinam arguit essentiam, & nominum illorum majestati respondet. Vocatur, inquam, non à paucis quibusdam, & quodam seculo, sed ab omnibus fere, quotquot vbique terrarum profitentur religionem Christianam, magno consensu, omnibus seculis. Ex quo veritas ac diuinitas huius prophetiæ elucescit. Quippe cui euentus

jam per tot secula ad amussim respondet, &, vt spero, respondebit in æternum.



DISPVTATIO
VIGESIMA SEXTA

De Arg. XXVI. Ex Esai. 42. 8. & 48. 11. *Gloriam meam alteri non dabo.*

I. PROTESTATVR Deus apud Esaiam cap. 42. ℣. 8. & cap. 48. ℣. 11. *se gloriam suam alteri non daturum.* Quid procliuius, quàm inde concludere, aut Deum qui sic loquitur esse Christum, aut certè Christum non esse alterum, sed eundem cum eo Deum? Syllogismus sic potest concipi, Deus non dedit gloriam suam alteri. Atqui dedit gloriam suam Christo. Christus igitur non est alter, sed idem cum ipso Deus. Ref. 1. Resp.

II. Tres affert Socinus responsiones. Prima sic habet. *Respondemus*, inquit, *satis ex eodem loco constare, quid alterius nomine Deus intelligat. Illico enim addit*, nec laudem meam sculptilibus. *Loquitur igitur Deus, sub nomine isto, de ijs, qui cum ipso nihil commune habent: & quibus si gloria & laus aliqua tribuatur, ea ad ipsum Deum non refertur, sed contrà tantumdem gloriæ & laudis ipsi auffertur: cuiusmodi sunt sculptilia, non autem dicit Deus, se suam gloriam cum nemine à se omnino dependente sibique subordinato communicaturum. Sic enim nihil ipsius gloriæ decedit; cum ad ipsum quidquid gloriæ talis ei subordinatus habet prorsus referatur. Immo eius gloria augetur, cum consideratur, illum & potuisse & voluisse cum aliqua re creata, ex summa potestate ac benignitate sua, communicare suam gloriam.* Primùm ista responsio *Alterum* siue *Alium* ita interpretatur, vt non sit alter siue alius quicunque dependet à Deo, eique est subordinatus. Quæ noua est vocabuli illius

acceptio, probanda aliquo exemplo. Ita nulla creatura, quatenus creatura, erit alia à Deo: dependet enim omnis creatura à Deo, eique subordinatur: Nullus etiam subditus fidelis erit alius à Rege, cui subest, & à quo dependet: Nec effectum erit aliud à causa; pendet enim omne effectum à sua causa: nec quicquam erit in hoc mundo inferiori, quod sit aliud à cœlo vel sole; Quæcunque enim in hoc mundo inferiori extant, ea dependent à cœlo & sole, eique subordinantur. At Deus Esai. 42. 8. addit, *Nec laudem meam sculptilibus.* Primùm id non addidit Esai. 48. 11. Deinde nihil est prorsus vnde concludi possit, nihil esse significatum voce *Alteri*, quod non sit significatum voce *sculptilibus*. Sic loquitur Christus apud hunc eundem Prophetam cap. 50 6. *Dedi corpus meum percutientibus, & genas meas vellicantibus*, ineptiret qui inde colligeret, nihil significare in illis verbis, aut corpus nisi genas, aut percutientes nisi vellicantes. Quid? Ex hoc tam solenni Dei protestatione, *Ego non dabo gloriam meam alteri*, non poterit colligi, Ergo Deus non dabit gloriam suam Angelis, non dabit gloriam suam hominibus, non dabit gloriam suam antichristo &c, Sed sola excludentur Sculptilia? Agnoscant igitur Aduersarij alterius significationem latius patere quàm sculptilium.

III. Adde quod fieri non posset, vt Deus daret gloriam suam sculptilibus, quin eo ipso Sculptilia dependerent à Deo eique subordinarentur. Esto enim sculptile comparatum ad repræsentandum Deum, aut Christum, aut Angelum, aut Apostolum Christi, & huic det Deus gloriam suam, nonne omnibus modis pendebit à Deo, eique subordinabitur, seu materiam eius spectes, seu formam, seu consilium hominum, seu Dei voluntatem? Ita profectò est, faciunt Aduersarij ista sua responsione hanc Dei protestationem tam solennem, prorsus inanem & nullam. Implicat enim contradictionem, Deum dare gloriam suam alteri ab ipso non dependenti aut ipsi non subordinato. Cuicunque enim alij rei ponatur Deus dedisse gloriam suam, ea res erit creatura Dei. Omnis autem creatura dependet à suo creatore, & suo creatori subordinatur naturâ suâ. Deinde eadem subordinabitur Deo ratione illius gloriæ sibi à Deo communicatæ, & hoc ipso quod ob gloriam illi à Deo datam coletur, coletur etiam illius gloriæ dator Deus. *Immò Dei gloria augebitur, cum considerabitur illum & potuisse & voluisse cum aliqua re creata,* quæcunque

tandem illa sit, *ex summa potestate ac benignitate sua, communicare suam gloriam.* Ponamus igitur Deum dedisse gloriam suam Beatæ Virgini, aut Petro Apostolo, aut Angelo Gabrieli, aut alicui homini nunc in terris agenti, aut alicui imagini, aut alicui alij rei, nihil fecerit huic suæ protestationi repugnans, ac nihilominus verè dicetur non dedisse gloriam suam alteri. Dicam aliquid amplius, nullus est vsque adeò impius, aut hostis Dei, cui si Deus ponatur dedisse (id quod nobis videtur impossibile) gloriam suam, hoc est, nomen suum & virtutes, Spiritum Sanctum absque mensura, omnes thesauros sapientiæ, iustitiam quæ sit idonea ad iudicandum mundum, vitam quæ possit mortuos viuificare, omnem plenitudinem deitatis &c, is eo ipso non mutetur, & fiat amicus Dei, Deo subordinatus. Est igitur hæc responsio insulsa.

IV. Itaque ad alteram confugit Socinus, *Adde*, inquit, *quod ex ijsdem verbis*, nec laudem meam sculptilibus, *apertè colligitur, verbum Dandi, hoc loco, non veræ dationis, sed permissionis tantùm significationem habere, vt etiam alijs in locis, nominatim verò psal. 15 in illis verbis*, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. *Cui enim dubium esse potuisset vnquam, ne Deus propriè loquendo, suam laudem sculptilibus esset daturus, id est, eam cum ipsis sua sponte communicaturus? Non negat igitur Deus, se sua sponte cum alio suam gloriam communicaturum sed ait, se non permissurum, vt cuiquam à se alieno sua gloria tribuatur.* Sed Primum exemplum desidero, quo verbum Dandi, cum non sequitur infinitiuum, aut aliud verbum eius significationem limitans, doceatur, non veræ dationis, sed permissionis tantùm significationem habere. Nullum enim mihi succurrit. Quis enim cum audit has phrases, dare panem, dare aquam, dare pecuniam, dare gloriam, nihil nisi permissionem cogitat? Deinde, Ratio quam affert tam permissionis significationem, quàm dationis oppugnat. Nam, si nemini dubium esse potuit vnquam, ne Deus suam laudem sculptilibus esset sua sponte daturus, certè nemini etiam dubium esse potuit vnquam, ne sculptilia Dei laudem ipso inuito & renitente sibi vendicarent. Quàm enim illud pugnat cum Dei sapientia, tam istud pugnat cum eius potentia. Sed reuera illa ratio nulla est: omnes enim sculptilium cultores sibi persuadent, Deum cum illis sculptilibus, quos colunt, gloriam suam aliquomodo communicasse; alioqui ea non putarent cultu religioso digna.

Ref. 2. Resp.

V. Præterea quoties negatio præfigitur verbo Dandi, toties, si negatur permissio, negatur etiam, immò fortius, datio; vt patet ex loco laudato ps. 16. Nam si eo loco Deus negat, se permissurum vt sanctus suus corrumpatur, multò magis negat, se eum corrupturum. Si igitur negat hoc loco se permissurum vt alter habeat gloriam suam, multò magis negat se alteri gloriam suam daturum. Alioqui huiusmodi propositiones magis falsæ essent quàm veræ: propriè enim loquendo falsæ essent, impropriè tantùm veræ: Atque horum verborum, ***Non dabo gloriam meam alteri***, sensus esset, Ego dabo gloriam meam alteri, sed non permittam vt alter gloriam meam habeat, qui sensus non modò verbis esset contrarius, sed ipse secum pugnaret.

VI. Huc accedit quod sumendo verbum Dandi sensu positiuo, vt significat dationem, verissima est propositio Dei, ***Non dabo gloriam meam alteri.*** Nullus enim vnquam extitit aut extabit, cui Deus dederit aut daturus sit gloriam suam, vel ad momentum, præter vnum Christum, quem contendimus alterum non esse, &, nisi vehementer fallor, certis argumentis probamus. Sensu verò permissiuo si verbum Dandi accipitur, propositio haud æquè vera videtur, passus enim est Deus jam inde à mundi initio, vsque ad hoc tempus, vt diabolus diuinos sibi arrogaret honores, & idola ac sculptilia religiosè colerentur à plurimis gentibus.

Ref 3. Resp. VII. Tandem confugit Socinus ad tertiam Responsionem. *Præterea*, inquit, *quidquid gloriæ Deum Christo dedisse, & ad quamcumque sui æqualitatem eum euexisse dicamus; agnoscimus tamen, gloriam, quæ ipsius Dei propria est, Christo ab ipso nec datam nec permissam fuisse. Vt scilicet, Christus omnis salutis omniumque bonorum primus auctor & fons habeatur. Sibi enim hanc gloriam Deum integram penitus reseruasse affirmamus.* Egregia responsio! Quasi verò Deus negaret his duobus Esaiæ locis se daturum alteri istam suam gloriam, quòd sit primus auctor & fons salutis & omnium bonorum, quam gloriam sole meridiano clarius est, adeò alteri communicari non posse, vt sese ipsa eius datio apertissima contradictione implicet! Quis vnquam talem gloriam tribuit sculptili? Aut putauit alteri dari posse à Deo? Aut non videt implicari contradictionem si dicatur dari? Quomodo enim maximorum bonorum ab alio sibi benignè datorum acceptor, posset esse primus auctor & fons seu dator omnium bonorum? Facit

igitur hæc responsio Deum frustrà, sine occasione, sine fructu, bis id clamantem & sanctè affirmantem, quod à nemine in dubium aut vocatum est, aut vocari potuit vnquam. Deinde vocis gloriæ significationem ita restringit, vt non putem vllum extare Scripturæ locum, in quo ita restrictè & circuncisè accipi debeat.

VIII. Sed missa ista responsione, quæ vix digna videtur vlla refutatione, consideremus quo consilio id Deus pronunciare voluerit. Esai. 42. 8. Hoc dixit Deus, cum de Christo loqueretur, vt patet ex versibus antecedentibus & consequentibus, quorsum? Nisi, ne putaretur Christus à Deo ibi loquente tota essentia diuersus, sed potius vnus idemque cum eo Deus? Id quod potest colligi ex ℣. sequente, *Priora ecce venerunt, & noua ego annuncio* &c. Cuius enim fuit noua annunciare, nisi Christi, qui est ὁ λόγος? Nec non ex ℣. 13. *Dominus sicut fortis egredietur, & sicut vir bellicosus excitabit zelum, vociferabitur, & clamabit, super inimicos suos roborabitur.* Quis enim sicut vir fortis & bellicosus egressus est, vt aduersus omnes Dei & Ecclesiæ hostes pugnaret? Quis eos omnes vicit? Quis rursus egredietur, vt eos aboleat, & perdat in æternum? Is profectò est Christus, teste toto Euangelio. Nec obstat nomen Domini seu Iehouæ, quo apud Esaiam appellatur. Id enim nomen conuenire Christo, & jam aliquoties probauimus, & ex professo probaturi sumus hac sectione, Deo dante, ad locum Ierem. 23. 6.

IX. Cur etiam illud addit, *& laudem meam sculptilibus*, nisi vt idololatris, & sculptilium cultoribus omnem excusationem adimat? solent enim idololatræ, præsertim Noui Testamenti temporibus, facto suo obtendere Dei voluntatem, qui scilicet rebus illis, quas colunt, gloriam suam aliqua ex parte dederit, easque ea ratione fecerit adoratione vel veneratione dignas. Quem colorem Deus, de tempore Noui Testamenti verba faciens, vt illis detrahat, clamat & inculcat, se non esse gloriam suam alteri daturum: Ac proinde non esse audiendos eos, qui beatam Virginem, vel Sanctos mortuos, vel Angelos, vel sculptilia, vel aliam vllam rem, quæ non sit Deus, hoc obtentu colunt, quasi Deus illi gloriam suam dedisset. Hoc si non admittunt, Aduersarij, dicant igitur nobis, quo cōsilio Deus id clamauit, & inculcauit, & quem vsum id habere possit, aut debeat?

X. Esaiæ autem 48. 11. locus sic habet, *Propter me, propter me faciam, ne prophanetur* nomen meum, *& gloriam meam alteri non dabo.* Loquitur de liberatione è carnali & spirituali Babylone. Vel igitur significat, se id facturum propter se duntaxat, non autem propter populi sui, (cuius incredulitatem & cordis duritiem eo loco exaggerat) aut alterius alicuius, iustitiam vel merita; Hanc enim gloriam ad se vnum pertinere, ac sibi soli reseruari oportere, vt sit simul, & is qui seruat, & is propter quem seruat: quæ gloria ad Christum maximè propriè pertinet. Vel, si id non significat, dicant nobis, quæso, Aduersarij, quæ sit Dei sententia eo loco. Quamcunque enim aliam excogitauerint, ea, nisi vehementer fallor, aut non congruet cum verbis Dei, aut pugnabit cum illis tribus Socini responsionibus, quas jam refutauimus.

XI. Cæterum cum Deus testatur, se gloriam suam alteri non daturum, nemo est, opinor, qui non intelligat gloriam sitam tum in laude, honore, cultu, adoratione, Deo debitis, tum in virtutibus gloriosissimis, ob quas cultus eiusmodi Deo debetur. Quod obseruo, ne quis nobis objiciat quosdam Scripturæ locos, in quibus Deus dicitur credentibus in Christum gloriam suam daturus, hoc est, salutem seu vitam æternam, quæ gloria Dei vocatur, quoniam, & præstantissima est, & Deus est illius autor, & dator.



DISPVTATIO

VIGESIMA SEPTIMA

De Arg. XXVII. Ex locis Exod. 20. 3. Esai. 43. 2. & 44. 6. & 45. 5. 14. 21. 22. & 46. 9. &c. in quibus Deus Israëlis, aut vetat alium haberi pro Deo, aut negat esse alium Deum.

I. OMNIA ista loca, & similia, si qua sunt, visum est in hanc vnam disputationem conferre, quòd eandem ferè vim probandi habeant. Ex primo decalogi præcepto, *Non habebis*

bebis Deos alienos coram me, hoc duco Argumentum.

Nullus *D*eus habendus est pro Deo præter Deum Israëlis, autorem legis.

Atqui Christus habendus est pro Deo. Christus igitur est Deus Israëlis. Minor est in confesso. Major nititur illo præcepto, quod Aduersarij in sua Catechesi his verbis exponunt, *Quid verò hoc preceptum continet? Hac duo: Primùm, quod Deus pro nostro Deo habendus sit, & is diuino cultu & honore à nobis sit afficiendus. Deinde, quod nullus alius prater eum sit pro nostro Deo habendus, nec diuino cultu & honore afficiendus.* Similiter Crellius, *Non erit tibi Elohim (id est Dij) alij, hoc est, Non erit tibi Deus alius* Optimè: In textu enim hebræo, non est זרים aut נכרים *alienos*, sed אחרים *alios*.

II. Argumentum videtur insolubile. Conantur tamen aliquid respondere. Catechesis ipsorum hanc quæstionem proponit, *Ea verò additione quod Christum pro Deo agnoscere, & eum cultu prosequi diuino teneamur, nonne hoc praceptum prorsus immutatur?* Respondet, *Nequaquam ipsum praceptum immutatur: omnis enim qui Christo exhibetur cultus in* Dei *Patris gloriam redundat. Verùm ipsius ratio & modus nonnihil immutatus est. Etenim ante Christum immediatè tantùm, at sub Christo etiam mediatè Deus colitur.* Sed hæc responsio ipso præcepto refellitur. Nam cum Deus vetat alium haberi pro Deo diuinoque cultu affici, vetat eo ipso se coli mediante cultu alterius Dei.

III. Addit, *Praterea cum ea lex vetet, ne deos alienos habeamus coram* Deo. *Christus verò Deus alienus non sit; sed in eo ipso cultu, qui ipsi exhibetur, Deo sit subordinatus, apparet legem nullo modo mutari, cum subordinata non pugnent.* Si nititur voce *alieni*, pugnat ipsa secum, & cum textu hebræo, vt jam ostendi, & cum officio hominis pij, cuius est legem Dei summa cum fide & reuerentia tractare, neque eius verba aut mutare, aut parte significationis mutilare. Dat etiam latebram idololatris, in quam se conjiciant si hoc præcepto vrgeantur, colere enim se alios quidem Deos fatebuntur, at non alienos. Nescio etiam an Deus non modò numero, sed specie, immò toto genere, immò plusquam genere differens à Deo Israëlis, non debeat aut possit pro alieno haberi?

IV. Responsio igitur est, Deum Israëlis prohibere hoc præ-

cepto, ne habeamus alios Deos ipsi non subordinatos, non verò ne habeamus alios Deos, modò sint ipsi subordinati, & cultus eorum in ipsius gloriam redundet. Quæ interpretatio primù n vocis *alius* significationem ita decurtat, vt non sit alius quicunque est subordinatus. Si Rex ita subditos suos alloqueretur, Ego sum Rex vester. Non habebitis alium regem quoad vixero, eamque legem curaret æri incidi. Aut si maritus diceret vxori, non habebis alium virum me viuente. Num id accipiendum esset duntaxat de alio non subordinato? Eo etiam illa interpretatio refellitur, quod durante fœdere legali nullus fuit eiusmodi subordinationi deorum locus; sed debuit lex illa ab Israëlitis, quibus lata fuit, absque eiusmodi distinctione simpliciter accipi: consilium enim Legislatoris fuit, ne quem alium siue subordinatum, siue non subordinatum, pro Deo haberent toto illo tempore. Sensus autem legis qualis sit, ex eo maximè tempore intelligi debet, cum fertur, & cum viget maximè.

V. Præterea, Si primum præceptum recipit eiusmodi glossema, causam non video, cur secundum præceptum non possit eodem modo accipi, *Non facies tibi sculptile* &c, Nisi quod sit mihi subordinatum, & cuius cultus in meam gloriam redundet, id quod erit latam portam aperire idololatriæ. Deinde eodem præcepto Deus se Zelotypum esse profitetur, quo elogio se marito comparat, populum suum vxori, cultum suum legitimæ viri & vxoris conjunctioni, cultum aliorum Deorum & simulachrorum adulterio: quæ similitudo ab ipso Deo per Prophetas exponitur multis locis: ac quàm maritorum tam deorum subordinationem excludit.

VI. His accedit, quod hoc primum præceptum morale est, ac legis naturæ, fundatum in vnitate naturæ Dei. Cum enim plures dij nec sint, nec esse possint, siue subordinati, siue coordinati, perpetua est lex naturæ, plures Deos, siue subordinati siue coordinati dicantur esse, coli non debere. Iam autem plures naturas seu essentias diuinas non esse, nec esse posse, cum omnes confiteantur, etiam ipsi Aduersarij, nihil est opus vt probemus. Certè si plures esse possent, possent esse plures, immò innumerabiles dij, &; cum in æternis idem sit esse & posse, reuera essent. Cum igitur implicet contradictionem esse eum verè & propriè Deum qui præditus non est natura diuina, (tam certè quàm esse

verè & propriè hominem qui præditus non est natūra humana) Nec possint esse plures naturæ diuinæ propriè sic dictæ siuę coordinatæ, vt dixi, siue subordinatæ, perspicuum est, falsam esse distinctionem & limitationem, quàm Aduersarij maximo isti mandato pro ingenio aptare frustrà conantur, Non esse habendos alios deos, qui quidem scilicet non sint Deo Israëlis subordinati.

VII. Hîc mirari subit acumen Aduersariorum, qui, cum negent duas esse naturas diuinas, contendunt tamen duos esse Deos verè & propriè sic dictos. Atque ita multiplicant Deos non multiplicata deitate. Deitas enim, opinor, est essentia Dei Multiplicant etiam attributa diuina, vitam, sapientiam, potentiam seu robur, autoritatem, cultum &c, & tamen non multiplicant naturam seu essentiam diuinam cuius sunt propria. Hæc tantùm obiter attingo hoc loco, id enim vnum toto hoc libro quærimus, vtri melius cum oraculis Scripturæ conueniat, nostræ an Aduersariorum sententiæ? Quæ autem cum Scriptura congruere reperietur, eadem sine dubio deprehendetur etiam rectæ rationi consentanea.

VIII. Instat VVolkelius, *Neque enim*, inquit, *Deus hoc præcepto potestatem sibi ipsi eripuit, eum, quem velit, nobis præficiendi & honorem cum eo suum communicandi: cum hæc ipsa imperij ac potestatis suprema, quam hoc præcepto sibi vni asseruit, pars sit maxima: sed populum tantùm obligauit, ne is pro suo arbitrio diuinum cultum cuiquam exhiberet: huic, inquam, non sibi, legem istam tulit.* Atqui *omnis potestatis in cœlo & in terra, summique in res omnes, se vno excepto, imperij*, & virtutum diuinarum ad illud imperium exercendum necessariarum communicatio, absque communicatione essentiæ diuinæ, nobis videtur, Primùm contradictionem implicare: Deinde pugnare cum declaratione voluntatis Dei se gloriam suam daturum alteri pernegantis: Tum etiam huic ipsi præcepto repugnare: ferendo enim hanc perpetuam legem, ne quem alium habeamus pro Deo, non obscurè significauit, se alium Deum nobis neque præfecisse, neque præfecturum vnquam. Cum enim sic loquitur, vt eum hoc præcepto loquentem facit VVolKelius, *Ita me colas, vt omnes alios Deos valere iubeas. Is enim sum, qui riualem, pati ferreque minimè possum; ideoque fieri nullo pacto potest, vt vna mecum alios Deos colas ac venereris*, satis profectò significat, se nolle populum suum ad alium

Deum colendum vllo tempore obligare. Denique ; *non habebis alium Deum coram me*, &, *habebis alium Deum coram me*, si sunt opposita præcepta, si alterum euertit alterum, fatendum est, aut Christum non esse alium à Deo Israëlis Deum, aut eius Euangelio primum & maximum & perpetuum legis naturæ & moralis præceptum fuisse abrogatum. Hoc cum sit absurdum, illud verum esse necesse est. Deus quidem certè legem populo suo, non sibi, tulit; sed si voluit ea lege populum suum perpetuò obligare, voluit etiam nihil vnquam facere, quod legi illi derogaret: &, si populus Dei tenetur omni tempore præceptum istud obseruare, tenetur etiam omni tempore alium nullum pro Deo habere, vel colere.

IX. Nunc alia loca percurramus, in quibus Deus Israëlis negat vllum alium esse, præter se, Deum. Esai. 43. 10. *Ante me non est formatus Deus, & post me non erit.* Quomodo hoc verum est, si Christus alius est ab eo, qui sic loquitur, & post eum formatus Deus? ℣. 11. *Ego sum, Ego sum Dominus, & non est præter me seruator.* Si nullus est Seruator, præter Deum Israëlis, & Christus est maximè propriè loquendo Seruator, Certè Christus est Deus Israëlis. Alioqui seposito discrimine originis, sine quo Patris & Filij distinctio nequit consistere, ita diuideretur Seruatoris nomen & gloria inter Deum Israëlis & alium Deum, vt hic sibi Seruatoris nomen & laudem, tanquam magis propria, vendicaret. De nomine res clara est. Iesus enim Seruatorem significat Ad rem quod attinet, hic vnus propriè venit vt seruaret peccatores. Quam ad rem si Sacerdote, sacerdotio, victima, & sacrificio opus fuit, is solus Sacerdos & victima fuit, & sacrificium, quo peccata nostra purgauit, obtulit. Si prædicatione Euangelij, is per semetipsum primò, deinde per Apostolos & legatos suos Euangelium annunciauit. Si victoria opus fuit, is solus & pugnauit & vicit. Si satisfactione, (quam necessariam prorsus fuisse, quicquid Socinus & Crellius reclament, mihi est certissimum) solus pro nobis satisfecit, & pretioso sanguine suo nos redemit. Si sapientia, si virtute seu potentia, si authoritate, si Charitate &c seruari nos oportuit, eas tantas Christus exeruit & exeret, vt majores concipi animo nequeant. Si mortui è sepulchris excitandi sunt, & cum viuentibus judicandi, suscitabit eos omnes & judicabit Christus. Si Denique laus & honor & cultus, qui ipsi

debetur, spectetur, tantus est, vt major esse non possit. Quî pote igitur verum est, nullum esse Seruatorem præter Deum Israëlis, si alius plusquàm toto genere ab ipso diuersus Seruator est propriè immò maximè propriè, & quidem eius salutis respectu, quæ omnium maximè salus dici meretur? Quis credat Deum Israëlis, qui toties clamauit se Zelotypum esse, nec daturum gloriam suam alteri, &, vt ita loquar, gloriatus est, præter se vnum, Seruatorem esse neminem, voluisse gloriam & nomen Seruatoris alteri tradere, & quidem in æternum.

X. Quid quod attentius introspicienti hunc locum, qui in eo loquitur, Christus esse videtur? Nam, si antecedentia verba spectes, scopus eius fuit, *vt sciatis*, inquit, *& credatis mihi, & intelligatis quod ego sum.* Idem fuit scopus Christi, *Nunc*, inquit Ioh. 13. 19. *dico vobis priusquam fiat, vt postquam factum fuerit credatis quod ego sum*. Et Ioh. 8. 24. *Si enim non credideritis quod ego sum, moriemini in peccatis vestris* & N. 28. *Tunc cognoscetis quod ego sum.* In eum autem finem testes instituit auditores seu discipulos suos, *vos testes mei, dicit Dominus, & seruus meus quem elegi.* Christus similiter testes sibi comparauit Iohannem Baptistam, Ioh 15.
Apostolos, & discipulos suos quos elegit Ioh. 15. 26. 27. Act. 1. 16. 20.
22. & 10. 41. Quod si quis nobis objiciat verbis illis, *& seruus meus quem elegi*, Christum significari, non valdè repugnabo. Nihil enim prohibet, eundem diuerso respectu dominum suiipsius & seruum dici; Dominum quatenus est Deus, seruum quatenus est homo. Sic enim merus homo, quia constat ex animo & corpore, dicitur *animi imperio, corporis seruitio vti*, ac ne recedam à Scriptura, corpus eius cuius est pars, vocatur *tabernaculum* 2. Cor. 5. 4. & 2. Petr. 1. 13. 14. & *vas* 1. Thess. 4. 4. & in vnoquoque homine duo distinguntur homines, vnus internus alter externus, ille renouatur dùm hic corrumpitur 2. Cor. 4. 16. & denique qui facit peccatum seruus peccati dicitur Ioh. 8. 34. Rom. 6. 16. minus certè propriè quàm si dicatur Christus, quatenus est homo, seruus ipsius quatenus est Deus.

XI. Sequentia verba idem innuunt, *Ego annunciaui, & saluaui, atque audire feci.* Conueniunt enim magis propriè Filio quàm Patri. Hic enim nec nuntius fuit, nec annunciauit & seruauit, nisi quatenus id fecisse dici potest, quod Filius fecit. Sic porrò annunciauit & seruauit, vt tamen à multis agnitus non fue-

rit. Id quod ex antecedentibus liquet, *vt sciatis, & credatis mihi, & intelligatis quod ego sum*: & sequentibus, *vos testes mei, dicit Dominus, quod ego sum Deus.* Hoc egregiè conuenire Filio, cum ipsius Euangelium, cum experientia docet. Subnectit autem rationes duas, vnam ab antiquitate sua, alteram à potentia: *etiam*, inquit, *antequam dies esset*, (vel, *ex quo dies fuit) Ego sum, & non est qui de manu mea eruere possit. Operabor, & quis auertet?* posterior conuenit Christo: habet enim omnem potestatem in cœlo & in terra: necnon prior, vt probatum est superiore libro. Si igitur duæ istæ rationes bonæ sunt (Sunt autem sine dubio optimæ) necesse est Christum esse Deum, hoc est, præditum essentia diuina. Adde quod vix vnquam in Ecclesia vocata est in dubium Dei Patris aut diuinitas, aut antiquitas, aut potentia, vt ad eam probandam opus fuerit testibus & argumentis. Denique Hæc ipsa verba; *præter me non est Seruator*, cui melius conueniunt, quàm ei, qui est ita Seruator, vt *in alio nullo sit Salus*? Argumentum est huiusmodi. Ille in quo est salus, cum in alio nullo sit salus, est Seruator præter quem nullus est seruator. Christus est ille in quo est salus, cum in alio nullo sit salus, testibus Petro & reliquis Apostolis Act. 4. 12. Ergo Christus est ille Seruator, præter quem non est seruator.

XII. Similia loca sunt multa apud hunc Prophetam Esai. 44. 6. *Ego sum primus, & ego sum nouissimus, & præter me non est Deus*, & ℣. 8. *vos estis testes mei. Nunquid est Deus præter me?* Et Esai. 45. ℣. 5. *Ego Dominus & non est amplius: præter me non est Deus.* Et ℣. 7. *Ego Dominus, & non est alter* & ℣. 14. *tantùm in te est Deus, præter quem nullus est Deus.* & ℣. 18. *Ego Dominus, & non est amplius Deus præter me, Deus iustus & saluans non est præter me?* & ℣. 22. *Respicite ad me, & salui eritis omnes fines terræ, quia ego sum* Deus, *& non est amplius.* Et Esai. 46. 9. *Ego sum Deus, & non est vltra* Deus, *& nihil est mihi simile*, Quorsum toties affirmat, clamat, inculcat se Deum esse, & præter se nullum Deum esse, & quidem cum loquitur de tempore N. Testamenti, si tempore Noui Testamenti firmiter credendum est præter ipsum alium esse Deum tota natura ab ipso diuersum, nempe Christum, naturâ seu essentia nihil nisi hominem?

DISPVTATIO
VIGESIMA OCTAVA.

De Arg. XXVIII. Ex Esaiæ 43. 24. *Seruire me fecisti in peccatis tuis &c.*

I. PERPENDAT etiam apud se pius lector, quis hoc eodem c. 43. 24. sic loquatur, *Non emisti mihi argento calamum, & adipe victimarum tuarum non inebriasti me: verumtamen seruire me fecisti in peccatis tuis*, (heb. בחטאותיך quod verti potest *propter peccata tua*, vt Gen. 29. 18. *Seruiam tibi septem annis* ברחל *propter Rachel*) *& laborare me fecisti in iniquitatibus tuis*. Is enim, si Prophetam audis, est *Dominus, Iehoua*, vt patet ex ℣. 16. si rem spectes, quam sibi ipse tribuit, ea propriè & κατὰ τὸ ῥητὸν Christo conuenit, Patri non item. Non enim formam serui sumpsit, non seruiuit Pater, sed Filius, eoque suo seruitio seu obedientia peccata nostra deleuit. Hinc possumus ita argumentari.

Ille qui propter peccata fidelium seruiisse & laborasse dicitur Esai. 43. 24. est Dominus (Iehoua) Deus Israëlis. Christus est ille qui propter peccata fidelium seruiisse & laborasse dicitur Esai. 43. 24.

Christus igitur est Iehoua seu Deus Israëlis. Major patet ex textu Prophetæ. Minor ex toto Euangelio: Docet enim, vt jam dixi, Non Patrem, sed Filium, in peccatis nostris, vel propter peccata nostra, reuera seruiisse, eaque ratione nos redemisse.

II. Responderi potest, seruiendi verbum apud Prophetam accipi non propriè, sed figuratè. An ita sit, sepositis præjudicijs, inquiramus. Primùm autem mihi explicari velim verbis proprijs, quid igitur eo verbo, seu potius ea phrasi, *seruire me fecisti in peccatis*, vel, *propter peccata tua*, fuerit significatum?

Num hoc, *molestiam mihi exhibuisti, molestus mihi fuisti peccatis tuis?* Ita rursus locutio erit, aut figurata, aut de Christo exponenda. Num istud, *valdè mihi displicuisti peccatis tuis?* Certè quocunque modo exponatur de Deo Patre, locutio erit eo sensu sacris autoribus inusitata. Cum igitur phrasis sit frequens in sacris literis, non est, nisi cogente necessaria ratione, sensu inusitato accipienda. Nulla autem impedit ratio quominus Deus, quàm
Act. 20. 28. dicitur *redemisse Ecclesiam suam sanguine proprio*, tam dicatur seruiisse pro peccatis Ecclesiæ suæ. Quàm enim ille sanguis fuit sanguis Christi, tam ista seruitus fuit seruitus Christi.

III. Hoc eo confirmari potest, quod eo loco de fœdere gratiæ, deque redemptione spirituali, quam nobis obedientia Christi peperit, agi palam est. Meminit enim Deus redemptionis Ægyptiacæ ℣. 16. & 17. Deinde nouam pollicetur adeò illustrem, vt splendore suo superiorem illam obscurare debeat ℣. 18. 19. &c. Eam autem redemptionem tribus in rebus potissimùm sitam esse docet, Productione viæ & aquarum per desertum ℣. 19. & 20. Formatione populi electi ad laudem suam ℣. 21. & remissione peccatorum ℣. 25. Ex quibus intelligitur non agi de liberatione è captiuitate Babylonica: Hæc enim, & minus fuit quàm Ægyptiaca illustris, nec in ijs rebus posita fuit, quas memoraui. Cum igitur sermo sit de redemptione spirituali, quæ per Christi seruitutem seu obedientiam parta est, consentaneum est, vt per seruitutem Dei seruitus Christi hoc loco intelligatur.

IV. Præterea considerandum est, quo consilio Deus neget hoc loco, cum sibi a populo suo oblata fuisse sacrificia, tum ea se illi præscripsisse. Nam vel id facit reprehendendi animo, vel alia mente. Si prius, reprehendit Iudæos, aut quod non obtulerint sacrificia, aut quod malè. Neutrum dici posse videtur. Non prius illud: Nam quod in captiuitate Babylonica non dederint operam sacrificijs reprehendendi non fuerunt: id enim eis per legem Dei non licebat. Tantùm autem abest, vt arguendi fuerint ob neglecta sacrificia, vt contrà potius quòd ea pluris, quàm par erat, facerent & digni reprehensione, & procul à regno Dei fuerint. Non videntur etiam reprehendi hoc loco quòd malè obtulissent. Nam si vituperarentur quod, aut alijs, aut vero quidem Deo, sed sine interna fide & pietate sacrificassent, id exprimeretur ali-

tur aliquo modo, & dixisset Deus, non mihi sacrificastis, sed Idolis, vt factum est ab eo Amos 5. 25. aut certè addidisset, Sed prouocastis me ad Zelotypiam, aut tale quid dixisset, ex quo mens eius elucesceret. Certè non potuit magis absolutè res ipsa, hoc est, oblatio sacrificiorum negari, quam negatur hoc loco. Quid quod negat Deus disertis verbis, se jugum illud populo suo imposuisse? *Non te*, inquit, *seruire feci in oblatione, nec te laborare feci in thure.*

V. Quid autem sibi Deus voluerit, id facilè ex antecedentibus & sequentibus colligi potest. Si enim antecedentia spectes, Deus, vt dixi, mentione injecta liberationis ex Ægypto, liberationem similem quidem, sed multò præstantiorem promittebat. Quid autē erat conuenientius, quàm vt ex posita inter vtramque illam liberationem maximè memorabili similitudine, ex qua reliquæ facilè colligi possent, discrimen quoddam insigne commemoraret, vnde reliqua deprehendi possent. Similitudinem insinuant hæc verba, *Ecce ego facio noua &c, ponam viam in deserto, & flumina in solitudine.* Hinc enim reliqua intelliguntur, Ægyptus vnde, Canaam quo iter fiat, Mare, sitis, fames, columna ignis & nubis, &, ne cætera percurram, fœdus. Ne igitur putarentur omnia prorsus similia futura, vtque præstantia fœderis & populi noui innueretur, addit Deus, nec sibi populum illum nouum oblaturum sacrificia, oblationes, thus, &c. nec amplius in huiusmodi oblationibus cultum suum positum iri, nec se tale aliquod jugum populi sui ceruicibus impositurum. Sic enim olim populum suum è seruitute Ægyptiorum asseruerat, vt tamen eum in deserto sub Legis jugo & pædagogia in aliam seruitutem redigeret admodum operosam & molestam magna ex parte in oblationibus & sacrificijs & suffitu, alijsque id genus ceremonijs positam. Submotis igitur omnibus eiusmodi sacrificijs typicis, in eorum locum Deus id sacrificium sufficit, quod illorum corpus est, sine quo nulla est peccati expiatio. Hoc enim cum lectoris ædificatio flagitabat, cui alioqui necessitatem sacrificiorum ad peccata purganda toties in vtroque testamento inculcatam reputanti grauis scrupulus injectus fuisset, tum oppositio innuit, quam Deus inter suam & populi sui seruitutem instituit. *Ego*, inquit, *non feci te seruire in oblatione, neque feci te laborare in thure &c, sed tu fecisti me seruire in peccatis tuis, & fecisti me laborare in iniquitatibus tuis.* Palam est

eum de oblationibus & sacrificijs agere, & quicquid in ea seruitij vel laboris insumendum fuisset in se vnum deriuare, populo suo ad eam rem nihil præter peccata sua expianda contribuente.

VI. Si spectes id quod sequitur, *Ego Ego ipse sum qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor,* apparet Deum oppositionem inter se & populum suum tacitè instituere hoc aut simili modo. Neque tu, neque alius quispiam, deles peccata tua, sed ego, ego, inquam, ipse sum qui ea deleo. Neque tu, neque alius quispiam, is es propter quem ea deleo, sed ego ipse is sum propter quem ea deleo: qua ratione significat se peccata ipsorum delere non propter eorum oblationes sacrificia suffitum obedientiam, sed quicquid eiusmodi ad delenda peccata necessarium est, id in se vno reperiri.

VII. Hinc succrescit hoc argumentum. Ille qui delet peccata populi sui est Iehoua seu Deus Israëlis, non autem alius, vt patet ex verbis illis Dei, *Ego* Ego *ipse sum qui deleo peccata tua propter me.* Atqui Christus delet peccata populi sui, teste toto Euangelio. Christus igitur est Iehoua, seu Deus Israëlis. Item, Ille propter quem Deus delet peccata, est Iehoua. Christus est ille propter quem Deus delet peccata. Christus igitur est Iehoua. Major patet ex verbis ipsius Dei sibi vni vtramque illam gloriam, & quod sit causa quæ delet peccata, & quod sit causa propter quam peccata delet, pariter vendicantis. Minor omnibus Christianis ita manifesta esse debet, vt confirmatione non egeat.

VIII. Hanc eandem disputationem communiam alio Dei testimonio. Esa. 50. 2. Deus hanc rationem affert, cur repudium Ecclesiæ Iudaicæ renunciarit, quoniam, inquit, *veni & non fuit vir, vocaui, & non fuit qui responderet.* Quis autem, quæso, venit, quis vocauit, & quia eum non receperunt Iudæi rejecti sunt? Hunc Filium esse, non Patrem, totum Euangelium testatur; Ipseque etiam docet ℣. 4. Idem enim Dominus, Iehoua, qui dixit ℣. 2. *veni, & non erat vir: vocaui, & nemo respondit* sic loquitur ℣. 4. *Dominus Deus dedit mihi linguam eruditam,* &c. Eundem esse ex eo perspicuum est, quod continuatio est descriptionis inchoatæ duobus versibus antecedentibus, eo pertinentis, vt Iudæorum incredulitatem & contumaciam arguat, qui sibi, Deo & homini, omnibus rebus ad eos seruandos necessarijs cumulatissimè instructo auscultare noluerunt. Certè idem Chri-

stus & diuinam suam ad liberandum ac redimendum potentiam miraculis, & sapientiam suam admirabilem sermonibus, & patientiam insuperabilem perpessionibus suis abundè declarauit: quæ tria hoc loco semetipsum describens commemorat.



DISPVTATIO
VIGESIMA NONA

De Arg. XXIX. Ex Esai. LXIII. 1. *Ego qui loquor in iustitia, &c.*

I. TECVM etiam, quæso, pie lector, quis sit ille reputa, qui Esaiæ cap. 63. primis sex versiculis describitur. Certè videtur esse Deus Israëlis. Quærenti enim quis sit, respondet se esse eum, *qui loquitur in iustitia, & est ad seruandum copiosus.* Quæ elogia ità antonomasticè seu κατ' ἐξοχὴν accepta, vt sint instar nominis vel descriptionis, vnius Dei Israëlis propria sunt. Adde quod non sit vllo modo verissimile, quenquam alium se profiteri Seruatorem potentissimum apud eum Prophetam, apud quem Deus Israëlis se seruatorem esse profitetur, & præter se neminem. Idem loquitur, vt Deum decet, ℣. 4. *Dies vltionis est in corde meo, & annus quo meos redimam venit,* nec non ℣. 6. *conculcaui populos in ira mea, & inebriaui eos in indignatione mea.* Itaque non dicit ℣. 5. *Brachium Dei*, sed *Brachium meum*, inquit, *me seruauit, & excandescentia mea ipsa me fulsit.* Sibi ipsi hanc laudem ascribit, id quod meram creaturam piam & religiosam haudquaquam decere videtur.

II. Rursus qui sic describitur est Christus. Hoc ex tribus colligi potest, vno, quod procedit cum veste sanguine respersa ℣. 2. 3. Altero, quod dicitur Torcular calcasse solus ℣. 3. quod vtrumque ad Christum describendum adhibetur Apoc. 19. ℣. 13.

&15. Tertio, quod deſcribitur, tanquam qui per ſeſe immediatè cum hoſtibus certamen iniiſſet, ſeſeque ipſe in ſummo diſcrimine conſtitutum virtute ſua expediuiſſet, hoſteſque calcauiſſet V. 5. Id quod de Filio Dei verè & propriè dicitur, de Deo Patre non item.

III. Ad hunc Eſaiæ locum aliūm adjungam non abſimilem ex Eſai. 59. 16. *Et vidit* (Iehoua) *quod non eſſet vir, & obſtupuit quod nemo occurreret, & ſeruauit eum brachium eius, & iuſtitia eius ipſa fulſit eum.* Quod quomodo dici potuerit de Deo Patre equidem haud intelligo.

IV. Fortaſſe ad duo illa loca lux aliqua accedet ex tertio ſimili, qui extat pſ. 98. 1. *Cantate Domino* (Iehouæ) *canticum nouum: quia mirabilia fecit. Seruauit eum dextera eius, & brachium ſanctum eius.* Negari non poteſt, quin agatur de ſalute parta per Chriſtum. Id enim totus pſalmus apertiſſimè innuit. Iam autem non deſcendit in arenam cum omnibus noſtris hoſtibus pugnaturus Pater, ſed Filius. Non Patrem, ſed Filium perdere conati ſunt hoſtes Eccleſiæ. Non expauit, non obſtupuit, non deſertus fuit ab omnibus Pater, ſed Filius. Opus ſalute fuit non Patri, qui nullum ſubjit diſcrimen, ſed Filio. Non ſeruauit ſe Pater, ſed Filius, eaque ſalus opus fuit, quo nullum vnquam mirabilius factum eſt. Inde totius Eccleſiæ ſalus pependit. Hoc profectò non fruſtrà ter inculcatum fuit. Non eſt autem quod figuras Aduerſarij comminiſcantur, vt quod experientia, optimus vaticinij commentarius, Chriſti proprium fecit, id à Chriſto auferant atque aliò detorqueant, Iudæos imitati rebelles.



DISPVTATIO TRIGESIMA

De Arg. XXX. Ex Ier. 10. 11. *Dij qui non fecerunt cœlum & terram tollantur de terra, & de sub cœlis ipsis.*

I. AB Esaia progrediamur ad Ieremiam. Is cap. 10. primùm idolorum vanitatem describit. Deinde quantoperè Deus Israëlis illis præstet ostendit adhibita eius descriptione ℣. 6. *Non est*, inquit, *similis tui Domine: Magnus es tu, & magnum est nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te o Rex gentium? tuum enim est decus: inter cunctos sapientes gentium, & in vniuersis regnis eorum non est similis tui*, & rursus ℣. 10. *Dominus* (Iehoua) *autem Deus verus est: ipse Deus viuens est Rex sempiternus, ab indignatione eius commouebitur terra: & non sustinebunt gentes comminationem eius.* Quas descriptiones posse ad Christum accommodari, eique verè conuenire nemo Christianus non videt. Cui autem descriptio propriè conuenit, eidem etiam conuenit descripti nomen. Est autem descripti nomen hoc loco Dominus Iehoua. Est igitur Christus Dominus seu Iehoua.

II. Tandem Iudæos aduersus omnem idololatriam hoc veluti gladio spirituali armat, *Sic ergo*, inquit, *dicetis eis, Dij qui cœlos & terram non fecerunt, tollentur de terra, & de sub cœlis ipsis.* Ex quo sic argumentor.

Deus qui fecit cœlum & terram est Deus Israëlis.
Christus est Deus qui fecit cœlum & terram.
Christus igitur est Deus Israëlis.

Minor probatur sic, Dij qui non fecerunt cœlum & terram tollentur de terra &c. Christus non tolletur de terra &c. Christus igitur est Deus qui fecit cœlum & terram. Hoc argumentum jam

non ſemel attigi. Id hoc loco ab Aduerſariorum exceptionibus vindicandum eſt.

III. Reſpondet Socinus, *Primùm, Ieremiam non loqui de omnibus dijs. Alioqui*, inquit, *multi, qui & vocantur & ſunt dij, exterminandi eßent; quos tamen Deus caros habet. Sed de ijs, qui, vt primi bonorum fontes & auctores, coluntur, quique ipſi Iehouæ Deo opponuntur, atque eo cultu & honore afficiuntur, quo ipſe Iehoua Deus, nec præterea alius, eo loco manifeſtè agitur. Atqui nos, etiamſi Chriſtum, Deum noſtrum agnoſcimus, eumque adoramus; non tamen primum bonorum auctorem & fontem facimus, eumue Iehouæ Deo opponimus: nec porro eodem prorſus cultu & honore illum afficimus, quo Iehoua* Deus pater *ipſius afficiendus eſt.* Indigna eſt viro docto hæc reſponſio. Primùm enim ſi qui vocantur, vel ſunt dij, chari Deo minimeque exterminandi, qui non fecerunt cœlum & terram, illi non dicuntur dij, niſi impropriè, figuratè, aut etiam typicè, ac propterea non coluntur religiosè. Itaque non vocantur dij eo ſenſu, quo palam eſt deorum nomen hoc loco vſurpari, nimirum pro illis dijs, qui putantur dij propriè dicti religioſeque colendi. Alioqui, ſi ſcientes & volentes religiosè coluntur, non ſunt chari Deo, ſed tandem aoblendi; ſin inſcij aut inuiti coluntur religiosè, non peribunt quidem ipſi, ſed eorum tamen eiuſmodi diuinitas tandem de medio tolletur. Itaque nihil impedit, quominus propoſitio illa Prophetæ, aut potius ipſius Dei, de omnibus dijs, quotquot religiosè coluntur, hoc eſt, diuino cultu afficiuntur, intelligi debeat. Sunt autem multa, quæ, vt accipiatur tanquam vniuerſaliter vera, non modò ſuadent, ſed perſuadent etiam.

IV. Hoc quidem primum, quod Deus illam propoſitionem populo ſuo ſuggeſſit, vt eâ Babylonios idololatras refelleret. Id autem fieri oportuit hoc modo. Dij qui cœlum & terram non fecerunt, perdeantur de terra, & de ſub cœlis ipſis. Veſtri dij, ſunt dij qui cœlum & terram non fecerunt. Veſtri igitur dij perdentur de terra & de ſub cœlis ipſis. Quæ argumentatio, cum ſit in prima figura, vitioſa erit, nec vim vllam concludendi habebit, ſi propoſitio ſit particularis, de quibuſdam dijs, non de omnibus, qui cœlum & terram non fecerunt, accipienda. Quis autem credat, Deum voluiſſe eos docere malè argumentari, paralogiſmoque vti ad refellendos idololatras? Deinde illa propo-

ſitio, vel neceſſariò, vel contingenter vera eſt. Si neceſſariò, habenda eſt pro vniuerſali. Omnis enim enunciatio indefinita neceſſariò vera vniuerſaliter accipi debet. Si contingenter, mirum eſt Deum populum ſuum, vt refutaret idololatras, maluiſſe docere propoſitionem contingentem ex qua nulla poſſet concluſio niſi contingens elici, quàm propoſitionem neceſſariam.

V. Huc accedit, quod veritas illius propoſitionis, aut ſolo Dei decreto occulto nititur, aut etiam euidenti ratione. Si prius, non fuit admodum accommodata ad reuincendos idololatras. Potuit enim ab ijs occulta Dei decreta ignorantibus æquè facilè negari ac à Iudæis affirmabatur: quippe cuius veritas neutris euidens eſſet. Si poſterius, neceſſariam atque adeò vniuerſalem eam eſſe neceſſe eſt. Adde quod, verba illa, *qui cœlum & terram non fecerunt*, limitatio quædam ſunt, qua inſerta propoſitionem veram eſſe vniuerſaliter oportet, alioqui fruſtrà limitatio eſt adhibita: adhibetur enim vt propoſitio, quæ alioqui particulariter tantùm vera eſſet, ſic reſtricta vniuerſalis & neceſſaria euadat. Mirum eſt igitur, Deum limitationibus, quæ propoſitionem efficerent neceſſariam, antepoſuiſſe iſtam, qua adhibita nihilominus propoſitio permanet particularis & contingens.

VI. Sed tres limitationes, quas Socinus pro ingenio excogitauit, videamus quàm ſint ineptæ. Prima eſt, Prophetam loqui *de ijs, qui, vt primi bonorum fontes & auctores, coluntur.* Quid autem eſt eſſe primum bonorum fontem & auctorem? Num feciſſe cœlum & terram? igitur per Deos qui cœlum & terram non fecerunt intelliguntur dij, qui primi bonorum fontes & auctores non ſunt, quo poſito ſic colligo: Aut Babylonij crediderunt ſuos deos fuiſſe primos bonorũ fontes & auctores, aut non crediderunt. Si crediderunt, quomodo illa propoſitione refelli potuerunt: ſiquidem ſuos Deos exiſtimarunt feciſſe cœlum & terram? Si non crediderunt, quomodo Deos ſuos coluerunt vt primos bonorum fontes & auctores, quos non crediderunt eſſe primos bonorum fontes & auctores? Sed fortaſſe eſſe primum bonorum fontem & auctorem non eſt Aduerſarijs feciſſe cœlum & terram. Quid ergo eſt? bona aliqua inſita authoritate & virtute hominibus conferre? Christus igitur, etiam ab ipſis Aduerſarijs, colitur vt primus bonorum fons & auctor, ac proinde ad rem nihil facit hæc eorum exceptio ſeu limitatio. Fortaſſe illis eſt ab alio non eſſe.

alij non subordinari. At sic nihil valuisset hæc limitatio aduersus Ethnicorum Deos, quos vt genitos ab alijs, ac vni summo Deo tanquam Regi & parenti subordinatos coluerunt.

VII. Præterea Deos suos Ethnici, vt primos fontes & auctores bonorum, vel nullos, vel omnes, vel aliquos tantùm coluerunt. Nullos Aduersarij non dicent, ita enim Propheta de nullis Ethnicorum dijs loqueretur. Omnes si dixerint, reuincentur ipsorum Ethnicorum testimonijs innumeris apertè confitentium deos suos vel omnes, vel plerosque omnes, ortos genitos, educatos, cibo & potu vsos, immò homines fuisse post mortem in deorum numerum relatos; ne dicam eos etiam bruta animantia, etiam plantas, etiam perturbationes animi, etiam malos genios, ne nocerent, coluisse. Aliquos si dixerint vt primos rerum autores cultos fuisse, reliquos verò non item, non quæram quinam illi fuerint (omnes enim, etiam illi, qui majorum gentium dij appellabantur, putabantur geniti) tantùm reponam, igitur sententiam istam, qua Deus maximè refelli voluit omnes idololatras ad quædam duntaxat idola, ad quosdam tantùm Ethnicorum deos applicari posse. Erit igitur rursus quod miremur, Deum eam propositionem ex omnibus vnam selegisse, quam populum suum doceret, & qua vellet idololatras maximè reuinci, quæ tamen aut de nullis, aut de paucis tantùm quibusdam Ethnicorum dijs intelligi deberet, quamque etiam facilè declinare possent idololatræ dicendo se deos quidem suos colere vt bonorum auctores, at non vt primos.

VIII. Quid quod a plerisque omnibus Christianis Dominus noster Iesus Christus colitur vt Alpha & Omega, primus & vltimus, principium & finis, creator cœli & terræ, ac cum Patre & Spiritu Sancto vnus ille Deus, bonorum omnium fons inexhaustus? Ac propterea ista, quam commentus est Socinus, limitatio nihil officit argumento nostro.

IX. Veniamus igitur ad secundam. Loquitur, inquit, Propheta *de ijs, qui Iehoua Deo opponuntur.* Cur ergo id non dixit? cur non sic potius concepit propositionem, *dicetis eis, Dij, qui Deo Israelis opponuntur, perdentur* &c? Sic enim & vniuersalis, & perspicua, & sine eiusmodi additamentis vera fuisset. Quis enim credat, eum id expressisse, quod per se vim nullam habebat, id verò tacuisse, in quo vno vis propositionis hærebat? Quid etiam opus fuit

fuit, vt alias limitationes Aduersarij excogitarent? Hac enim vna adhibita, etiam detracta ea, qua Propheta vsus est, propositio fit vniuersaliter vera. Sed si licet tales limitationes pro ingenio comminisci, & Dei verbo addere, nulla erit propositio adeo diserta & perspicua, vt eam hæreticus non possit, adjecta aliqua eiusmodi limitatione, ad mentem suam detorquere.

X. Cæteroquin nihil iuuat Aduersarios sua ista limitatio. Nam, si rem ipsam spectes vt in se est, omnis alius Deus, hoc ipso quod alius est, opponitur Deo Israëlis. Cum enim hic alium, præter se, Deum, & esse neget, & haberi pro Deo coliue vetet, non potest alius Deus, vel esse affirmari, vel pro Deo haberi aut coli, quin eo ipso cum Dei Israëlis veritate & voluntate pugnetur. Sin mentem idololatrarum consideres, illi nonnunquam Deos suos non opponunt Deo Israëlis, sed ei vel vt amicos adjungunt, vel etiam vt inferiores subjiciunt. 2. Reg. 17.33. Quid quod, cum Christus à nobis vt Deus summus, vt præditus essentia diuina, vt creator mundi colitur, putant Aduersarij Deo summo injuriam fieri? Quod si ita est, etiam Christus, quod absit, Deo Israëlis opponitur.

XI. Ad tertiam limitationem quod attinet, *Agitur*, inquit Socinus, *eo loco de dijs, qui eo cultu & honore afficiuntur, quo ipse Iehoua Deus, nec præterea alius.* Quorsum addidit, *nec præterea alius*, nisi vt se gladio suo jugularet ipse? Nam si nullus alius quàm ipse Iehoua Deus, eo cultu & honore afficitur quo ipse Iehoua Deus, facit ista limitatio diuinam propositionem ad reuincendos idololatras prorsus inutilem & ineptam, immò ridiculam: ita enim ageret Propheta de dijs, quales nullos Babylonij, alijue idololatræ coluerunt vnquam. Hocque ipsum, etiamsi verba illa Socinus non addidisset, res clamat. Ipse enim sese Iehoua coli vetuerat eo modo quo colebantur gentium dij: Neque vlla gens Deut. vnquam extitit, quæ idola sua eodem prorsus modo coleret, quo 12.31. se Deus coli voluit. Nihil igitur excogitari potuit hac limitatione ineptius: & tamen ad eam absurditatem accedit veluti cumulus, quod si quisquam Deus eodem cultu affectus est vnquam, quo ipse Iehoua Deus, is profectò est Christus, quem tenentur omnes colere quemadmodum colunt Patrem, quique vnum est cum Patre, eodem throno & imperio, ijsdem ministris, eadem gloria, ac δοξολογίᾳ, necnon omni potestate in cœlo & in terra gaudens,

Ref. 2. Resp. XII. Venio igitur ad alteram Socini responsionem. *Altera causa*, inquit, *cur iste Hieremiæ locus nihil ad rem faciat, est, quod ista dicta sunt, antequam Christus existeret, non modo antequam adorandus constitueretur. Tunc certè verum erat, idque absolutè, nullum Deum adorandum esse qui cœlum & terram non fecisset: Nec vllo modo*, inquit resp. ad VVjckum, *apparet, dictum istud ad omnia consequentia tempora pertinere.* Non dicam, propositionem, quæ vno tempore vera est, alio falsa, contingentem esse. Omnem autem propositionem indefinitam, qualis hæc est, & contingentem particularem esse; Ex propositione autem majore particulari nihil concludi in prima figura, in qua tamen figura necesse est argumentationem esse, quæ vi diuinæ illius propositionis idololatras refellit. Non dicam, propositionem illam, si vera fuit antequam Christus existeret, falsa verò postquam extitit, abrogatam fuisse à Christo, qui tamen dogmata (est autem illa propositio dogma) non abrogauit, sed tantùm fœdus seu jugum legale.

XIII. Illud dicam, omnem enunciationem quæ certo tantùm tempore vera est, verbum habere quod tempus illud ad significet. Idquod hîc locum non habet. Sunt enim in hac enunciatione, *Dij qui cœlum & terram non fecerunt &c*, duo tantùm verba, alterum præteriti temporis, alterum futuri, quorum illud præteritum, istud futurum absque certa limitatione significat, neutrum ad illud tempus restringi debet, quod Christi natiuitatem vel glorificationem antecessit, vt cuiuis patet. Tertium autem verbum in illa propositione nec *exprimitur*, nec subintelligi potest.

XIV. At, inquit Socinus, *Ex loco ipso constat, hanc fuiße admonitionem Hieremiæ ad Iudæos, qui tunc temporis in Babylonia degebant, vt scirent, quid sibi respondendum eßet Chaldæis illis, si ab ipsis ad idola colenda sollicitati fuißent.* Quid tum? Num propterea non potuit aut debuit dictum illud ab alijs vsurpari quàm à Iudæis illis, aut alijs responderi quàm Chaldæis illis, aut alio tempore, quàm quo Iudæi degebant in Babylonia? Non puto tam ineptum fuisse Socinum, vt hoc concludere voluerit. Quorsum ergo id obseruauit? aut quid inde colligere voluit vel potuit, quod argumento nostro obesset? quacunque occasione & fine propositionem illam Hieremias docuerit, estne in ea quicquam

quod non æquè ad aliarum gentium atque ad Chaldæorum deos accommodari possit? aut quod, non possit & debeat Ethnicis ad idololatriam inuitantibus, æquè hodie ac olim, responderi? Nonne enim eadem erat ratio deorum quos Babylonij colebant & deorum quos colebant aliæ gentes, & eorum quos etiamnum hodie colunt Ethnici? Cur ergo non possimus & debeamus, etiam hodie, idololatriam repellere illis armis, quæ Deus, vt ad eam rem aptissima, olim populo suo, nobisque adeò, *quorum in doctrinam scripta sunt quæcunque scripta sunt*, suppeditauit? Attamen admisso errore Aduersariorum possent arma illa aduersus Deum nostrum Iesum Christum retorqueri, illudque oraculum illustri exemplo, seu, vt loquuntur, instantia infirmari. Sed pergamus. Rom. 15. 4.

XV. Nonne veritas illius dicti ad ea tempora extendi debet ex quibus illa pendebat, & quibus innitebatur? Atqui illa pendebat ex futuro tempore, non quod antecessit aduentum Christi, sed quod illum, præsertim secundum sequi oportebat. Nonne tunc maximè verum esse dictum illud necesse est, cum fit maximè id quod eo prædictum est? Atqui id demum & fieri cœpit per primum Christi aduentum, & perficietur per aduentum eius secundum. Nonne hoc oraculum Iudæos impedire debuit ne quem pro Deo haberent & colerent, qui non fecisset cœlum & terram? Impedire igitur eos debuit ne Christum reciperent & colerent si non fecit cœlum & terram. Ita Iudæis Aduersarij excusationem suppeditant incredulitatis. Cur enim, si vera esset opinio Aduersariorum, non possent Iudæi respondere Deo, Tu Domine nos docuisti Deos qui cœlum & terram non fecerunt destructum iri, idque oraculum voluisti à Propheta Chaldaicè scribi, à nobis memoriter edisci, haberique in promptu ad repellendam idololatriam, atque adeò altissimè cordibus nostris infigi, ne quem Deum qui non fecisset cœlum & terram reciperemus aut coleremus. Noli igitur, quæso, nobis succensere si tuo isto tanto oraculo admoniti Deum qui non fecit cœlum & terram recipere & colere renuimus. Tu Domine prohibuisti ne præter te vnum quenquam alium haberemus pro Deo, quod omnium tuorum mandatorum primum & maximum est. Non potuimus isti tuo tantò mandato parere, & pro Deo eum habere qui si Deus est, Deus est à te valdè diuersus. Tu Domine nobis sæpius inculcasti, neminem esse Deum aut seruatorem præter te, id-

que cùm loquebaris de temporibus Messiæ, quomodo igitur alium Deum, alium seruatorem præter te agnouissemus, aut diuinis honoribus affecissemus? Quomodo possint Aduersarij Iudæis os occludere equidem non video. Nam si ad miracula confugiant, quibus moueri Iudæos decuerit, reponent illi continuò id quod scriptum est Deuter. 13. ℣. 1. & seqq. Aut igitur excusandi videntur Iudæi, aut fatendum est, id quod res est, Dominum nostrum fecisse cœlum & terram, eundemque esse cum Patre Deum, qui & populum Israëliticum è seruitute Ægyptiaca eduxit, & per prophetas locutus est. Itaque cum Vetus Testamentum comparatum fuerit ad homines præparandos & deducendos ad Christum ei scopo obesset, vt quod maximè, hoc oraculum, siquidem vera esset responsio Socini.

XVI. Quid quod, admisso errore Aduersariorum, ne Veteris quidem Testamenti temporibus verum fuisset hoc oraculum, potuissentque Babylonij, nisi per ipsorum ignorantiam stetisset, illud in Iudæos retorquere, & quidem duobus modis. Primò sic, Obiicitis nobis, Deos qui cœlum & terram non fecerunt sublatum iri de terra & de sub cœlis ipsis, non cogitantes vobis in lege & prophetis vestris promissum esse Messiam, qui, quamuis non fecerit cœlum & terram, futurus tamen sit verè & propriè Deus, ab omnibus angelis, non modo ab hominibus, adorandus, beatumque prædicari qui in eum crediderit. Hoc igitur telum, quod in deos nostros iacitis, in eum quem expectatis Deum recidit, atque ita pugnantes vestram spem euertitis. Deinde sic, Nullus Angelus fecit cœlum & terram. Aliquis Angelus vocatur in lege vestra Deus, immò Iehoua, atque vt talis adoratur. Aliquis igitur qui in lege vestra vocatur Deus, Iehoua, legitimèque adoratur, non fecit cœlum & terram. Num ergo ille etiam exterminabitur? Quid possit ab Aduersariis nostris reponi non video. Concedit enim maiorem Crellius: quippe, negat Deum *ullius opera ad tanta rei molitionem vsum fuisse*. Minorem aliquot locis Socinus & Crellius inculcant, vt partim jam vidimus, partim videbimus disp. 32.

Lib. 2. de vera Rel. c. 5.

XVII. Vltimò hoc ipso Dei oraculo Aduersarios hoc loco oppugnabimus. Docuit enim sine dubio Deus populum suum rectissimè argumentari. Tale autem, vt dixi, est argumentum. Dii qui cœlum & terram non fecerunt tollentur de terra & de sub cœlis ipsis. Dii quos adoratis non fecerunt cœlum & terram. Dii


igitur quos adoratis tollentur de terra & de sub cœlis ipsis. De minore non potuit esse controuersia: non enim tantum diis suis tribuebant Ethnici, vt eos dicerent fecisse cœlum & terram. Maior autem per se ipsa lucet. Nam qui specie aut genere aut etiam plusquam genere à Deo differunt, illi dii appellari non possunt nisi æquiuocè, aut figuratè, aut falsò. Id quod inductione probari potest. Nam qui differt specie aut genere, exempli causa, à Leone, vel vulpe, vel lapide, is non potest Leo, vel vulpes, vel lapis appellari, nisi æquiuocè, aut figuratè, aut falsò. Atqui dii qui non fecerunt cœlum & terram differunt à Deo specie, aut genere, aut potius plusquam genere. Dii igitur qui non fecerunt cœlum & terram dii appellari non possunt nisi æquiuocè aut figuratè aut falsò. Minor probatur: Differunt enim plusquam genere ab eo qui fecit cœlum & terram. Hic enim est ens absolutè necessarium, æternum, immutabile, fons omnis entitatis, illi verò aut nihil sunt, aut sunt entia contingentia, certo tempore creata, mutationi obnoxia, ac guttæ quædam ab immenso illo fonte productæ. Dicent fortasse Aduersarii, differre quidem plusquam genere à Deo, qui fecit cœlum & terram, cum qui non fecit cœlum & terram si naturam seu essentiam spectes, non verò si deitatem. Atqui deitas est essentia Dei, & ille qui fecit cœlum & terram est natura sua seu essentia Deus, notatque nomen Dei id quo differt à creaturis. Tum Deitas aut est substantia, aut est accidens. Si substantia, differunt igitur plusquam genere ratione deitatis, si accidens, substantia non est præstantior accidente, sed contrà potius: nihil enim cogitari potest præstantius deitate. Item Deus qui fecit cœlum & terram, & Deus qui non fecit cœlum & terram, dicuntur dii, vel ob diuersam vel ob eandem rationem. Si ob diuersam, dicuntur dij æquiuocè vel figuratè? Si ob eandem, Illa Identitas (liceat enim mihi illa voce vti) erit vel analogica, vel generica, vel specifica, vel numerica. Si analogica tantùm, ea non erit tanti, vt propterea diuinis honoribus affici debeant. Si generica aut specifica, non implicabit contradictionem, & nullum Deum esse, & plures Deos esse, & poterit qui non fecit cœlum & terram æquè Deus esse atque is qui fecit cœlum & terram. Sed Hæc eadem erunt tum accuratius disputanda, cum seposita Scriptura sacra recta ratio à nobis consuletur. Nunc satis sit addidisse, qui religiosè coluntur eos non appellari deos æquiuocè

aut figuratè, sed propriè; ac proindè, si non fecerunt cœlum & terram, falsò. Qui autem falsò dij dicuntur diuinisque honoribus afficiuntur, illi tandem aliquando destruentur. Nam, nec mendacium potest esse perpetuum, neque is qui fecit cœlum & terram pati in æternum, vt qui Deus non est nomen & cultum Dei sibi vendicet, & constat iudicium tandem aliquando futurum esse, quo, quid bene quidue malè factum fuerit, tandem innotescet.



DISPVTATIO
TRIGESIMA PRIMA

De Arg. XXXI. Ex Ierem. CAP. XXIII. ℣. 6. *Et hoc est nomen quo vocabit eum, Jehoua Justitia nostra.*



ALIVD argumentum desumi solet ex eodem Ieremia cap. 23. ℣. 5. & 6. *Et suscitabo Dauidi Germen iustum; & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & justitiam in terra. In diebus illius saluabitur Iuda, & Israël habitabit confidenter, & hoc est nomen quo vocabunt* (heb. *vocabit*) *eum, Iehoua iustitia nostra.* Ex quo sic argumentor.

Cuius nomen est Iehoua justitia nostra, is est Deus Israëlis præditus essentia diuina: Est enim Iehoua nomen maximè proprium Dei Israëlis.

Christi nomen est Iehoua iustitia nostra, vt patet ex laudato loco.

Christus igitur est Deus Israëlis præditus essentia diuina.

Ref. 1. Resp. II. Negant Aduersarij vtramque præmissam, & primò quidem minorem; dicit enim Socinus, *hæc postrema verba,* & hoc

est nomen quo vocabunt eum &c, *potius ad Israelem, quàm ad regem illum, id est, Christum referri debere.* Argumentum nullum affert, nisi quod id firmare conatur loco planè simili Hierem. 33. 15. *Is locus*, inquit, *ex hebræo ad verbum sic habet*: In diebus illis & in tempore illo germinare faciam Dauidi germen iustum: & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis seruabitur Iuda, & Hierusalem habitabit confidenter; & hoc (*subaudi* nomen eius, *vt habes* in superiore loco) quo vocabit eam, Iehoua iustitia nostra, eam *enim expresse habet hebraicus codex; quod pronomen necesse est, vt referat Hierusalem: quæ hîc manifestè eundem locum tenet, quem in superiore testimonio Israel. Itaque ibi pronomen eum similiter Israelem referre, prorsus est verissimile. Quod si regem etiam illum, id est, Christum ibi referret; iam ex hoc altero testimonio constaret, vel non propterea absolutè affirmari posse, Christum Iehouam fuisse appellatum, vel certè ex tali appellatione non consequi, eum reuera esse ipsum Iehouam; nisi similiter concludere velimus, Hierusalem reuera esse ipsum Iehouam.*

III. Sed similis iste locus, vt inde ordiar, non fauet causæ Socini. Potest enim aliter verti, nimirum sic, *Ille qui vocabit eam* est *Iehoua iustitia nostra.* Quid enim impedit? non certè verba; verbum enim è verbo sic exprimitur. Nec res; dicitur enim Deus multis locis vocare Ecclesiam Esai. 48. 12. *Audi me Iacob & Israel quem ego voco, ego ipse, ego primus & ego nouissimus.* Rom. 8. 30. *quos autem prædestinauit, eosdem etiam vocauit, & quos vocauit, eosdem etiam iustificauit.* 1. Thess. 5. 24. *Fidelis est qui vocauit vos, qui etiam faciet, &c.*

IV. Dicam amplius, debet aliter verti mea quidem sententia, eo videlicet modo quem dixi. Primùm enim vt eo modo vertatur verba flagitant. Iis enim ita redditis nulla est ellipsis, nisi verbi substantiui frequentissima in Scriptura, nec euitabilis hoc loco. Sin verò vertantur vt vult Socinus, *Et hoc* est nomen *quo vocabit eam, Iehoua iustitia nostra*, erit insuper ellipsis huius vocis *nomen*, necnon nominatiui verbi *vocabit*. Versio autem sine ellipsi congruens verbis melior est ea quæ supplemento indiget. Idem quoque res ipsa poscit. Quis enim esset nominatiuus verbi *vocabit*? Deus? non. Obstat enim pronomen *nostra*. Ipsa Ierusalem? non itidem: sese enim ipsa, opinor, non vocat Iehouam iustitiam nostram. Quilibet homo? ne hoc quidem: non enim infideles

eam sic vocant: fideles autem quid aliud sunt quàm Ecclesia quàm Hierusalem? quid plura? prouoco ad experientiam, optimum vaticinij commentarium. Num vocatur à quoquam Ecclesia Iehoua iustitia nostra? profectò à nullo. Est igitur hoc nomen non Ecclesiæ seu Hierusalem, sed eius qui eam vocat, qui eam iustificat.

V. Ponamus tamen sic vocari Ecclesiam, certè ita appellabitur quemadmodum appellatur *Christus* 1. Cor. 12. 12. nempe tribuetur toti nomen primæ & præcipuæ eius partis, hoc est, Christi. Ita elogium istud per se Christi nomen erit, Ecclesiæ verò non conueniet, nisi ratione Christi capitis sui. Alioqui quid absurdius quàm Ecclesiam dici Iehouam, ac iustitiam fidelium, id est, sui metipsius?

VI. Sed redeamus ad locum nostrum. Aio in verbis, *Et hoc est nomen quo vocabit eam Iehoua iustitia nostra*, pronomen *Eum* ad Regem illum seu Christum potius quàm ad Israëlem referri debere. Primùm enim ad eum potius referri debet qui per se & primariò & præcipuè eo loco describitur, quàm ad eũ cuius mentio non injicitur, nisi quia confert aliquid ad alterius illius descriptionem. Atqui Rex ille per se & primariò & præcipuè describitur eo loco, Israëlis verò mentio non injicitur, nisi quia confert aliquid ad Regis illius descriptionem. Ad illum igitur Regem potius quàm ad Israelem referri debet: Et quidem eo magis quod, & eodem versiculo pronomen *eius* ad eum refertur, & causa erat quærendi quale Regis illius nomen futurum esset, id enim Propheta nondum expresserat, cum audito Israelis nomine nemini veniat in mentem, vt quærat, quo nomine appellandus sit Israel.

VII. Deinde quæro quis sit nominatiuus verbi *vocabit?* Est enim in hebræo, agnoscente Socino, *vocabit*, non *vocabunt*. Annon idem est qui verbi proximè antecedentis *habitabit?* Annon ille est, qui immediatè ante nominatus est, Israel? Certè is est aut Deus, aut Rex Messias, aut Israel vel Iuda, aut non extat in textu, sed subintelligi debet *quilibet*, vel *vnusquisque*, aut aliquid eiusmodi. Non est autem Deus: Is enim dixisset *vocabo*, non autem vocabit; & iustitia *vestra*, non autem *nostra*. Nec Rex Messias: nam, neque is sic vocasse legitur Israelem, neque dixisset *Iustitiam nostram*: is enim sua ipsius propria iustitia iustus ac iustificatus

ac iustificatus est, non autem aliena. Sed neque subintelligi debet *quilibet* aut *vnusquisque*: cur enim nominatiuus subintelligeretur, cum sit in proximo, nempe Israël? Adde quod non quilibet absolutè sic eum vocaturus erat, sed quilibet eum verè agnoscens, hoc est, fidelis. Alij enim aut nolunt, aut non possunt verè dicere *iustitiam nostram*. Atqui Israël hoc loco Ecclesiam seu fideles significat. Quare necesse est, vt ille qui vocabit sit Israël, ac proinde vt pronomen *eum* non referatur ad Israëlem, sed ad Messiam.

VIII. Tum sine dubio hoc nomen, *Iehoua iustitia nostra*, rationem seu causam innuit salutis Iudæ, & securitatis Israelis in diebus Regis Messiæ. Quoniam autem rex est spiritualis, salus & securitas etiam spiritualis intelligitur, quæ sine remissione peccatorum seu iustificatione nulla esse potest. Est autem iustificationis & salutis Iudæ & Israëlis, hoc est, Ecclesiæ, causa, non ipse Israel seu Ecclesia, sed Christus, in quo *vno est salus*, & qui *nobis factus est à Deo* Patre *iustitia*, & *in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum*. Christus igitur, non Israel, vocari debuit *Iehoua iustitia nostra*. Act. 4. 12. 1. Cor. 1 30. Eph. 1. 7.

IX. Hoc ipsum docet euentus. Nunquam enim Israël eo nomine appellatus est. Nunquam res, quæ eo nomine significatur, Israeli, hoc est, Ecclesiæ tributa est. Sed & nomen illud, & res eo nomine significata tributa est Christo, tribuiturque hodie ab omnibus, aut saltem à plerisque omnibus, Christianis. Habentibus igitur in ipso euentu tam clarum huius vaticinij commentarium dubitabile non est, vter eo nomine potius appellandus fuerit, Israel an Rex ille, hoc est, Ecclesia an Christus? vt jam taceam, nec posse nomen illud conuenire Ecclesiæ nisi ratione Christi, nec intelligi, quo sensu Ecclesia sic appellari queat.

X. Sed venio ad alteram responsionem Socini. *Iam*, inquit, *siue de Christo, siue de Israele vltima verba Hieremiæ testimonij dicantur; sensus est, tunc futurum, vt Iehoua ille vnus Deus noster nos iustificet. Hoc enim tempore illo, per Christum, in Israele populo suo Iehoua facturus erat. Docent nos hunc sensum alij loci similes non pauci: ex quibus duos aduersum se ex Rabbinis Bellarminus citat: videlicet, Exod.* 17. 15. Ædificauit Moses altare, & vocauit nomen eius, Iehoua exaltatio mea: *& Ezechielis prophetiæ vltima verba*, Et erit ex eo die nomen vrbis Iehoua illic. *In quibus*, 2. Resp. Refut.

& alijs eiusmodi locis non tribuitur ipsum nomen Iehoua rebus istis; sed aliquid de Iehoua per illas, aut circa illas significatur. Volunt igitur Aduersarij, quod etiam affirmat Schlichtingius, hoc nomen esse *integram hanc sententiam*; Iehoua iustitia nostra, (*intellige*. est.) De qua verbi *est* adjectione, deque duobus illis exemplis, & similibus potest sibi Lector in memoriam ea reuocare quæ sunt à nobis disputata ad Arg. huius libri secundum. Nunc enim eos alia via aggrediar.

XI. Principiò de duobus inter nos conuenit. Vnum est, vocari Iehouam, in nomine *Iehoua iustitia nostra*, eum qui appellatur iustitia nostra. Alterum, agi de nomine vsurpando tempore Noui Testamenti. Videamus igitur vter in Nouo Testamento vocetur iustitia nostra, Pater an Filius? Certè Filius eo elogio insignitur in Nouo Testamento, Pater verò nunquam. Cur non igitur concludamus per Iehouam, in eo nomine, Filium esse intelligendum, non verò Patrem præcisè? Quod si rem spectes eo elogio significatam, ea Filio conuenit, Patri quatenus à Filio distinguitur, non item: Itaque potest Filius dici iustitia nostra, Pater verò non potest ita appellari, saltem prudenter. Hîc exclamat Socinus, *Quid audio? Deus pater non est iustitia nostra, id est, non ipse nos iustificat? Potuitne quidquam minus theologicè, vel potius magis impiè dici?* Bona verba quæso, absit vt negemus Deum patrem nos iustificare: tantùm negamus, quicunque nos iustificat, eum appellari posse prudenter iustitiam nostram: verbi gratia Iudex iustificat, nec tamen aut vocatur, aut vocari potest illius iustitia quem iustificat, non magis certè quàm vocari potest illius crimen, quem condemnat. Non igitur quicunque nos iustificat quocunq; modo, dici potest iustitia nostra, sed is demum, qui nos iustificat per modum iustitiæ, seu qui tenet in iustificatione nostra eum locum, quem teneret operum nostrorum iustitia, si ea iusti essemus. Longè enim aliter quàm iudex, & crimen reum condemnat, & iustitia iustificat. Illud condemnat quia mouet iudicem ad condemnandum, hæc iustificat quia mouet iudicem ad iustificandum. Illud est id ob quod reus damnatur, hæc est id ob quod absoluitur siue iustificatur. Iam autem in iustificatione nostra Deus pater partes agit vel Iudicis, vel Regis, vel etiam Patris,
Rom. non verò iustitiæ nostræ, hæc enim sunt propriæ partes Filij, qui
10. 4. *est finis Legis in iustitiam omni credenti*, qui *nobis factus est à Deo*

iustitia, qui *nos redemit à maledictione Legis cum factus est pro no-* 1. Cor.
bis maledictio, qui *semetipsum dedit pretium redemptionis pro om-* 1. 30.
nibus, qui *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, Gal. 3.
eaque *per semetipsum purgauit*, per *suimetipsius sacrificium sustu-* 13.
lit, qui denique *ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Itaque me- 1. Tim.
ritò iustitia nostra dicitur: est enim dono Patris & suo nostraque 2. 6.
consensione & acceptatione, quæ fides vocari solet, verè noster. 1. Pet.
Ac propterea Euangelium, vt iustificemur, non exigit à nobis 2. 24.
legis implendæ conditionem, *sed*, vt loquitur Crellius, *fidem* Heb. 1.
tantùm in Christum postulat, fide in Iesum Christum contenta est: 3.
soletque in Nouo Testamento iustificatio passim tribui, non fidei Heb.
in Deum præcisè, sed fidei in Iesum Christum, & sanguini ip- 9. 26.
sius, qui fide fit noster, nobisque, per prædicationem Euangelij 28.
aspersus, adhæret intimè. Cum igitur Deus pater, quatenus à 1. Ioh.
Filio distinguitur, iustitia nostra nec vocetur vnquam in Euange- 2. 2.
gelio, nec vocari prudenter possit; sed hoc sit elogium Filij pro- Crell.
prium, fatendum est per *Iehouam*, in nomine *Iehoua iustitia no-* in Rom.
stra, Filium Dei esse intelligendum. 3. 21.

XII. Etiamsi autem præter omnem rationem daremus Aduer-
sarijs iustitiam hoc loco significare iustificatorem, tamen eos
oporteret causa cadere. Quorsum enim pertineret illud nomen,
nisi vt significaret, eum qui nos iustificat esse Iehouam? Atqui
Christus nos iustificat, non modo quia est propitiatio pro pecca-
tis nostris, id quod eius est proprium, sed etiam quia nobis pec-
cata nostra condonat, & debita remittit, haud secus quàm si es- Luc. 7.
set ipse creditor cui ea debentur. Immò cum Pater non iudicet 40.
quemquam, sed dederit omne iudicium Filio, necesse est vt partes Ioh. 5.
Filij sint iudicare, hoc est, iustificare & condemnare. Cum igi- 22.
tur omni ratione & modo, quo possumus iustificari, nos Christus
iustificet, si is qui nos iustificat est Iehoua, necesse est Christum
esse Iehouam. Itaque non posset illud nomen, *Iehoua iustitia no-
stra*, vt jam ei addatur *est*, & Israeli tribuatur, aliò pertinere, quàm,
vel ad confirmandū Christum esse Iehouam, vel ad negandum eum
esse iustitiam nostram: quod posterius esset vniuersum eius euan-
gelium conuellere. Annon enim eo nomine tacita quædam conti-
netur oppositio inter iustitiam nostram quæ est Iehoua, & aliam
quamlibet iustitiam, qua homines putant se posse iustificari?
Nonne eo elogio significatur, nos non nostra iustitia quæ est ex

lege, non à nobis, non ab alijs hominibus, non ab angelis iustificari? Certè publica est confessio causam adæquatam iustificationis nostræ esse Iehouam; non enim, opinor, in eo nomine iustitia particularis aut imperfecta intelligitur, sed plena & perfecta.

XIII. Huc accedit, quod nomen istud, *Iehoua iustitia nostra*, nomen est Domini nostri Iesu Christi, vt jam probaui, non autem Israëlis. Quare si per Iehouam alius ab ipso tota specie, vel genere, diuersus intelligitur, suo isto nomine significabit Christus, se non esse iustitiam nostram, nosque ad illum alterum, vt ab eo iustificemur amandabit: id quod non est eius Euangelio consentaneum: eo enim toto nos ad se vocat, tanquam is sit, in quo vno iustitia nostra & vita & salus reposita sit. Ipse Deus pater nos trahit ad Filium, nos dat Filio, nos docet venire ad Filium, vt iustitiam vitamque æternam per eum & in eo obtineamus. Præterea, fit ne tibi, lector pie, verissimile, Dominum nostrum non vocari *Iehouam*, id est, ipso Christo, eiusque Apostolis interpretibus, *Dominum iustitiam nostram*, nisi quia sit signum, typus, monumentum vel memoriale quoddam, alium toto genere ab ipso diuersum esse iustitiam nostram? Potestne in mentem venire Christianis ex gentibus linguæ hebrææ ignaris, græcæ tantùm aut latinæ peritis, cum Christum nominari audiunt Dominum iustitiam nostram, Christum non esse illum Dominum, sed illius duntaxat signum & memoriale? Profectò non potest ea cogitatio cadere, nisi in eum, qui sit hoc præjudicio occupatus, aut Christum non posse appellari Dominum, aut non posse dici iustitiam nostram. Non potest enim ea cogitatio enasci ex impositione illius nominis, quasi alicubi scriptum fuisset, id Christo nomen eo consilio inditum fuisse; (hoc enim nusquam legitur:) neque ex intuitu personæ Christi, quasi ea instituta & destinata fuisset ad tale quid significandum: Hoc enim nullo Euangelij loco docetur. Sed neque videtur consentaneum majestati Christi, vt putetur ad hoc fuisse destinatus, vt esset typus, vel monumentum quoddam, seu signum, non ipsum, sed alium quendam ab eo tota natura diuersum nostram esse iustitiam. Verùm consulamus tandem experientiam. Sibi enim mutuò respondere debent vaticinium & euentum, alterumque ex altero cognosci. Nonne passim in toto orbe Filius vocatur, & creditur, à Christianis Dominus, id est, Iehoua? Nonne appellatur, &

Ioh. VI. 44. 45. Ioh. 17. 2.

creditur esse, iustitia nostra? Congruit certè cum nostra sententia & fide, inde à prædicato euangelio ad hunc vsque diem, euentus, egregius, vti jam aliquoties monui, prophetiæ commentarius.

XIV. Ad exempla quod attinet, quæ laudant Aduersarij, ea nobis nihil obsunt. Id satis fuerit ostendisse in primo, omnium in speciem maximè apposito. Exod. 17. 15. *Ædificauit Moses altare, & vocauit nomen eius, Iehoua exaltatio mea*, vel vt alij vertunt, vexillum meum. Longè enim diuersa fuit ratio illius altaris & Domini nostri Iesu Christi. Nam primò illud altare fuit omni vita destitutum, nihilque habuit seu materiam, seu formam, seu vsum spectes, quod vel minimam ansam præberet suspicandi, illud esse Iehouam, contrà quominus putaretur Iehoua esse pugnabant in eo omnia; ac propterea in ea appellatione nihil fuit periculi. Dispar est ratio Christi, cuius ea est sapientia, autoritas, dignitas, virtus, majestas, atque in nos clementia munificentia charitas, vt nihil à nobis cogitari possit maius aut diuinius. Deinde nulla sunt loca Scripturæ, nulla argumenta, quæ probent illud altare fuisse Iehouam; sunt verò multa, quæ nobis persuadent, Christum esse Iehouam. Tum constat illud altare non fuisse Mosis vel populi Israëlitici exaltationem, siue vexillum, cum certum sit, Christum esse reuera iustitiam nostram. Præterea in confesso est, altare illud typum vel monimentum seu memoriale fuisse: id quod de Christo, qui est ipsa veritas, & in quo habitat corporaliter omnis plenitudo diuinitatis, nefas videtur dicere. Denique Altare illud typus fuit Christi. Non enim temerè Moses illud monumentum altare esse voluit, sed propter analogiam aliquam cum re significata. Iam autem si vmbra est altare typicum, quid erit corpus nisi altare verum? Porrò non Pater, sed Christus eius filius est verum altare. Iuuat igitur causam nostram hoc exemplum. Nam si nomen, *Iehoua exaltatio mea*, tributum est altari vt vmbræ Christi, certè id nomen conuenit Christo vt corpori, vt veritati, non autem vt signo alterius.



DISPVTATIO TRIGESIMA SECVNDA

De Arg. XXXII. Ex nomine Tetragrammato, vulgò *Iehoua*.

I. HIc tenere me non possum, quin adhuc vnum aut alterum argumentum adjiciam, quo probem Dominum nostrum esse Iehouam. Quod vt fiat cum majore fructu, esto Arg. XXXII. eiusmodi.

Iehoua est Deus Israëlis præditus essentia diuina.

Christus est Iehoua.

Christus igitur est Deus Israëlis, præditus essentia diuina.

Vtramque præmissam negat Socinus. Et majorem quidem his verbis, *Nihil autem dico, quòd, si angeli ipsi multò Christo inferiores, cum Iehoua personam aliqua in re sustinent, Iehoua nomine appellati inveniuntur, vt non vno in loco sup. à nobis demonstratum est; multò magis fieri potest, vt Christus, qui perpetuò in toto salutis nostræ negotio Iehouæ Dei personam sustinet, ipsiusque perpetuus in Ecclesia vicarius est, Iehoua nomine appelletur: nec tamen ipse sit reuera Iehoua, siue eiusdem cum ipso essentia. Nam certè nullus angelorum est reuera Iehoua, eandemue cum ipso Iehoua essentiam habet.* Hæc responsio multas continet assertiones. Vna est, Nullum angelorum esse reuera Iehouam. Hæc vera est, nec eget probatione. Altera est, Angelos Iehouæ nomine appellari in Scriptura. Hæc præcedenti repugnat. Quomodo enim eo nomine appellantur, si id nomen eis non conuenit? quomodo id esse dicuntur, quod reuera non sunt?

II. Deinde falsum est, Angelos in plurali numero eo nomine appellari: appellatur quidem Angelus in singulari numero, sed quo sensu is dicatur angelus, naturâ an officio tantùm, quæri

potest. Ego verò sic argumentor. Is fuit, aut vtrumque natura sua, nimirum Iehoua & Angelus: aut vtrumque officio tantùm: aut alterum naturâ, alterum officio. Primum nemo dixerit: id enim sine vnione hypostatica diuinæ & angelicæ naturæ intelligi non potest. Nec secundum; fuisset enim ille tertia quadam natura à Diuina & Angelica diuersa præditus, quæ cuiusmodi fuisset, aut esse potuisset, intelligi nequaquam potest. Tertium igitur admittendum est. Vtrum ergo natura Iehoua fuit, officioq; Angelus; an contrà, natura Angelus, & officio Iehoua? Certè prius longè probabilius est. Angelus enim nomen est muneris seu officij, Iehoua non item. Angelus nomen est appellatiuum, quod de alijs, qui non sunt naturâ angeli, frequenter vsurpatur in vtroque testamento; Iehoua verò nomen est proprium Dei Israëlis. Adde quod non sit probabile, Deum, qui est gloriæ suæ studiosissimus, quique passim Iehouam esse se inculcat & præter se neminem, voluisse nomen istud suum, omnium maximè & proprium & sacrosanctum, transferre ad angelos meras creaturas ac seruos suos? Quod autem ait Socinus se hoc demonstrasse, si quod argumentum ad id probandum, vel ipse, vel Crellius, attulit, id à nobis refutatum est Disp. de Arg. XXII. §. IX. & Disp. de Arg. XXIII.

Esai 42. 8. & 45. 5. 7.

III Præterea sic Aduersarium aggredior. Tu vis, istum Angelum, qui Iehouæ nomine appellatur, esse naturâ angelum, hoc est, præditum natura angelica. Ego contendo eum esse natura Deum seu Iehouam. Vter nostrum rectius sentiat consideremus. Quo argumento efficies, eum esse naturâ angelum? Istone, Appellatur Angelus: Ergo est naturâ angelus? Nego consequentiam. Multi enim homines, quod tu ignorare non potes, in vtroque testamento angeli appellantur. Nec mirum: est enim angelus propriè, vt jam aliquoties monui, nuncius. Num hoc potius, appellatur Angelus Iehouæ: Ergo est naturâ angelus? Hanc quoque consequentiam nego, quoniam, & Sacerdos & Iohannes Baptista appellantur angeli Iehouæ, ille Malach. 2. 7. hic Malach. 3. 1. & Matth. 11. 10. quos tamen certum est meros homines fuisse.

IV. Fortasse vtêris hoc argumento. Is, aut homo fuit, aut Deus, aut angelus. Non fuit homo, saltem illo tempore, vt patet. Nec fuit Deus seu Iehoua. Ergo fuit angelus naturâ. Immò,

inquam, Deus seu Iehoua fuit; testibus, sacro historico, qui cum non rarò Iehouam appellat, ipsoque illo angelo, qui se Deum esse seu Iehouam testatur aliquot locis. Atqui, inquies, appellatur angelus Iehouæ. Non potest autem angelus Iehouæ esse Iehoua. Contrarium docet Scriptura, cum eundem aliquoties simul & angelum Iehouæ & Iehouam appellat, vtri potius habenda fides, tibi ne pro ingenio affirmanti, Angelum Iehouæ non esse Iehouam, An Scripturæ asserenti, Angelum Iehouæ esse Iehouam? Clamat hic Angelus, se esse Iehouam. Idem testatur sacer historicus. Quis tu es, qui audes contrarium docere, mendaciique eos insimulare?

V. Adjicies, Non posse vnum eundemque suimetipsius angelum dici. Quid inde cõcludis? Angelum Iehouæ non esse Iehouam? Hoc, vt dixi, contradicere est illi ipsi Angelo, sacrisque historicis. Cur non potius inde concludis, plures esse personas diuinas. At, instabis, *Iehoua est vnus Deut. 6. 4.* &, *nullus est Deus alius nisi vnus* 1. Cor. 8. 4. Credimus vtrumque, & plures esse personas diuinas, & nonnisi vnum Deum, vnum Iehouam esse: quia vtrumque Scriptura docet, quam multis inuictis argumentis certissimè scimus diuinitus inspiratam esse. At quomodo est vnus Iehoua, si duo sunt, quorum alter simpliciter Iehoua, alter simul Iehoua & Angelus Iehouæ appellatur? Nempè duo illi vnum sunt. Conuenit autem illis Iehouæ nomen quatenus sunt vnum, non verò quatenus inter se distinguuntur.

VI. Objicies, non posse duas personas eandem numero habere naturam. Quo argumento id probabis? Testimonio Scripturæ? nullum extat. Ratione aliqua Metaphysica? vtra igitur est regula fidei nostræ, Scriptura, an Philosophia? Certè fides est ex auditu verbi Dei, non autem Philosophiæ; & quis melius nouit quomodo se habeat Deus, cui nihil est in rerum natura simile, quàm ipse Deus? Refellit autem ipse Deus omnes subtilitates Metaphysicas, quibus personarum diuinarum distinctio, & naturæ diuinæ vnitas oppugnatur, quoties vtramque verbo suo inculcat. Innuit enim se vnitatem intelligere, quæ non repugnet eiusmodi distinctioni, & distinctionem, quæ non repugnet eiusmodi vnitati. Repones, non pugnare Theologiam cum Philosophia. Agnosco, modò Philosophiam intelligas veram & rectam. Hæc verò objectum suum transgredi non debet, nec se

mysterijs

mysterijs omnem modum reuelationis naturalis exsuperantibus immiscere, nec Deum, quatenus à creaturis differt, creaturarum pede & modulo metiri. Alioqui si falcem immittit in propriam Theologiæ supernaturalis messem, verbo Dei corrigi debet, non contrà verbum Dei Philosophiâ. Cæterum omnes illas subtilitates, quas è Philosophia depromunt Aduersarij, Deo dante, diluemus alio loco. Nunc enim de Scripturæ verbis duntaxat disputamus, vt quæ huius controuersiæ pars cum illis consentiat, quæ dissentiat, agnoscamus.

VII. Non potuisti probare, illum, qui simul Angelus Iehouæ appellatur & Iehoua, præditum esse natura angelica. Ego verò probo eum esse præditum natura diuina. Et primò quidem sic. Appellatur Iehoua: Ergo est reuera Iehoua. Probo consequentiam Cui nomen diuinitus tribuitur, ei conuenit nominis illius significatio. Illi autem, qui simul Angelus & Iehoua appellatur, tribuitur diuinitus nomen Iehouæ, & quidem sæpe. Ergo illi conuenit nominis Iehouæ significatio. Est autem nomen Iehoua, nomen Dei Israelis creatoris cœli & terræ, & quidem nomen proprium, saltem pro tempore Veteris Testamenti, non autem nomen commune sicut Angelus. Id enim, & Deus ipse sibi vni imposuit, suumque nomen esse testatus est plurimis locis, & se habet perpetuò vt nomen proprium. Cui igitur id nomen diuinitus tributum est, eum oportet Deum Israëlis esse. Hæc enim est vnica nominis illius significatio.

VIII. Deinde sic, Qui profitetur in Veteri Testamento se esse Deum, Iehouam, Deum Abrahami, Isaaci, &c, is haberi debet pro Deo Israëlis prædito essentia diuina. Quis enim illi dicere ausit, Tu is reuera non es, quem te esse profiteris? Tu te dicis esse Iehouam, & Deum Abrahami, Isaaci, & Iacobi, cum tamen reuera nihil sis nisi Iehouæ seruus. Nisi fallor hoc esset eum mendacij, immò sacrilegij accusare. Atqui iste Angelus profitetur se esse Iehouam, Deum Abrahami, Isaaci, & Iacobi Gen. 31. 11. 13. Exod. 3. 2. 6. Iudic. 2. 1. &c. Ergo iste Angelus haberi debet pro Deo Israëlis prædito essentia diuina. Sed pergamus. Quid enim opus est pluribus argumentis?

IX. Tertia Socini assertio est, *Angelos, Iehouæ personam quibusdam in rebus sustinuisse.* Id mihi probari velim. Rationem nullam affert: nec video quomodo probari possit. Haud satis

etiam assequor, quo sensu id ab eo dicatur. Phrasis enim illa *Iehouæ personam sustinere*, quàm est à Scripturâ aliena, tam mihi ambigua & obscura videtur. Quid est enim, quæso, Angelos Iehouæ personam sustinere? Eam veluti ferre & gestare? dicitur enim Iehoua super cherub æquitare ps. 18.2. & sedere Ezech. 10. 4. Id ad rem quam agimus nihil faceret prorsus. Eius causam tueri? Id quoque οὐδὲν πρὸς ἔπος. Iehouæ nomine appellari, & se profiteri Iehouam esse? Nugantur igitur Aduersarij, cum dicunt angelos Iehouæ nomine appellari & se profiteri Iehouam esse, quia Iehouæ personam sustinent. Iehouæ legatum esse, eique legationi consentanea dicere & facere? sustinent igitur perpetuò & omnibus in rebus Iehouæ personam Angeli: id quod tamen negat Socinus. In nomine Iehouæ loqui & agere? Id etiam perpetuò & omnibus in rebus conuenit angelis. Nos etiam Christiani tenemur omnia facere in Christi nomine, num igitur eius personam omnibus in rebus tenemur sustinere? Quid ergo tandem est Iehouæ personam sustinere? Typum esse Iehouæ? Certè Angeli typi fuerunt Domini nostri Iesu Christi. Cum enim fœdus legale contraheretur & promulgaretur, inter Deum & Israëlitas interponebantur, illinc quidem Angeli, hinc verò Moses, cui successit Iosue, adjunctus autem fuit Aaron: Itaque Dominum nostrum, qui his omnibus respondet, Auctor Ep. ad Heb. confert primò cum Angelis, deinde cum Mose, tum cum Iosuè; & tandem cum Aarone. Verùm typi in historijs Veteris Testamenti suas ipsi personas sustinent, non autem alienas, earum scilicet rerum, quarum sunt typi. Fortè volunt Angelos Iehouæ personam in historijs sacris, tanquam in dramate, repræsentasse. Hoc verò esset verissimas ac diuinissimas Scripturæ historias in dramata seu fabulas conuertere: quo nihil fingi potest magis blasphemum. Ita Angelus ille, qui Iehoua vocatus est & se Iehouam esse professus est sæpius, fuisset Iehoua personatus &, vt Plautino verbo vtar, histricus. Isque, vt iam monui, solus personatus fuisset, præter eum alius nemo: Et tamen habuisset veram Iehouæ autoritatem eique fides habenda fuisset in omnibus, vocareturque simul Iehoua & Angelus Iehouæ. Quæ omnia, quàm sint à dramate aliena nemo non videt.

[Margin: Col. 3. 17.] [Margin: Gal. 3. 19.]

X. Quarta Socini assertio est, *Angelos, cum Iehoua personam aliqua in re sustinent, Iehoua nomine appellari.* Hoc falsum esse

contendo. Quo enim sensu Angeli dici possint Iehoua equidem non intelligo. Nemo profectò, nisi cum fabula seu drama agitur, ita alterius personam sustinet, vt eius nomine proprio appelletur, & se illum ipsum profiteatur esse, cuius personam sustinere dicitur. Nam, si id extra drama fiat, pro mendacio habebitur. Mentietur Legatus, si se illum ipsum profiteatur esse à quo sit missus. Mentietur typus, si se dicat illum esse cuius est typus, Moses verbi gratia, si se dicat esse Iesum Christum. Mentietur inferior Magistratus si se regem esse profiteatur. Quid? Nonne Iesu Christi personam Apostoli æquè, aut etiam magis, sustinuerunt, quàm Iehouæ Angeli? tamen Apostoli nunquam Iesu Christi nomine appellantur. Nunquam quisquam eorum ita fideles alloquutus perhibetur, Ego sum Iesus Christus qui vos sanguine meo redemi. Nec intelligi potest quomodo sic Petrus, aut Paulus, aut aliorum Apostolorum aliquis Ecclesiam sine mendacio affari potuisset. Cum igitur idem simul & Angelus Iehouæ & Iehoua appelletur sæpe, seseque ipsum profiteatur esse Iehouam, idque citra mendacium, verissimè, omninò tenemur id credere. Docet igitur Scriptura & testatur & inculcat, esse quandam personam, quæ ita sit Iehouæ angelus, vt tamen sit Iehoua. Docet igitur & testatur, & inculcat, esse duas personas quæ sint Iehoua.

XI. Quinta Socini assertio est, *Christum perpetuò in toto salutis nostræ negotio Iehouæ Dei personam sustinere.* Eamne sustinet tanquam suam, an tanquam alienam? Si prius, igitur est Iehoua Deus. Si posterius, quomodo id conuenit cum Euangelio, quod nihil prorsus tribuit Christo, & in quo Christus nihil prorsus sibi tribuit, quod ipsi reuera non conueniat in propria sua persona? Deinde, An Christus cum baptisabatur à Iohanne, tentabatur à diabolo, docebat turbas è nauicula, orabat Patrem in horto, damnabatur à Synedrio, verberabatur à satellitibus, interrogabatur à Pilato, agebatur in crucem, pendebat in cruce inter duos latrones, spiritum suum commendabat Patri, moriebatur, sepeliebatur, resurgebat &c, alienam Iehouæ Dei sustinebat personam? Vtinam quæ asseuerant Aduersarij vel considerarent attentius, vel explicarent distinctius! Quod addit Socinus, *Christum Iehouæ Dei perpetuum in Ecclesia vicarium esse*, id negatum est à Smalcio, vti à nobis est obseruatum Arg. IX. §.

Ii

Sup. p. 133. 134. XXXI. quàm thesim & præcedentem, tu, quæso, lector re-iudge.

XII. Ex suis illis assertionibus deducit hanc conclusionem Socinus, *fieri potuisse vt Christus Iehoua nomine appelletur, nec tamen ipse sit reuera Iehoua.* Nempe ex præmissis falsis mirum non est si sequatur falsa conclusio. Sed quæro jam, non an potuerit Iehouæ nomine Christus appellari, sed an reipsa appellatus fuerit in Scriptura, necne? Negat Socinus; Atque ita quod minus probabile est id affirmat, quod magis probabile est id negat. Minus enim probabile est Angelos nomine Iehouæ appellari, quàm Christum. Nam si vtrisque commune fuit sustinere personam Iehouæ, Illi eam sustinuerunt ad tempus, Hic perpetuò: Illi quibusdam duntaxat in rebus, Hic in toto salutis nostræ negotio: Illi minus perfectè, Hic perfectissimè. Si igitur angeli, quia sustinuerunt personam Iehouæ aliquando, & quibusdam in rebus, & imperfectè, nomine Iehouæ appellati sunt frequenter; nonne Christus, qui personam Iehouæ perpetuò & omnibus in rebus & perfectissimè sustinuit, potiori jure nomine Iehouæ appellari debuit? Quis ergo credat tantum honorem tributum fuisse angelis sæpe; quibus tamen minus conueniebat: Christo verò, cui magis debebatur, denegatum fuisse constanter?

Crell. de vera Rel. lib 1. cap. XI. XIII. Aiunt Angelos *Iehoua personam & nomen assumpsisse, vt tantò plus auctoritatis haberet res & oratio, & in auditorum animos altius descenderet.* Atqui multò plus auctoritatis habere Euangelium oportuit quàm legem, multòque altius in auditorum animos descendere. Cur igitur similiter Christus Iehouæ personam & nomen non assumpsit? cauendumne fuit ne nimium tribueretur Filio, neue honoraretur sicut honoratur Pater, cum cauendum non fuerit ne nimium tribueretur angelis, neue illi diuino honore afficerentur?

XIV. Aut igitur Deus voluit vt angelus ille crederetur Iehoua esse, aut non voluit. Si voluit, parendum est eius voluntati. Si noluit, cur eum voluit Iehouam toties & appellari, & esse se profiteri? Nam si Iehoua esse creditur, plus habet autoritatis res & oratio, altiusque in animos auditorum descendit: si non creditur: tacitè falsitatis accusatur minuiturque rei & orationis pondus.

XV. Sed quid immoror in refutanda responsione, quam ar-

gumentum nostrum parua declinatione potest effugere? si nempe sic concipiatur.

Cui verè, & non quatenus alienam personam sustinet, conuenit nomen Iehouæ, ille reuera est Iehoua, præditus essentia diuina.

Christo verè, & non quatenus alienam personam sustinet, conuenit nomen Iehouæ.

Christus igitur est reuera Iehoua, præditus essentia diuina.

Erit etiam nobis iterum hac eadem de re disputandum ad Arg. sequens, cui suum aliquod proprium momentum conseruari oportet. Hoc igitur tantùm dicam hoc loco. Si fieri potuit, vt Christus Iehouæ nomine appelletur, nec tamen ipse sit reuera Iehoua, fieri potuit vt Scriptura mentiatur & nos fallat. Negabunt sine dubio consequentiam. Dicant igitur nobis quid sit mentiri, si hoc non est. Si veritas est orationis cum ipsa re consensio, quid est orationis ab ipsa re dissensio, nisi falsitas? Si, vt Crellij verbis vtar, *veritatis est curare, vt verba cum re ipsa consentiant, nec aliter loquaris quàm rem sese habere sentis*, nonne is à veritate discedit, cuius verba cum re ipsa non consentiunt, quique aliter loquitur, quàm rem sese habere sentit? Frustrà reponent, Christum Iehouæ nomine appellari, quia Iehouæ personam sustineat. Nam aliud est esse Iehouam, id quod Iehouæ nomine appellari significat, aliud Iehouæ personam sustinere, hoc est vt ego interpretor, eius seruum & legatum esse. Si profanus aliquis historicus Christianissimi regis legatum, regem Galliæ vel Ludouicum XIV. appellaret, aut esse affirmaret, quis id ferret? quis frigidam illam & ineptam excusationem admittendam censeret, potuisse legatum sic appellari, quod legatus seu vicarius Regis cum esset, eius personam sustineret? Magnam igitur sacris autoribus injuriam faciunt Aduersarij, cùm eos existimant, Iehouæ nomine Angelum vel Christum appellasse, ac esse Iehouam sanctè affirmasse, cum tamen reuera Iehoua, nec angelus ille, nec Christus esset.

Lib. 1, de vera relig. cap. 25.

XVI. Venio igitur ad alteram Socini responsionem. Ea negat minorem argumenti nostri, hoc est, Dominum nostrum Iesum Christum esse aut appellari Iehouam, id quod & probatum est à nobis superioribus argumentis, & probaturi imus hoc loco his paucis. Primum sic habet. Cui passim in sacris literis græcis

II. resp Refut.

tribuitur absolutè, seu κατ' ἐξοχὴν, & tanquam aliquo modo proprium, illud nomen græcum, quod omnium nominum græcorum maximè accommodatum ad hebraicum Iehoua exprimendum non modo 70. interpretibus, sed ipsis etiam Iesu Christi Apostolis, ipsique adeò Spiritui sancto visum est, ei tributum censeri debet nomen Iehoua, cuius græcum illud est versio seu interpretatio. Christo passim in sacris literis græcis tribuitur absolutè seu κατ' ἐξοχὴν, & tanquam aliquomodo proprium id nomen, quod omnium nominum græcorum maximè accommodatum ad heb. Iehoua exprimendum, non solum 70 interpretibus, sed ipsis etiam Iesu Christi Apostolis, ipsique adeò Spiritui sancto visum est. Christo igitur tributum censeri debet nomen Iehoua. Non video quomodo major negari possit, nam & per se clara est, & potest inductione probari. Cui enim nomen græcum conuenit huic conuenit etiam hebræum quod per græcum illud constanter exponi solet, vt patet inductione omnium eiusmodi nominum. Minor etiam ita manifesta est, vt vocari in dubium non possit. Nam & 70 interpretes in Veteri Testamento, & Apostoli in nouo hebræum Iehouam vertunt κύριον passim & constanter, quod nomen absolutè seu κατ' ἐξοχὴν, & tanquam eius aliquomodo proprium Seruatori nostro Iesu Christo conuenire Christianus non est qui neget.

XVII. Hoc argumentum Socinus primùm dilemmate oppugnat, deinde soluere conatur, sed frustrà. Dilemma est eiusmodi. *Aut istud*, inquit, *quod de Christo dicitur, significatum à nomine Iehoua, eiusmodi est, vt soli illi vni Deo conueniat: aut non est. Si est; quid ineptius, quàm ex re ipsa, quæ de Christo dicitur, non statim argumentari, illum esse illum vnum Deum: sed ex ea prius colligere, nomen quod eam significat, Christo conuenire, vt inde postmodum concludatur, Christum esse illum vnum Deum? Si non est; Frustrà ex nomine, quod propter rem, quam significat, Christo conuenire Bellarminus ratiocinatur, id concludit, quod ex ipsa re concludere nequit.* Sophistam agit Socinus. Quid enim refert vnde argumentemur? Nam, vel præmissæ syllogismi nostri, nullo formæ vitio laborantis, ambæ veræ sunt; vel ambæ falsæ, aut saltem earum altera. Si prius; cur totum non concedit, & dat manus? si posterius; cur rectà falsitatem non retegit soluendo argumentum? cur tempus terit inutili vitilitigatione? Respon-

deo tamen ad dilemma; significationem nominis Iehouæ eiusmodi esse, vt soli illi vni Deo conueniat: nec tamen nos ineptè facere, qui ex ea, hoc quidem in loco, rectà seu immediatè non concludimus, Christum esse illum vnum Deum. Cum enim possim ab illa significatione argumentari duobus modis, mediante scilicet nomine Iehoua, vel sine eo; quid prohibet, quominus pro meo arbitratu illo nunc vtar, isto dissimulato, aut in alium locum rejecto præsertim si ille, quàm iste, clarior aut facilior mihi videatur? Ex duabus vijs eòdem tendentibus facione ineptè cum longiorem, si mihi tutior commodior faciliorque videatur, breuiori antepono? Adde quod reuera duo sunt media seu argumenta diuersa, illud quod à nomine Iehoua eiusque significatione ducitur, & illud quod ab illa significatione, non formaliter quatenus est significatio nominis Iehouæ, sed materialiter & per sese spectata peti potest. Quis enim non videt argumentationem qua vsi sumus, niti autoritate 70. interpretum, & præcipuè Apostolorum, Iehouam reddentium κύριον, non autem vi nominis citra relationem ad Hebræum Iehoua considerati? Hinc enim si liberet argumentari, duceretur argumentum à summo illo iure & dominio seu potestate, quam Christus habet in res omnes, certissimo diuinitatis eius indicio. Sed ea argumentandi ratio, vt non est huius loci, sic non est necessaria ad tuendum illud argumentum, quod hac disputatione tractamus.

XVIII. Sic autem illud soluere conatus est Socinus. *Respondeo*, inquit, *nec 70 interpretes, nec Hieronymum, eos imitatum, reddidisse nomen Iehouam κύριον seu Dominum, quia putarent, se hoc pacto nomen illud exprimere; sed quia nec 70 illis melius quidquam succurrit, quod græcis auribus inauditum non foret, nec Hieronymus hac in parte quidquam innouare voluit. Alioqui nomen Iehoua est nomen proprium, κύριος verò seu Dominus, appellatiuum & plurimis vulgò tributum: & idcircò, vel ob hoc solum valdè ineptum ad nomen Iehoua exprimendum.* Ego verò non tam 70. interpretum & Hieronymi auctoritate nitor, quàm ipsorum Euangelistarum & Apostolorum, qui græcè scribentes, & loca Veteris Testamenti laudantes in quibus extat nomen Iehoua, illud constanter κύριον reddiderunt, non quod eis religio esset discedere à 70. interpretum versione, (eam enim non perpetuò sequuntur) sed quod nullum videretur græcum nomen hebræo Iehouæ aptius res-

pondere. Quamuis enim nomen κύριος appellatiuum sit, & plurimis vulgò tributum, tamen positum absolutè, antonomasticè, κατ' ἐξοχὴν, Dei, cui seruire debent omnes creaturæ, proprium est, reciprocaturque in Scriptura cum nomine Iehoua. Quis porrò credat, aut nullum in lingua græca, qua nulla copiosior fuit, reperiri potuisse nomen *non valdè ineptum ad nomen Iehoua exprimendum*, aut si quod fuit, eo insuper habito maluisse isto κύριε, ad eam rem, si credimus Socino, valdè inepto, tam sæpè tamque constanter vti, summo consensu, 70. Interpretes, Hieronymus, Euangelistæ & Apostoli? Haud satis enim religiosè & prudenter loca Scripturæ ex hebræo in græcum conuertere ille videtur, qui verbum pro verbo reddens id eligit, quod valdè ineptum est, prætérito aptiore: idque eo minus in nomine Iehouæ interpretando faciendum fuit, quo, & frequentius extat in antiqua Scriptura, & nomen est magis memorabile, ac proprium Dei.

XIX. Pergit Socinus. *Conati tamen sunt 70 huic malo hac ratione mederi, vt scilicet nomen κύριος ferè semper cum Iehoua loco ponitur, sit sine articulo; vt etiam alibi antè monuimus, quo commodius nomen proprium referre posset, neque enim solent appellatiua nomina in græca lingua, cum subiecti locum tenent, efferri sine articulo. At Christus, cum κύριος subiectiuè (vt sic dixerim) appellatur, ferè semper articulus præponitur nomini isti. Ex quo fit, vt, Ego argumentum ab eodem nomine κύριος ductum in ipsum Bellarminum torqueam: & meritò sic concludam, cum nomen κύριος, quando Iehouam significat, ferè semper sine articulo efferatur, quando verò Christum, ferè semper cum articulo; satis constare posse, Christum non esse Iehouam, &, quod κύριος nominetur, minimè propterea Iehouam nominari.* Si (quod fingit Socinus) illi scilicet malo mederi ea ratione 70 voluerunt, cur id non constanter obseruarunt, vt perpetuò κύριον pro Iehoua sine articulo ponerent? cur tot locis, vt non facilè eorum numerus iniri possit, articulum nomini κύριε præposuerunt? Hoc enim ab ijs factum est ita frequenter; præsertim in psalmis, quos fideles in delicijs habere debent, vt pro Iehoua positum cum articulo ὁ κύριος in omnibus ferè psalmis occurrat, ac non rarò in eodem psalmo bis ter quaterue, immò nonnunquam octies vt psalmo secundum editionem 70 trigesimo secundo, nouies vt ps. XCV. & CII. decies vt ps. XXXIII. &c. Fortè sic vsurpatum cum articulo pro nomine Iehouæ non

occurrit

occurrit in libris Mosis. Immò occurrit multis in locis, vt, exempli causa, Gen. 4. 3. & 8. 20. & 12. 8. & 13. 14. 18. & 18. 17. 33. Fortè non legitur cum articulo in testimonijs Veteris Testamenti, quæ Apostoli conuerterunt & laudarunt in Nouo. Immò legitur, vt, exempli gratia, Act. 2. 25. Rom. 15. 11. 1. Cor. 10. 26. Heb. 8. 11. 1. Pet. 2. 3. Fortè cauent Apostoli, ne nomen κύριε sine articulo de Domino nostro Iesu Christo vsurpent. Immò tam crebrò de eo nomen illud sine articulo vsurpant, vt sic vsurpatum mihi percurrenti Nouum Testamentum plusquam septuaginta vicibus occurrerit. Cum igitur toties nomen κύριος, & pro Iehoua cum articulo, & de Christo sine articulo vsurpetur, apparet hanc Socini responsionem & retorsionem omninò vanam esse; Immò posse in ipsum Socinum retorqueri. Nam si nomen κύριος absque articulo præfixo nomen est Dei Israëlis proprium passim loco Iehouæ vsurpatum; idque nomen itidem sine articulo passim Filio Dei tribuitur à sacris scriptoribus; quis non videt ea ratione sacros auctores innuere non obscurè, Filium Dei esse Deum Israëlis, esse Iehouam?

XX. Sic se habuit primum argumentum à nominis Iehouæ versione & interpretatione, quam ipsi Apostoli probarunt & confirmarunt, petitum. Alterum sequitur ductum ab ipsius vocis Iehouæ etymo & vi. Nulla autem mihi lis erit cum Aduersarijs ea de re. Sequar enim opinionem Crellij. Is *nihil dubitat, veram istius vocabuli pronunciationem esse* Ieheueh *vel* Iihueh, *idque sua natura grammaticis verbum esse, quod significet* erit: *vsu autem nominis induisse naturam, qua ratione etiam prima huius verbi persona* Ehjeh *id est* ero, *aut integra oratio* ero qui ero, *quâ se appellauit Deus, in nomen quoddam migrauit.* Hoc colligit ex Exod. 3. 13. quo *loco*, verba eius transcribam, *Deus quærenti Mosi, quid respondere debeat Israëlitis interrogantibus, quodnam sit nomen Dei illius, à quo se missum assereret, ita, si ex Hebræo locum vertas, respondet*: Ero qui Ero: *quibus subijcit*: Sic dices filijs Israël, Iehoua Deus Patrum vestrorum, Deus Abrahami, Deus Isaaci, & Deus Iacobi, misit me ad vos: hoc est nomen meum in seculum, & hoc memoriale meum in generationem & generationem, *vbi vides, cùm primùm sese appellasset Deus*, Ero qui Ero, *deinde concisiùs*; Ero; *eundem postea verba, quibus Moses ad populares suos vti debeat, formantem, & sic in tertia persona de se loquentem, pro*

Lib. de Deo & eius attributis qui præfixus est VVolkelio cap. 11. p. 76.

Ero *ponere vocem* Iehoua. *Satis autem liquet, Deum in sequentibus verbis non aliud prorsus nomen pro eo, quod priùs sibi indiderat, reponere, sed idem, pro personæ loquentis ratione, diuersimodè formatum repetere. Cùm ergo in prima persona de se loquens, sese vocarit* Ero qui Ero, *vel vna voce* Ero: *certè nunc in tertia persona de se ipso per Mimesin loquens & simplici voce vtens,* Erit *seipsum appellasse censendus est. Id autem Hebræis est* Ieheueh, *vel* Iihueh.

XXI. *Hoc vt fiat planius nonnihil adhuc addendum est*, inquit, *Cùm Deus seipsum appellavit* Ero, *Hebraicè dixit* Ehieh. *Huius tertia persona singularis, masculini generis, si & literas & puncta vocalia nostro more efferas, est* Iihieh, *id est*, Erit. *Verùm quia hæc vox Hebraica in familiari vsu magis versatur; ideo, ne Dei ipsius nomen promiscuo vsu quodammodo profanaretur, sed à verbo illo vulgari facilius discerneretur: cognatum* Ieheueh *vel* Iihueh *eius loco fuit substitutum, quod & minus esset frequens, & eiusdem tamen cum illo significationis, ac vnâ tantum ab illo literâ distaret. Nam loco i penultima litera est v, quæ quidem literæ apud Hebræos nec figura multum distant, & inter se facile commutantur. Tantum autem videtur effecisse nominis diuini reuerentia, vt* Ieheueh *in vulgari etiam ac genuina significatione frequentari desierit.* Hactenus Crellius, qui etiam obseruat, *non ita vocem illam, qua de agimus, nominis æmulari ingenium, vt non suum etiam magna ex parte retineat. Nam nec variationem alijs nominibus vsitatam admittit, nec particulas sibi affigi patitur, quas idem illud verbum aliàs respueret.* Addo simili modo tertias personas masculinas verborum יצחק & יעקב, quorum illud *ridere*, hoc *supplantare* significat, Patriarchis Isaaco & Iacobo nomina propria fuisse.

XXII. Habemus nomen tetragrammaton (quod per puncta vocalia non sua, plerisque omnibus viris doctis & pijs improbantibus, vulgò legitur Iehoua) propriè significare *Erit*, Græcè ὁ ἔσαι, aut ad formam nominis propiùs, ὁ ἐσόμενος, ὁ ἐρχόμενος, *qui futurus est, qui venturus est.* Nunc qua mente, quoue sensu sibi hoc nomen Deus ipse imposuerit dispiciendum est: vel enim propriè significat *eum, qui est fons essendi, & cum non habeat esse ab alio, dat rebus omnibus vt sint*; vel, *eum qui id sit præstiturus quod promisit*; vel aliud quid. Primum affirmat Bellarminus, secundum Crellius, de tertio pòst videbimus. Non quæritur hoc loco an primum illud aut secundum augustissimo illo no-

mine significetur per consequentias quasdam, aut spectata eius, cuius est nomen, naturâ (id enim fortassis à nemine negabitur) sed an significetur eo nomine rectà propriè & formaliter? Socinus respondens Bellarmino mentem suam de nominis illius significatione aperire noluit, tantùm innuit primam illam significationem iure posse cum in dubium reuocari, tum in Bellarminum retorqueri. Ne igitur aut ad eam confugiant Aduersarij, aut eam in nos torqueant, monemus lectorem nostrum, eam posse his argumentis impugnari.

XXIII. Primum ab hoc ipso nomine ducitur, quod, cum sit tertia persona futuri verbi Haua, aut nomen ab ea formatum, propriè & per se futurum significat. Ponitur autem non rarò in Scriptura futurum pro præterito, sed tum futuri significationem deponit, quâ retentâ præteritum aut præsens formaliter significare non potest; ac vt possit, tamen causa nulla est cur à propria futuri significatione discedamus: præsertim cum Deus ipse, quasi quid nominis sibi conueniret prætentans, non præteritum aut participium præsentis, sed futurum *Ehieh*, bis de se vsurparit, innuens in imponendo sibi nomine se futuri rationem habere. Alterum ex eo peti potest, quod si nomen illud significaret formaliter eum, qui fons est essendi, & cum non habeat esse ab alio, dat rebus omnibus vt sint, consequens esset eo nomine aptius nullum fuisse ad historiam creationis, qua Deus dedit rebus omnibus vt sint, describendam; qui igitur factum est, vt toto primo capite geneseos, quo illa historia continetur, & Dei nomen plusquam trigesies repetitur, sacer auctor sibi ab hoc nomine vsurpando temperauerit? Cum enim ea historia, nisi ipso Deo reuelante, cognosci ab homine non potuerit, existimandum non est id casu nulloque consilio accidisse, vt toto illo primo capite nomen *Elohim*, id est, *Deus* vsurparetur solum; Deinde capite secundo, à verbis illis *Hæ sunt generationes cælorum & terræ* &c ad finem vsque capitis, vsurparetur nomen *Iehoua*, non tamen solum, sed sequente *Elohim*. Est igitur absque dubio illius rei ratio aliqua scitu digna, quæ tamen reddi nulla omnino potest positâ illa significatione nominis Iehoua.

XXIV. Tertium argumentum nobis suppeditant verba Dei Exod. 6. 2. quæ sic habent ipso Crellio vertente, *Ego sum Iehoua: apparuique Abrahamo, Isaaco, & Iacobo in (nomine) De*

omnipotentis: at (in) nomine meo Iehoua non sum cognitus illis &c. (Agi autem in illis verbis de reuelatione non ipsius vocis, sed rei per eam significatæ ipso facto seu experimento cognoscendæ, inter omnes conuenit.) Quomodo enim dici potuit Deus apparuisse Patriarchis illis in nomine Dei omnipotentis seu sibi & alijs sufficientis, & tamen non apparuisse illis in nomine Iehoua, si hoc nomen formaliter eum significat, qui fons est essendi & dat alijs vt sint? hoc enim est esse Deum omnipotentem, & si mihi ita loqui liceat, omnisufficientem. Annon etiam Deus illis Patriarchis cognitus fuit vt creator & conseruator & possessor cœli & terræ, quique pro suo arbitrio vterum claudit & aperit? Quomodo verò vt talis cognosci potuit, nec tamen cognosci vt fons essendi, dans alijs rebus vt sint?

XXV. His adde, capi animo non posse, si ea fuit nominis illius formalis & præcisa significatio, quî factum fuerit, vt non modo 70 interpretes, sed omnes Iudæi, omnes Euangelistæ & Apostoli, omnes Christiani aliquot seculis summo consensu nomen illud hebraicè Adonai, græcè κύριον, legerint & verterint? Succurrebant enim alia nomina ad eam significationem exprimendam magis accommodata, Hebræa & græca, verbi gratia, Iah, Hu, Schaddai, El, Eloah &c, ὁ ὤν quo nomine 70. reddiderunt *Ehieh* Exod. 6. & si qua sunt alia similia. Profectò tantus consensus à Deo approbatus non contigit sine instinctu quodam diuino, cuius ratio, admissâ illa significatione, nulla posse reddi videtur.

XXVI. Denique non sine singulari quadam prouidentia Dei accidit, vt tempore aduentus Christi ac reuelationis claræ Euangelij, nomen illud ab omnibus vbique locorum legi & pronunciari desierit, ac in eius locum suffectum fuerit maximo omnium consensu κύριυ nomen, quod Christo non conuenit modò, sed etiam proprium est aliquomodo: tamen huius rei, si fontem essendi, vt Bellarminus dixit, formaliter significat, nulla concipi ratio potest. Debuit enim sub Euangelio maximè Deus vt fons essendi, eiusque omnibus rebus dator, & reuelari, & agnosci, & celebrari ab omnibus gentibus; nec causa vlla fuit, cur nomen quo id significetur splendore Euangelij obscuraretur & obsolesceret. Hæc argumenta examini & iudicio tuo, lector dilecte, libens subjicio, teque, vt ea apud te expendas, rogo & quæso.

XXVII. Altera etiam expositio, *Fidem nempe Dei ac con-*

ſtantiam in ſeruandis promiſſis eo nomine potiſſimum, &, vt loquuntur, propriè & formaliter *declarari*, nec probari poſſe videtur, & poteſt ſimiliter aliquot argumentis impugnari. Dico propriè & formaliter: quin enim per conſequentiam ex eo nomine Dei fides & conſtantia elici poſſit, abſit vt negem. Affirmat quidem Crellius *ex verbis* Dei *Exod. 6. 2. 3. 4. 5. 6. 7. ſatis apparere, ideò Deum ſeſe appellare* Iehoua, *vel potius* Ihueh, *aut* Ieheuch, *id eſt*, Erit, *quia id præſtiturus ſit Iſraelitis, quod ipſorum patribus olim promiſerat.* Certè ex illis verbis ſatis apparet, Deum id præſtiturum fuiſſe Iſraëlitis, quod ipſorum patribus olim promiſerat; ſed eum ideò ſeſe *Ieheuch* vel *Ihueh*, id eſt, *Erit*, appellare, qua firma conſequentia ex illis Dei verbis deduci poſſit, ego quidem non video. Immò cùm tunc Deus in eo verſaretur, vt reipſa id præſtaret quod illis promiſerat, ideò potius *Eſt*, quàm *Erit* appellandus fuiſſe videri poſſit. Futurum enim *Erit* animos Iſraëlitarum à tempore præſenti auocabat, & erigebat in expectationem futuri, & conuerti in præſens, aut præteritum, aut tale quiddam oportebat ſimul ac Deus quod promiſerat præſtitiſſet. Quocircà hoc nomen vel ſignificabat Deum præſtiturum promiſſionem de liberanda poſteritate Abrahami Iſaaci & Iacobi ex Ægypto, eaque in terram Canaam introducenda; vel ſignificabat ſpiritualem liberationem à peccato per Chriſtum obuenturam. Si prius, præſtita & impleta illa promiſſione nomen illud non amplius futurum ſed præteritum ſignificare debuit, ac proinde vel obſoleſcere vel mutari in aliud. Si poſterius, Id jam non longè abeſt ab ea ſententia quam ſequendam duco, ac fatendum eſt, Deum non fuiſſe cognitum Iſraëlitis in nomine illo ſuo Ieheuch vel Ihueh, niſi typicè, &, vt ita loquar vmbratiliter: quod eo æquiore animo accipere eos decuit, quòd ea notitia ne patribus quidem ipſorum Abrahamo Iſaaco & Iacobo indulta fuerat, & ſpes ipſis oſtendebatur fore, vt tandem aliquando eam conſequerentur.

XXVIII. At, inquit Crellius, *illud* Erit, *vel* Ero, *quod plenius antea dixerat*, Ero qui Ero, *nihil ſignificat aliud, quàm reipſa is ero, quem me futurum dixi; ſeu reipſa eum me præſtabo, quem præſtiturum promiſi. Paulò enim aliter atque aliter vox* Ero *bis poſita, in eadem oratione ſumitur per antanaclaſin: prius de facto ipſo; poſteriùs de iure, ſeu manis de obligatione.* Atqui Deus ſe talem aut talem futurum non dixerat, ſed ſe poſteros Abrahæ liberaturum

tùm ὁ κύριος *Dominus* significat, melius igitur responderet nomini Iehouæ ὁ πιστὸς quàm ὁ κύριος, cur igitur nemini venit in mentem vt id nomen verteret τὸ πιστὸν, cum omnes summo consensu id reddiderint κύριον sine aut cum articulo præfixo? Adde quod quamuis opus sit potentia ad præstanda promissa, tamen nemo vnquam dominum dixit, vt constantem in promissis seruandis significaret. His accedit quod posita illa expositione nulla ratio reddi potest, cur sub Euangelio, quo præcipuè Dei fides & constantia in seruandis promissis reuelata & celebrata est, nomen Deo ad eam significandam impositum ac destinatum legi, pronunciari, atque adeò vsurpari desierit, inque eius locum id nomen suffectum sit, quod potentiam quidem significat, voluntatis verò constantiam non item.

XXX. Quid ergo tandem formaliter significabit nomen hoc diuinum? Id quod dixit Crellius, *Erit*, quod græcè per participium melius effertur ὁ μέλλων vt Rom. 5. 14. ὁ ἐσόμενος *futurus* vt Apoc. 16. 5. ὁ ἐρχόμενος *venturus* vt Apoc. 1. 4. 8. & 4. 8. & 11. 17. Heb. 10. 37. Luc. 7. 19. &c. Mouet quæstionem Socinus, *cur Iohannes in Apocalypsi non potius dixerit* ὁ ἔσται, *vel* ὁ ἐσόμενος, *quàm* ὁ ἐρχόμενος? Et respondet, *causam esse in promptu; nempe quia alia ista duo verba videntur omnino significare futuram existentiam eius rei quæ antea non esset; id quod in voce* ἐρχόμενος *non euenit, tunc etiam, cum pro futurus accipitur, optimè enim, immò multò magis propriè, significare potest essentiam futuram rei, quæ iam sit.* Eam non fuisse mentem Iohannis, aut potius Spiritus sancti à quo ad scribendum agebatur, ex eo colligi potest, quod primò quominus ὁ ἔσται accipi posset de futura existentia rei quæ antea non esset, impediebant antecedentia ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν *qui est & qui erat,* Secundò ὁ ἦν similiter videtur significare existentiam rei quæ amplius non est, & tamen nunquam dixit Iohannes ὁ ἦλθε *qui venit,* aut ὁ ἐληλύθει *qui venerat,* sed constanter ὁ ἦν *qui erat.* Tertiò Deus, teste Crellio, passim se vocauit *Ieheueh* seu *Ihueh*, quod propriè significat ὁ ἔσται, ὁ ἐσόμενος qui erit, qui futurus est, haud metuens ne significare videretur existentiam quæ antea non esset. Vera igitur causa meâ quidem sententia est, ne videatur Deus non aliter futurus in Ecclesia, quàm aut fuit olim aut nunc est, fuit enim olim quidem obtinente lege, & est nunc reuelato Euangelio, sed quasi absens ac procul à nobis habitans: in futuro verò

Resp. ad Arg. 6. Class. 1. Vujeki. p. 107.

seculo ita futurus est, vt nobis perpetuò præsens adsit, itaque dicitur *venturus* potius quàm futurus, quoniam ea vox accommodatior erat ad fideles solandos erigendos & ad officium faciendum incitandos, insinuato discrimine inter præsentem & futuram Dei in Ecclesia existentiam.

XXXI. Cur igitur Deus in Veteri Testamento appellari voluit Ieheueh seu Iihueh ὁ ἐσόμενος *Ille futurus*? quia nullum nomen illis temporibus aptius esse potuit ad populum Israëliticum ab idololatria absterrendum, & fidem, qua posset iustificari, in eo excitandam & fouendam. Cum enim Deus Israëlis futuro *Erit*, tanquam nomine suo proprio, quo ab omnibus alijs dijs distingueretur, appellari voluit, nonne eo ipso significauit, alios omnes deos, quantumuis esse viderentur, & ab hominibus colerentur, tandem tamen nullos futuros, vanasque & irritas fore spes eorum, qui eis confisi fuerint: se verò, qui tunc temporis esse non videbatur, & aut à nulla gente, aut à sola Israëlitica agnoscebatur, tandem aliquando futurum esse, hoc est, patefacturum quàm reuera sit?

XXXII. Quatenus igitur hoc nomen Dei Israëlis proprium fuit, ac comparatum ad eum ab omnibus alijs dijs distinguendum & discernendum, ac proinde nulli alij deo conuenire potuit, eatenus in eo continebatur aduersus idola & idololatras
Ierem. 10. 11. comminatio, hoc est, prædictio non obscura destructionis eorum, juxta oraculum *dij, qui non fecerunt cælum & terram,*
Esai. 2. 11. 17. *tollentur de terra, & de sub cælis ipsis.* Et, *Dominus solus exaltabitur in die illa.* nam si de aliquo alio Deo dici potuisset verè illud *Erit*, id proprium non fuisset Dei Israëlis, nec accommodatum ad eum ab eiusmodi deo distinguendum. Quatenus verò futurum fuit aliquo modo præsenti & præterito oppositum, eatenus in eo continebatur promissio seu prædictio futuræ reuelationis Dei Israelis claræ & plenæ, qua tandem aliquando omnibus palam fieret ipsum reuera esse. id quod non potuit non esse maximo solatio piis qui Deum timebant & expectabant, & terrori impijs,
Psal. 10. 5. & 14. 4. quorum *omnes cogitationes sunt non esse Deum.* Atque hæc causa videtur esse, cur tam sæpè Deus mandatis & comminationibus suis illud subjungat & inculcet, se eum esse qui sic vocetur.

XXXIII. Hac nominis illius expositione posita, quæ & voci, & rei conuenit, & ipsa per se admodum momentosa est, &
non

non potest vlla ratione refelli, & valet ad reddendam rationem eorum omnium quæ de nomine illo quæri possunt, sic argumentor. De quocunque verè & propriè dici potuit illud *Iehueh*, vel *Iihueh*, *Erit*, ille est Deus Israelis. De Christo verè & propriè dici potuit illud Iehueh, vel Iihueh *Erit*. Ergo Christus est Deus Israelis. Major vera est: Alioqui nomen illud Iehueh, vel Iihueh *Erit*, nec proprium fuisset Dei Israelis, nec aptum ad eum ab omni alio deo distinguendum. Minor quoque vera est: Nam non potuit Filius Dei annumerari dijs illis, qui tandem aliquando destruendi erant, ac non futuri: erat enim futurus Deus benedictus in secula seculorum, juxta δοξολογίαν omnis creaturæ Apoc. 5. 13. *Sedenti in throno & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum. Amen.*

XXXIV. Dices, illud *Erit* etiam Angelis tribui potuisse. Hoc nego, vocantur quidem dij in Veteri Testamento, & erunt in æternum: At non erunt dij. Immò jam in Nouo Testamento non amplius dii appellantur, sed apparent in ordinem seruorum Filii, quem omnes adorare tenentur, redacti. Nimirum tenebris noctis obtinentibus, ac lucente duntaxat in domo Israelis Mosis ac Prophetarum lucerna, idque ob legis velum & vmbras obscuriùs, mirum videri non debet, si Angeli aliquomodo dii visi & appellati fuerunt: sed sole iustitiæ exorto, & ipso eorum domino, vt loquuntur, in propria persona reuelato, statim diuinitas illa disparuit, nihilque nisi serui esse, & quidem illius, qui apparuit, Domini deinceps videri debuerunt. Dices, Christum tunc nondum fuisse, cum Deus Israelis hoc nomen sibi imposuit. Hoc falsum esse iam multis argumentis inuictis demonstraui. Adde quod nomen istud *Erit* per se & formaliter tantùm futurum significabat, & distinguebat Deum Israelis, habita ratione futuri, non modò à dijs qui tunc colebantur, sed etiam ab ijs, quos diaboli astutia & hominum stulta superstitio erat in posterum relatura in deorum numerum.

Heb. 1. 6 14. Apoc. 19. 10. & 22. 9.

XXXV. Dices vltimo, illud *Erit* non esse nomen proprium Dei Israelis, nisi acceptum κατ' ἐξοχὴν, &, vt ita dicam, antonomasticè: eoque sensu Christo non conuenire. Respondeo id esse falsum. Nam primò nomen proprium non dicitur antonomasticè de eo cuius est nomen proprium. Deinde non significat hoc nomen Deum Israelis futurum magis aut excellentius

quàm ſint futuri alij dij: ſed ſignificat ſimpliciter alios deos non futuros; Deum verò Iſraelis ſolum futurum. Non enim eo diſtinguitur Deus Iſraelis à dijs gentium, quòd, cum vtrique ſint futuri, ille magis aut excellentiori ratione ſit futurus quàm iſti; ſed quòd ſimpliciter ille ſit futurus, hi verò tandem aliquando non ſint futuri. Atque hæc fortaſſe cauſa eſt, cur paulò frequentius ſine articulo κύριος reddatur, quàm cum articulo ὁ κύριος, vt nempe ſignificetur κύριος tunc poni pro nomine, quod accipi debet non antonomaſticè, ſed, vt nomen proprium decet, propriè. Objicies, multas alias res futuras in æternum præter Deum Iſraelis. Fateor alias res futuras, ſed nego alios deos futuros Impoſuit enim ſibi Deus Iſraelis nomen proprium, quo diſcerneretur ab omnibus alijs dijs, non autem quo diſcerneretur ab omnibus alijs rebus, à quibus ſatis ipſo Dei nomine diſtinguebatur. Adde quod ſepoſito originis diſcrimine, ſine quo Filij à Patre nulla eſt diſtinctio, planè talis eſt Filius qualis Pater, tamque perfectè eſt Filius quàm Pater; nam ſi Pater habet vitam in ſeipſo, Filius etiam habet vitam in ſeipſo: ſi Pater viuificat quos vult, Filius etiam viuificat quos vult: ſi Pater habet omnem poteſtatem in cœlo & in terra, Filius etiam habet omnem poteſtatem in cœlo & in terra. Vno verbo, quæcunque ſunt Patris, eadem ſunt etiam Filii, & vice verſa quæcunque ſunt Filij eadem etiam ſunt Patris.

XXXVI. Hoc argumentum eo confirmari poteſt, quod Chriſtus is eſt qui ſua, vt ita loquar, futuritione, ſuo aduentu, atque excellentis ſuæ exiſtentiæ reuelatione deos gentium obſcurauit, extinxit, immò aboleuit jam aliqua ex parte, perfecturus iſtam abolitionem atque omnimodam, vt ita loquar, annihilationem illuſtri illo ſuo aduentu quem expectamus. Ea enim eſt Chriſti perſona, vt hoc ipſo quod verè & vti par eſt, agnoſcitur, deſinant pro diis haberi aut coli omnia fictitia numina. Itaque meritò illud *Erit* de eo vſurpari potuit.

XXXVII. Huc accedit quod Deus Iſraëlis ſibi futurum *Erit*, vel plenius, vt Gen. 2. & paſſim alibi, *Erit Deus*, tanquam proprium nomen, quo ab omni alio diſcerneretur, imponendo ſignificauit apertè, ſe Dominum mundi eſſe, & quidem ſolum. Quemadmodum enim cum amplæ alicuius poſſeſſionis dominus, vel mortuus ſine hærede, vel nullus eſſe falsò putatur, eamque alij tanquam vacuam occupant ac inter ſe partiuntur; ſi

tandem aliquando Dominus illius legitimus reuera esse & viuere docetur ac demonstratur, eo ipso jure omni illi excidunt, qui bona eius occupauerant sibique ipsis asseruerant; sic cum Deus mundum quem creauerat, conseruaret, & regeret, vt Dei naturam prorsus inuisibilem & spiritualem decebat, inuisibili & spirituali modo, nec is vspiam in terris compareret, ac propterea nullus esse videretur, in mundi possessionem, quasi caducam & vacuam, dij multi inuolarunt, sibique multi homines deos pro arbitrio vel finxerunt vel elegerunt; vt nulla gens reperiri posset in toto mundo non occupata ab aliquo eiusmodi deo. Hâc tanta injuriâ sibi illatâ Dominus mundi dissimulatâ, eiusque vltione in certum quoddam tempus futurum mirabili eoque sapientissimo consilio dilatâ, interim gentem vnam valdè exiguam manu forti, brachio extento, multis miraculis, multis prælijs & victorijs ab injusto dominio redemit, sibiq; vero & legitimo domino, veluti primitias generis humani, vendicauit; ac dum tempus illud expectaret, quo se aliis gentibus totique adeò mundo reuelaret quàm verè sit, eaque ratione omnes alios deos sua illa possessione quam vsurparunt exueret, is sibi nomē proprium sumpsit, quo se totius mundi dominum esse insinuauit, nempe *Erit Deus*, vel concisiùs *Erit*: Eo enim significatum est, tandem aliquando tempus futurum, quo probatâ & demonstratâ Dei Israelis existentiâ, omnes alii dii omni iure, quod in mundum seu gentes habere videbantur, excidant priuenturque in perpetuum: quod est significare, Deum Israelis solum esse verum ac legitimum totius mundi Dominum.

XXXVIII. Hinc fortasse colligi potest ratio, cur nomini isti sæpenumero subjungatur nomen *Elohim*, id est, *Deus*, nonnunquam verò præmittatur *Adonai*, id est, *Dominus*. Nempe Elohim Deus, significat eum, qui potest vi sua operationes edere miraculosas, seu quæ naturæ vim superant: Et dicitur Deus eius vel populi vel hominis, quem in suam veluti fidem & clientelam recepit contracto cum eo fœdere. Id quod à nobis Deo dante probabitur alio loco. Hæc cum gentes omnes suis omnibus diis tribuerent, vna potissimùm inter fideles & idololatras versabatur controuersia, quis esset Deus? Ieheueh, exempli gratia, an Bahal? quam controuersiam isto suo nomine Deus significat tandem aliquando certo tempore futuro definitum iri, seque causam victurum: tunc enim se futurum Deum, præter se verò ne-

minem. Adde quòd si Israëlem cum alijs gentibus conferas, Deus quidem olim Israelis Deus erat, Gentium verò aliarum non item. Latebat igitur in eo nomine etiam vaticinium, fore, vt sancito nouo fœdere, cum ipsorum Iudæorum noua quadam ratione, tum aliarum gentium euaderet Deus. Ex quo intelligere est cum verbo illo *Erit*, vt ita dicam, nominascente conuenientissimè nomen Elohim sic junctum fuisse, vt illud præcederet, hoc sequeretur. Dispar verò ratio est nominis *Adonai*, quod *Dominum* significat: neque enim ea propriè fideles inter & idololatras erat quæstio, vter esset totius mundi dominus, verbi gratia, Iehoua, an aliquis alius? Dominum enim absolutè siue totius mundi, vel nullum agnoscebant Idololatræ, vel vnum tantùm putabant esse reliquorum deorum regem, ac propterea τῷ Ieheueh seu Ihueh, Erit, non subjungitur Adonai Dominus vt prædicatum, sed præmittitur potius vt subjectum, de quo prædicetur futura existentia, vt sit sensus, eum, qui iure totius mundi est Dominus, tandem aliquando futurum esse, hoc est, quàm verè sit ostensurum, quod fieri non potuit, quin eo ipso iure & vsurpatione sua exciderent omnes alij dij, & malè esset idololatris ac rebellibus, benè fidelibus ac pijs.

XXXIX. Patet ex dictis cum Domino absolutè, seu totius mundi, reciprocari hoc nomen. Atqui negare non possunt Aduersarii, quin Dominus noster Iesus Christus sit Dominus totius mundi. Vocatur, ipsis confitentibus, *Dominus totius terræ*, & jubentur *eum adorare omnes Angeli*. Psal. 97. 5. 8. Heb. 1. 6. *cui autem angelici parent exercitus*, inquit ipse Crellius, *quid non pareat?* Habet omnem potestatem in cœlo & in terra. Præest toti mundo non tanquam alienæ domui, sed tanquam suæ, non tanquam vicarius Domini, sed tanquam Dominus, proprietarius, Patris Filius vnigenitus, ac hæres ex asse.

Apud VVolk. lib. 1. de vera Rel. cap. 11. p. 79.

XL. Ad superiora hoc etiam accedit, quod, vt jam obseruaui non sine singulari quadam prouidentia Dei factum est, vt Deo reuelato in carne legi & pronunciari desierit hoc nomen ab omnibus tam Iudæis quàm Christianis. Id enim superstitioni Iudæorum ascribi non debere ex eo colligi potest, quod ea superstitio, vt aliæ omnes Iudaicæ, per Christum vel eius Apostolos sublata fuisset de Ecclesia. Quid enim obstare potuit, quominus Christus eiusque Apostoli id nomen æquè, ac Moses olim & Prophe-

tæ, vsurparent? aut Christianis exponerent? aut etiam, vt alia multa nomina hebræa, Nouo Testamento insererent? neque enim aut persecutionis aut scandali metu absterreri solebant, quominus liberè superstitiones Iudæorum, etiam eas quæ parui momenti videri possent, reprehenderent. Cur igitur nomen istud non vsurparunt? cur loca Veteris Testamenti laudantes in quibus extat, illud *κύριον* reddiderunt quasi eius loco, & legissent ipsi pro Iudæorum more, & legi vellent *Adonai*? Non enim decebat Ecclesiam Christianam hac in re deteriorem esse Iudaicâ antiquâ, quæ id Dei nomen legere & pronunciare sciuit, & frequenter vsurpauit. Huius profectò rei alia ratio reddi non potest quàm ista, contineri in eo nomine vaticinium, quod Christi aduentu impletum fuit: Illud enim nomen propriè significare *Erit*: itaque Deum significare relatè ad certum quoddam tempus futurum, quo præsente aut præterito obsolescere debuit, & in aliud mutari tempori illi conuenientius. Quod tempus diuina prouidentia anticipari voluit à græca versione, quam in græcorum, ad Euangelium suo tempore recipiendum præparandorum, gratiam concinnari curauit. Cum igitur in eo nomine prædictio contineretur de Domini nostri Iesu Christi, vt ita loquar, futuritione, non sine admirabili quadam Dei prouidentia accidit, vt hoc nomen veluti antiquaretur, eiusque loco Euangelii tempore id nomen summo omnium consensu legeretur, quod Christo non conuenit modò, sed singulari quadam ratione tanquam proprium vendicatur. Vt quemadmodum olim nomen illud fidelium animos erigebat in expectationem futuri, sic nomen, quod eius loco nunc legitur, confirmet, eum qui erat futurus venisse, ac esse illum qui singulari ratione Dominus appellatur. Eadem Dei prouidentia oblato vero sacrificio, quo peccata mundi expiata sunt, curauit templum Hierosolymitanum dirui, & cauit ne possent Iudæi sacrificia deinceps secundum legem offerre.

XLI. At, objiciet fortasse aliquis, nondum impletum fuit quicquid eo nomine prædicebatur. Nempe, referebatur nomen illud, *Erit*, ad vtrumque aduentum Christi: Eius enim impletionem primo aduentu inchoari, secundo perfici oportuit. Porrò Dominus ratione primi aduentus *futurus*, ratione secundi *venturus* magis propriè dici potuit. Primo enim aduentu futurus erat id quod non erat, nimirum homo, necnon Deus omnium

Heb. 10. 37. gentium pacto cùm eis nouo fœdere. Secundo verò aduentu nihil eius producetur. Itaque nunc potius ὁ ἐρχόμενος *venturus*, quàm ὁ ἐσόμενος *futurus* appellatur. Adde quod secundus aduentus est primi consequens ita necessarium, itaque clarè & disertè passim in Nouo Testamento prædicitur & inculcatur, vt fieri non possit, quin credat secundum, quicunque credit primum: ac propterea nihil opus fuit eiusmodi nominis vsurpatione futurum illum aduentum obscurè innuere, sed satius multò fuit illius nominis, vt ita loquar, antiquatione Iudæos gentesque admonere, mundi Dominum & Seruatorem jam venisse: id quod omni genere argumentorum Deo confirmare placuit: Eaque de causa etiam illos typos abrogare, quorum veritas maxima ex parte pendet ex secundo Christi aduentu. Nimirum, vt dixi, qui primum aduentum credit, is necessariò etiam credit secundum. Et nomen illud, *Erit*, erat consentaneum œconomiæ Veteris Testamenti, quæ tota in futurum tendebat, ac proinde cum illa abrogandum: congruebat etiam cum statu illius, qui nondum sese quis esset clarè & distinctè ostendisset mundo; haud verò æquè cum statu illius, qui se quis esset contemplandum cuilibet exposuisset.

XLII. Ergo, inquiet aliquis, nomen illud, *Erit*, proprium fuit Filij? Sanè, sed non ita, quin tribui potuerit, & tributum fuerit persæpè Patri. Pater enim est in Filio, & Filius in Patre: Pater & Filius vnum sunt: nec facilè potuit alter ab altero sub œconomia V. Test. internosci. Quanquam etiam in luce N. T. ita proprium est Patris nomen *Dei*, vt tamen tribuatur etiam Filio & Filij nomen *Domini*, vt tamen tribuatur etiam Patri. Nihil enim impediebat, quominus ab eo, quod peculiari quadam ratione proprium erat Filij, desumeretur nomen ad significandum Deum siue indistinctè vt Dominum, siue distinctè modò Patrem, modò Filium, modò etiam Spiritum sanctum pro locorum ratione & circunstantijs; præsertim cum id non ita proprium esset Filij, quin Patri etiam & Spiritui sancto tribui posset, licet minus propriè, & non sine aliquo ad Filium respectu. Atque hæc dicta sunto de sacrosancto illo nomine.

XLIII. Ne autem hæc sola disputatio sine certo Scripturæ testimonio abeat, duo loca subnectam: alterum è veteri, alterum è Nouo Testamento. Prior extat Ose. 1. 7. *Domus verò Iuda miserebor, & seruabo eos per Dominum Deum ipsorum, & non serua-*

uabo eos per arcum, nec per gladium, nec per bellum, nec per equos aut equites. In quibus verbis distinguntur duæ personæ: vna quæ miseretur & seruat; altera per quam illa seruat: vtraque appellatur Dominus (vulgò Iehoua.) Si consulis Euangelium, illa est Pater, hæc Filius. Seruat enim nos Pater per Filium: nam *non est in alio aliquo salus, nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Argumentum sic habet. Act. 4. 12.
Ille per quem Deus pater erat Ecclesiam seruaturus est Dominus Deus. Christus est ille per quem Deus pater erat Ecclesiam seruaturus. Ergo Christus est Dominus Deus.

XLIV. Quid potest responderi, nisi in loco illo Oseæ, aut non agi de salute spirituali; aut per Dominum Deum Iudæorum illum ipsum intelligi qui seruaturus dicitur, vt sit sensus, Ego seruabo eos per me ipsum; aut denique per Dominum deum Iudæorum intelligi posse Spiritum sanctum? Atqui horum nullum responderi potest. Non primum: Argumentabor enim à minori ad majus. Nam si salutis temporalis Iudæorum, quæ præ spirituali & æterna nullius est momenti, non modo causa quæ seruaret debuit esse Dominus Deus, sed etiam causa media per quam salus fieret, quanto magis existimandum est salutis spiritualis & æternæ causam non modo eam quæ seruat, sed etiam eam per quam salus fit, esse Dominum Deum? Hoc primum. Deinde quæ salus temporalis intelligeretur? Annon ea præcipuè, qua Iudæi liberati sunt à rege Assyriorum Angeli opera? vel igitur Angelus ille erat Dominus Deus Iudæorum, vel non erat. Si non erat, quomodo dixit Deus, se Iudæos seruaturum per Dominum Deum ipsorum? Intelligere enim eum causam mediam, &, vt ita dicam, instrumentalem verba quæ sequuntur docent, *& non seruabo eos per arcum, nec per gladium* &c. Si erat; non igitur erat naturâ angelus, seu angelus creatus: alioqui angelus creatus fuisset à Iudæis religiosè colendus & adorandus, & pro Domino Deoque suo habendus, duoque fuissent Domini (Iehouæ) diique Iudæorum totis essentiis diuersi, id quod quàm sit absurdum & pugnans cum Lege nemo, opinor, non videt. Præterea Deum loqui de salute spirituali, quæ in alio non est quàm in Christo, patet ex nominibus Iisreel, Lo-ruhama, Lo-ammi & V. 10. ac seqq. necnon ex alijs vaticinijs, Esai. 45. 17. *Israël seruabitur per Dominum salute æterna*, Esai. 35. 4. *Deus ipse veniet, &*

seruabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum &c.

XLIV Non potest etiam responderi secundum: opponitur enim Dominus Deus hoc loco arcui, gladio, bello, equis, equitibus, *Seruabo*, inquit, *eos per Dominum Deum ipsorum, & non seruabo eos per arcum, nec per gladium, nec per bellum, nec per equos & equites.* Tenet igitur inter causas salutis eum locum Dominus Deus, quem tenerent equites, equi, bellum, immò gladius & arcus, si per eiusmodi instrumenta salus fieret. Tenet autem eum locum in salutis negotio, non ipse Deus pater, sed eius Filius. Pater non seruat immediatè per semetipsum, sed seruat mediatè per Filium. Filius igitur est ille Dominus Deus per quem Pater seruat. Dicitur enim seruaturus Iudæos per Dominum Deum ipsorum, vt excludat alias causas medias seu instrumentales, vt patet ex verbis sequentibus. Itaque significat Dominum Deum fore illud, vt vulgò loquuntur, medium, illud, vt ita dicam, instrumentum per quod seruandi erant.

XLV. Tertium denique responderi non potest ab Aduersarijs: negant enim Spiritum sanctum Deum appellari in sacris literis. Deinde Spiritus sanctus distinguitur à Deo patre. Si igitur is est Dominus Deus Iudeorum, duæ erunt personæ distinctæ appellatæ Dominus Deus, Pater & Spiritus sanctus: (Est enim sine dubio Dominus Deus Iudæorum persona) & cum Filius soleat medius poni inter Patrem & Spiritum sanctum, & dicatur mittere Spiritum sanctum, & Spiritus sanctus esse Spiritus Filij dicatur, erit Filius medius inter Deum & Deum, & mittet Deum, & eius Spiritus erit Deus. quod quomodo esse possit, si Filius nihil est nisi homo seu creatura, haud sanè intelligo. Adde quod is qui proximè per Spiritum sanctum seruat est Filius, vt enim Pater misit Filium, sic Filius misit Spiritum sanctum, & per eum Ecclesiam illuminat sanctificat consolatur regit.

XLVI. Alter locus habetur Rom. 10. 13. *Quicunque inuocauerit nomen Domini seruabitur*, quod oraculum petitum est ex Ioele 2. 32. vbi est nomen tetragrammatum, quod Apostolus vertit κύριον, id est, *Dominum.* Si igitur probauero per *Dominum* eo loco Christum intelligi debere, probauero vtique Christum esse, vt vulgò legunt, Iehouam. Id autem probo, quia idem sine dubio Dominus intelligitur ℣. 13. qui ℣. 12. proximo. Alioqui Apostolus paralogismum commisisset. Cum enim dixisset ℣. 12.

eundem

eundem esse Dominum omnium, diuitem in omnes à quibus inuocatur. Id probauit ℣. 13. testimonio Dei apud Ioëlem, cuius sunt hæc verba, *quicunque inuocauerit nomen Domini seruabitur.* Si igitur alius Dominus ℣. 12. alius ℣. 13. intelligendus esset, hicque, vt volunt Aduersarij, absque illo inuocari posset, peccaret argumentatio Apostoli ignoratione Elenchi, in eaque essent quatuor termini. Iam autem ℣. 12. per Dominum intelligendum esse Christum, manifestum est: nam & nomen Domini, & quæ de Domino eo versu dicuntur Christo conuenire in confesso est; & tractabat Apostolus de fide in Christum; & quicquid de Domino dixit ℣. 12. id dixit vt confirmaret quod posuerat ℣. 11. proximè antecedente, *Quicunque credit in eum non pudefiet*, per *eum* autem Christum intelligi patet cum ex verbis antecedentibus, tum ex illis ipsis verbis: petita enim sunt ex Esai. 28. 16. quo loco agi de Christo cuius perspicuum est.

XLVII. Addam velut cumulum tertium locum ex eodem Zacharia cap. x. ℣. 12. *Confortabo eos in Domino, & in nomine eius ambulabunt, dicit Dominus.* Quis enim non videt eum Dominum, qui hoc dicit, distinguere se à Domino, in quo sit eos confortaturus, tanquam ab alia persona? Cum enim dicit, *confortabo eos in Domino*, siue *per Dominum*, distinguit personam quæ confortat ab ea per quam confortat, vt in superiore loco, *seruabo eos in Domino Deo ipsorum*, siue *per Dominum Deum ipsorum*, distinguit personam quæ seruat ab ea per quam seruat, & vtramque Dominum vocat. Deinde cum addit, *& in nomine eius ambulabunt, dicit Dominus*, clarius adhuc distinctionem personarum reuelat: distinguit enim sese pronomine *Eius* is Dominus qui loquitur ab eo Domino de quo loquitur, tam certè, quàm apud eundem Zachariam cap. 2. 8. Dominus exercituum, cuius hæc sunt verba, *Quoniam qui vos tangit, tangit pupillam oculi eius*, eodem pronomine *Eius* sese apertè distinguit à Domino exercituum, à quo se profitetur missum fuisse. Constat autem nos & in Christo seu per Christum confortari, & in eius nomine ambulare.



DISPVTATIO
TRIGESIMA TERTIA

De Arg. XXXIII. Ex Zach. 2. 8. &c. *Quoniam sic dicit Dominus exercituum, post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliauerunt vos. &c.*

I. LAVDABO adhuc quædam testimonia petita è Zacharia. Primum habetur cap. 2. ℣. 8. *Quia, sic dicit Dominus exercituum, Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliauerunt vos: propterea quod qui tangit vos, tangit pupillam oculi eius: propterea ecce ego agito manum meam super eos, & erunt præda seruis suis, & scietis quod Dominus exercituum misit me.* In his verbis duæ personæ distinguuntur, vna quæ mittit, altera quæ mittitur, vtraque appellatur Dominus (Iehoua) exercituum. Quæ mittit est Deus Pater, nonne? Quæ mittitur si non est Filius Dei, quænam est?

II. Huic testimonio alterum addo ex eodem cap. 2. ℣. 10. & 11. *Lauda & lætare filia Sion, quoniam ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus: & adiungentur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui: & scies quod Dominus exercituum misit me ad te.* Hic quoque Dominum (Iehouam) loqui manifestum est, & tamen is se missum profitetur à Domino exercituum.

III. His duobus testimonijs tertium adjungam ex cap. 4. ℣. 8. *Et factum est verbum Domini ad me dicens, Manus Zorobabel fundauerunt domum istam, & manus eius perficient eam; & scies quod Dominus exercituum misit me ad vos.* Potuitne clarius duarum personarum diuinarum distinctio proponi? Quænam autem persona diuina missa fuit vel ad host es populi Dei subigen-

dos, vel ad gentes ad Dominum conuertendas, & sibi in populum fœdere inito comparandas, vel ad Domum Dei ædificandam, vel ad omnia illa agenda? Annon Filius?

IV. Addi potest & quartum testimonium ex cap. 6. 13. *Hæc ait Dominus exercituum, dicens, Ecce vir, oriens nomen eius &c, & qui procul sunt venient & ædificabunt in templo Domini, & scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri.* Negari enim non potest, quin verba, *Et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos*, eius sint cuius antecedentia: sunt autem antecedentia verba Domini exercituum, vt patet ex ℣. 13. Profitetur ergo Dominus exercituum se missum fuisse à Domino exercituum, nempe Filium à Patre.

V. Quid respondet Socinus? *Breuiter*, inquit, *ex hoc argumento, si rectè conclusum esset, nihil aliud posset colligi, nisi duos esse, quorum vterque sit & vocetur Dominus siue Iehoua exercituum; sed quod alter eorum sit Christus, nullo modo.* Hoc verò jam multum est. Nam si duo sunt, quorum vterque sit & vocetur Dominus exercituum, falsa sunt Aduersariorum placita, solam Patris personam esse Dominum exercituum, nec esse nisi vnicam personam præditam essentia diuina; conciduntque omnes illæ rationes, quibus pluralitatem personarum diuinarum oppugnare soliti sunt. I. Resp. Refut. Cap. IV. Resp. ad 7. cap. Vujeki Class. 2 Arg. 7

VI. Deinde longius progredior, & quæro, quis sit ille Dominus exercituum, qui se profitetur à Domino exercituum missum esse? Is sine dubio est aut Pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus: merus enim angelus non est Dominus seu Iehoua exercituum. Num igitur est Pater? *Nulla causa est*, inquit Socinus, *cur Pater ipse siue à Filio, siue à Spiritu sancto mitti non possit, si modo omnium trium & vniuscuiusque ipsorum eadem per omnia est dignitas, potentia, atque maiestas; vt ipsi trinitarij contendunt.* Ponamus igitur Patrem missum dici hoc loco à Domino exercituum; siue ponatur missus à Filio, Filius erit Dominus exercituum, siue ponatur missus à Spiritu sancto, Spiritus sanctus erit Dominus exercituum; quod vtrumque pugnat cum Aduersariorum dogmate. Sed quominus per Dominum exercituum missum à Domino exercituum Patrem intelligamus, obstant duo. Vnum, quod à Patre missus Filius, missus Spiritus sanctus sæpè legitur, missus verò Pater à Filio aut à Spiritu sancto nunquam. Itaque Ibidem

qui diceret missum fuisse Patrem, is non consentanea Scripturæ diceret, & à forma seu exemplari saniorum sermonum discederet. Alterum quod inuerteretur ordo naturæ, nec seruaretur decorum, si mitteretur Pater vel à Filio quem genuit, vel à Spiritu sancto qui ab eo procedit. Naturæ enim seu essentiæ æqualitas personarum nec originem tollit, nec consentaneum origini ordinem.

VII. Estne igitur Spiritus sanctus? Is certè à Patre, immò à Filio missus est: Nec admodum refert eumne an Filium intelligas hoc loco. Nam si Spiritus sanctus est Dominus exercituum missus à Domino exercituum, Spiritus sanctus est persona, Spiritus sanctus est Deus; quod vtrumque negant Aduersarij. Hactenus igitur causam vicimus. Deinde si Spiritus sanctus est Dominus exercituum, isque, vt Euangelium docet, & Socinus agnoscit, mittitur à Filio, necesse est vt Filius etiam ipse sit Dominus exercituum. Quid enim? mittereturne creator à creatura, Dominus à seruo, Iehoua exercituum ab homine?

2.Resp. Refut. VIII. Non contentus igitur prima illa responsione Socinus ad alteram confugit, & negat, istum, qui dicit, se esse missum à Domino exercituum, esse Dominum exercituum. Atque vt ad primum testimoniũ ex quatuor illis quæ laudauimus, respondeat, obseruat, eum qui apud Zachariam ista verba pronunciat, *Hac* Ibidem *dicit Dominus exercituum, Post gloriam &c, esse angelum illum alterum, qui occurrit angelo loquenti cum Zacharia; quem etiam alloqui cœperat à v. 4. & pergit vsque ad finem cap: & in ipso sermonis initio facit mentionem Zachariæ, cui vult vt dicat ea, quæ sequuntur, inquiens*, Loquere ad puerum istum, dicens, Absque muro, &c. *Itaque apparet, quod præter illum, qui verba ista pronunciat*, Hæc dicit Dominus &c, *adsunt ibi, ipso sciente, cum quibus etiam loquitur, alij duo seu duæ aliæ personæ; nempe Zacharias, & angelus qui ab ipso prophetiæ initio cum ipso loquebatur. Hoc, quod apertissimum est, constituto, Dico*, inquit, *pronomen Me in verbis illis*, misit me, *non ad Dominum exercituum, sed ad alterum istum angelum, qqi verba illa*, Hæc dicit Dominus, *profert, referendum esse, qui quamuis Dominum exercituum loquentem videatur inducere, tamen re ipsa nihil agit aliud, nisi narrat, quid Dominus exercituum dicat; hoc nimirum pacto*: Hæc (*siue vt est in hebræo* Sic) dicit Dominus exercituum, quòd post

gloriam, &c. *Nam particulā Quòd frequentissimè in sacris literis subaudiendam esse, nemo est qui ignoret.* Hactenus Socinus, qui addit, *Misit* positum esse pro *Mittet*, præteritum pro futuro. Hæc porrò eius interpretatio tribus aut quatuor argumentis refelli potest.

IX. Primum ipse sibi Socinus objecit, & sic se habet. Quotiescunque apud Prophetas pronunciantur verba ista, *Sic dicit Dominus*, toties id quod postea subjungitur Dominum dicere, ex ipsius Domini persona dicitur, ipseque Dominus reuera loquens inducitur. Hoc autem loco apud Zachariam prophetam pronunciantur verba ista, *Sic dicit Dominus.* Ergo id quod subjungitur Dominum dicere, videlicet *Post gloriam misit me ad gentes &c.* id reuera ex ipsius Domini persona dicitur. *Respondeo,* inquit Socinus, *istud, quamuis alibi fortasse perpetuò fiat, hic nullo pacto potuisse fieri. Propterea quia, vt docui, duæ aliæ personæ aderant, ipso sciente & cum eis loquente, qui verba ista,* Sic dicit Dominus &c *proferebat. Oportebat enim, si dominum ipsum loquentem inducere voluisset, ac dicentem quod se missurus esset, vt ad hunc modum dixiset,* Sic dicit Dominus exercituum, Post gloriam mittam te ad gentes, *& addidiset, non quidem, vt nunc legimus,* quæ spoliauerunt vos, *sed* quæ spoliarunt populum meum, *aut aliquid simile. Hoc posterius inefficacius fuisset, nec benè expressisset, istos spoliatos pertinere ad Zachariam, eumque ex illorum numero esse, vt exprimit pronomen vos. Prius autem illud incertum reddidisset, quis esset ille, quem missurus esset Dominus exercituum; an scilicet angelus ipse, qui eius verba referebat, an verò alter eorum qui præter ipsum aderat, & vter ipsorum: sed præcipuè an alter ille angelus. Verum angelus qui Domini exercituum verba referebat, volebat (idque sanè velle, aut tacere debebat) istos duos qui aderant, certò scire se eum esse, quem Dominus exercituum missurus esset, & propterea coactus fuit seipsum expreßè per pronomen Me nominare; quod facere non potuisset, si ipsum Dominum loquentem reuera induxisset, & non simpliciter, vt sine dubio fecit, quid diceret, retulisset.* Subrisi cum vidi Socinum id probare aggredientem, quod probari non potest, & miratus sum hominis molimen aggestis tribus aut quatuor hypothesibus falsis aliam quandam falsitatem superilligantis.

X. Prima eius hypothesis est, eum qui apud Zachariam ver-

ba ista pronunciat, *Quoniam sic dicit Dominus exercituum*, non esse Dominum (Iehouam) quam hypothesim falsam esse patet ex verbis antecedentibus & conjunctione causali *Quoniam*. Quæ enim antecedunt immediatè sunt verba Domini, *O ô, fugite de terra aquilonis, dicit Dominus, quia in quatuor ventos cæli dispersi vos, dicit Dominus. O Sion seruare, quæ habitas apud filiam Babylonis. Quoniam sic dicit Dominus exercituum &c.* Quis enim non videt, verba ista, *quoniam sic dicit Dominus* &c, eiusdem verba esse, cuius sunt antecedentia, *O Sion seruare &c*, & hæc eiusdem esse cuius sunt superiora *O ô fugite de terra aquilonis &c?* Secunda eius hypothesis est pronomine *vos* in verbis *post gloriam misit me ad gentes quæ spoliarunt vos*, Prophetam compellari, id quod etiam falsum esse verba illa antecedentia & conjunctio *quoniam* docent: apparet enim esse Apostrophen ad Sionem, hoc est, Ecclesiam apud Babylonios degentem: erat autem Propheta tunc in Iudæa redux à captiuitate.

XI. Tertia hypothesis est, consilium eius, qui verba illa pronunciat, *quoniam sic dicit Dominus*, esse, exprimere istos spoliatos pertinere ad Zachariam, eumque ex illorum numero esse, idque exprimere pronomen vos. Hoc quoque falsum esse perspicuum est ex verbis proximè antecedentibus & causali *quoniam* Manifestum enim est hæc verba, *quoniam sic dicit Dominus &c*, rationem reddere, cur sit fugiendum Sioni seu fidelibus ex Babylone, iisque regionibus in quas dispersi fuerant. Intelligitur autem Babylon non tam propriè, quàm figuratè & spiritualiter sic dicta, vt patet, primò ex promissione antecedente ℣. 4. *Absque muro habitabitur Ierusalem præ multitudine hominum & Iumentorum in medio eius &c.* Tam enim post captiuitatem Babylonicam propriè dictam quàm anteà terrena Ierusalem cincta muro fuit. Deinde ex promissione sequente ℣. 10. *Lauda & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus: & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa &c.* Hoc enim demum temporibus Noui Testamenti impleri cœptum est. Tum ex illis ipsis verbis, *O, ô, fugite de terra Aquilonis &c. O Sion fuge quæ habitas apud filiam Babylonis.* Reditus enim Iudæorum è Babylone typica in Iudæam fuga propriè non fuit. Denique ex subjecta ratione, *quia, sic dicit Dominus exercituum, Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliauerunt vos &c*, hoc est,

quia missus sum ad puniendas gentes quæ vos afflixerunt, itaque fugite è medio earum, vt plagas quibus afficientur effugiatis, id quod in Apocalypsi cap. 18. ℣. 4. exprimitur his verbis, *Exite è Babylone popule mi, ne participes sitis peccatorum eius, & ne ex plagis eius accipiatis.* Id quod non video quomodo de Babylone propriè dicta commodè accipi potuerit. Adde quod illa verba, *Post gloriam*, non sunt temerè adjecta, sed ad missionis tempus, &, vt ita loquar, naturam innuendam. Est enim Domini missio duplex, vna quæ gloriam eius antecessit, de qua passim in Euangelio, comparata duntaxat ad seruandum. Altera quæ glorificationem eius sequetur, de qua Act. 3. 20. comparata ad liberandos fideles afflictos, & affligendos eos à quibus affligebantur, vt liquet ex 2. Thess. 1. 6. 7. qui locus egregius est huius commentarius. Videatur etiam Luc. 17. 28. 32. Falli etiam mihi videtur Socinus, cum putat per puerum siue Iuuenem ℣. 4. Zachariam prophetam esse intelligendum. Intelligitur enim potius vir ille, quem Propheta viderat cum funiculo mensorio euntem mensum Ierusalem. Hoc duo docent, Primò Mandatum *curre*: opus enim erat cursu, non vt Prophetam stantem, sed vt virum illum euntem, & jam aliquo memorabili interuallo distantem assequeretur. Deinde id quod iubetur angelus ei dicere: videtur enim pertinere ad eum à proposito dimouendum: monet enim futuram Ierusalem adeo amplam, vt sub certam mensuram cadere non possit.

XII. Quarta eius hypothesis est, verba, *quoniam sic dicit Dominus, &c,* non Domini, sed meri angeli verba esse, quæ prima est hypothesis jam conuictæ falsitatis, sed ei aliam Socinus adjungit, nimirum, hunc *angelum voluisse istos duos, qui aderant, certò scire se eum esse, quem Dominus exercituum missurus esset.* Vnde quæso innotuit Socino angeli illius, si tamen angelus fuit, talem fuisse voluntatem? *Id*, inquit, *velle aut tacere debebat.* Itane, mi homo, tenes tam accuratè quod illius angeli officium fuerit? Vah, quàm sapiens es! Vt veritas illustrior fiat, demus (quanquam id falsum est) sed demus tamen Aduersarijs, illum qui dicebat, *quoniam sic dicit Dominus*, nihil nisi angelum fuisse; Demus eum qui missus vel mittendus dicitur, nihil etiam nisi angelum fuisse; Demus illum ipsum angelum, cuius sunt hæc verba, *quoniam sic dicit Dominus*, eum fuisse, quem Dominus missurus

erat. Cum nihil angelus bonus faciat nisi admodum prudenter, nihilque à Prophetis scriptum fuerit nisi propter ædificationem Ecclesiæ; quæro cur iste angelus duos illos qui aderant, Prophetam scilicet, & Angelum qui cum eo loquebatur, voluisset certò scire, se eum esse, quem Dominus esset missurus? grauem enim profectò causam subesse oportuit, cur mallet perpetuam & nunquam antea violatam Scripturæ consuetudinem, non sine certo periculo conjiciendi Ecclesiam in errorem momentosum, violari, quàm non certò sciri à duobus illis, se eum esse, quem Dominus missurus esset. Quid tamen id faceret ad ædificationem aut consolationem Ecclesiæ, illum Angelum mitti potius quam eum, qui cum propheta colloquebatur, aut alium aliquem, vel assequi nequeo, vel id tanti non videtur, vt propterea violari tam periculosè mos Scripturæ tam constans debuerit.

XIII. His falsis hypothesibus Socinus alias falsitates superstruxit, videlicet non potuisse angelum duo illa exprimere, & de numero spoliatorum illorum esse Prophetam, & se eum esse quem Deus esset missurus, si ipsum Dominum loquentem induxisset; ac propterea coactum fuisse seipsum expresse per pronomen Me nominare. Non potuisse enim Dominum ipsum loquentem inducere, nisi ad hunc modum, *Sic dicit Dominus exercituum, Post gloriam mittam te ad gentes &c.* Falsa omnia. Dato enim quod meri angeli verba illa fuerint, *Sic dicit Dominus*, Et quod voluerit vtrumque illud exprimere, tamen potuit ipsum Dominum loquentem inducere & nihilominus vtrumque illud exprimere, hoc modo, sic dixit ad me Dominus exercituum, post gloriam mittam te ad gentes, quæ spoliarunt populum meum; quoniam qui tangit vos, tangit pupillam oculi eius. Sed pergamus.

XIV. Subnectit Socinus aliam rationem. *Quòd autem*, inquit, *nequaquam sit verissimile, nec meritò quemquam posse suspicari, pronomen Me ad ipsum Dominum exercituum referendum esse, vel hinc patet, quod alioqui non esset nominatus is, qui missurus esset, nec quis esset, liquidò constaret; id quod non modo ab vsu prophetiarum in Vetere testamento penitus abhorret, sed ipsum per se absurdissimum omnino censeri debet.* Falsa falsis cumulat. Primò falsum est id abhorrere ab vsu prophetarum. Ezech. 2. 9. *Et vidi, ecce manus missa est ad me, in qua erat inuolutus liber.* Dan. x. 11. *Sta in gradu tuo: nunc enim missus sum ad te*, non nominatur is à quo

manus

manus illa missa fuit ad Ezechielem; nec is à quo angelus iste missus fuit ad Danielem. Sic huius ipsius prophetæ Zachariæ verba cap. 7. 2. multi ita vertunt, vt non sit nominatus qui misit, nominentur tantùm qui missi fuerunt. Deinde falsum est id esse absurdum: cum enim de missione Domini, aut angeli agitur, facilè Deus subauditur, cuius est ad populum suum vel liberatorem Deum, hoc est, Filium aut Spiritum suum, vel angelos, vel prophetas mittere, quique κατ' ἐξοχὴν הוא, ἐκεῖνος, *Ille*, nonnunquam appellatur. Prætereà falsum est Dominum exercituum non nominare hoc loco eum à quo sit missus. Nominat enim eum versu sequente, *& scietis*, inquit, *quod Dominus exercituum misit me*. id quod etiam repetit ℣. 11.

X V. Subjungit Socinus tertiam rationem, si tamen ratio appellari debet, cum simpliciter, id absurdissimum esse dicitur, non ostenditur, quod Aduersarius pro verissimo habet. *Vt omittam*, inquit, *quod nihil absurdius, aut magis ridiculum excogitari potest (quamuis Aduersarij sibi in eo valdè placeant) quàm ita Scripturam interpretari, vt ita dicatur ipse* Dominus *exercituum ab aliquo mitti, & quidem ab ipso* Domino *exercituum*. Itane nihil absurdius, nihil magis ridiculum? O blasphemum os, id absurdissimum maximèque ridiculum appellare ausum, quod ita disertè & clarè docetur in Scriptura, vt quod contradicat non habeat! Nouit scilicet melius quid Deo conueniat, quàm ipse Deus! Sed pergamus.

XVI. Alterum argumentum, quo Socini interpretamentum refelli potest, petitur ab aduerbio כה *Sic*: Nam si simpliciter scriptum esset, *Dicit Dominus, post gloriam misit me ad gentes*, posset fortasse, etsi non ex more Scripturæ, *quod*, subaudiri. Nunc verò cum sit scriptum, *Sic dicit Dominus, post gloriam misit me*, non potest *quod* subaudiri, nisi admodum ineptè. Habet enim hanc vim vocula illa Sic, vt qui verba illa pronunciat, *Sic dicit Dominus*, profiteatur se ipsa Domini verba referre, quæ tamen quominus recitet impedit illud Quòd, si subaudiatur. Ita enim qui verba illa pronunciat, *Sic dicit Dominus*, non ipsa Domini verba, sed mentem tantùm alijs verbis, hoc est, non ipsis Domini verbis, sed suis, referret. Pugnat igitur particula *Sic*, quominus altera ista *Quòd* subaudiri possit.

XVII. Tertium argumentum ex eo ducitur, quod etiamsi

Quod ſubaudiatur, nihilominus verba *miſit me ad gentes*, erunt verba Domini, vt jam bis aut ter obſeruaui. Cohærent enim verba, *Sic dicit Dominus*, cum antecedentibus vi cõiunctionis כי *quoniam*; ac propterea ſunt verba eiuſdem ſermonem ſuum continuantis. Quæ autem proximè antecedunt verba eſſe Domini, D*icit Dominus* ter inculcatum dubitare non ſinit. Cum igitur ille cuius hæc ſunt verba, *Quoniam ſic dicit Dominus exercituum*, ſit Dominus (Iehoua,) quomodocunque accipiantur ſequentia *Poſt gloriam miſit me ad gentes*, neceſſe eſt vt ſint verba Domini.

XVIII. Quartum argumentum nobis quæ ſequuntur apud Prophetam ſuppeditant, *Quia ecce ego agito manum meam ſuper eas, & erunt præda ſeruis ſuis, & ſcietis quod Dominus exercituum miſit me.* Cuius enim quæſo ſunt hæc verba? Angeli, an Domini? Certè ſunt Domini rationem reddẽtis, cur hortetur fideles, ſeu Sionem, vt fugiant è Babylone, iiſque gentibus in quas diſperſi fuerãt, ne participes fierent pœnarũ, quas gentibus illis erat inflicturus. Adde quod verba, *& ſcietis quod Dominus exercituum miſit me*, ſine dubio eius verba ſunt, cuius antecedentia, *Ecce ego leuo* (heb. *agito*) *manum meam ſuper eas, & erunt prædæ his qui ſeruiunt ipſis.* Hæc autem cuius quæſo ſunt? Angeli tantùm? Affirmat Socinus. *Certum enim eſt*, inquit, *& poſſe & ſolere à Deo mitti Angelos, non vt ſimplices nuncios, ſed tali poteſtate præditos, vt iſta, & maiora etiam de ſe affirmare poßint.* Eſto: at non ſolent angeli prædicere, comminari, vel polliceri apud Prophetas quid ipſi facturi ſint. Id Dei proprium eſt, cuius ſerui & miniſtri ſunt. Deinde quos compellat, cum ait, *& ſcietis, quod Dominus exercituum miſit me?* Prophetam, &, qui cum eo loquebatur, Angelum? non egebat, opinor, fides iſtius Angeli eiuſmodi confirmatione, nec fortaſſe Propheta, ſaltem ſolus, aut magis quàm diſperſi per gentes alij fideles, quos è Babylone & aquilone, is qui hæc dicebat, ſublata voce euocabat, & in ſpem certam erigebat, fore, vt ipſis quidem afflictis relaxatio, gentibus verò affligentibus afflictio per ſe vnum à Domino exercituum eo fine miſſum retribueretur. Illi igitur fideles ſine dubio compellantur: quomodo autem vel ſciuerunt, ſi iam impletum eſt illud vaticinium; vel ſcient, ſi nondum impletum eſt, illum angelum quem vult Socinus, non autem alium aliquem à Domino exercituum miſſum fuiſſe?

XIX. Sed vis huius argumenti clarius cerni poteſt in Vſ. 10.&

11. *Lauda & lætare filia Sion, quoniam ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus: & adiungentur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui: & scies quod Dominus exercituum misit me ad te.* Cuius enim sunt hæc verba, *& scies &c?* Annon eiusdem, cuius proximè antecedentia, *& habitabo in medio tui?* Hæc autem, confitente Socino, *nonnisi à Iehoua dici possunt.* Quid ergo respondet Socinus? *Iehoua,* inquit, *verba durant vsque ad illa,* & scies &c. *Vbi angelus ad suam ipsius personam redit.* At quominus ista commata, *& habitabo in medio tui, & scies quod Dominus exercituum misit me ad te*, ita distrahantur, vt prius sit Domini, posterius Angeli, obstant coniunctiones copulatiuæ, quibus inter se & cum antecedentibus, tanquam eiusdem sermonis continuatio, connectuntur: obstant verbum *scies* & pronomina *tui, te*, in textu hebræo fœminini generis, quibus eadem Sion compellatur: obstat denique ipsa rerum seu euentuum connexio & series: sic enim ordine sese membra illa seu commata sequuntur, vt posterius pendeat à priori, sitque illius consequens. Cum igitur tot appareãt continuati ab eodem sermonis indicia, reddere rationem oportet Aduersarios, cur tam coniuncta diuidant: tamen nullam reddunt; nec aliunde arcessere vllam queunt, quàm à suo dogmate, cui Scriptura ista congruere non potest, nisi sic discerpatur.

XX. Clamabunt enim, alioqui sequi absurdum, nimirum, Dominum exercituum profiteri se à Domino exercituum missum esse. Magnum scilicet absurdum, si se Filius profiteatur missum à Patre! At absurdum est Filium appellari Dominum exercituum. Cur? Estne hoc nomen præstantius, quàm vt ei conueniat, cui conuenit nomen quod est supra omne nomen, quique est verè & propriè Deus, præditus omni potestate in cœlo & in terra, adorandus ab omnibus, non modò hominibus, sed etiam angelis? At Dominus exercituum nomen est proprium eius, qui est præditus essentia diuina. Rectissimè; indè enim colligo, Filium Dei, cum vocetur Dominus exercituum, esse præditum essentia diuina. Ergo, inquies, duæ erunt personæ vna eadéq; numero essentia diuina præditæ, quo nihil fingi potest absurdius. Id verò, modò tollatur vnitatis numericæ imperfectio haud congruens essentiæ Dei, adeò absurdum non est, vt sit prorsus necessarium. Qua de re Deo dante suo loco. Interim vt hanc Charybdim, quæ nulla est, vites inci-

dis in Scyllam, negans Filium eiusdem esse cum Patre suo naturæ: Quàm enim absurdum tibi videtur duas personas vna numero essentia gaudere, tam debet absurdum videri, filium proprie dictum non esse eâdem genere, immò specie, natura præditum cum patre. Sed ea de re alias.

XXI. Postremò dicit Socinus, *Si quis Prophetarum verba velit ad exactas grammaticæ regulas reuocare, præsertim linguæ latinæ, aut alterius cuiuspiam præter Hebraicam, eum in infinita absurda deuenturum.* Quem petat his verbis nescio. Nos enim quidem certè non sumus à grammaticæ latinæ, aut alterius cuiuspiam præter Hebraicam, regulis argumẽtati, sed à vi verborum hebræorum & perpetuo Scripturæ vsu, & nunquam violata consuetudine. Qua in re quid possit reprehendi equidem non intelligo. Pergit, *Oportet enim*, inquit, *in illis intelligendis iudicio ac prudentia potiùs quàm regulis grammaticalibus, vti: ac diligenter animaduertere, ad quem quodque referatur, non tam ex ipsorum verborum sono atque ordine, quàm ex verborum sententia: ac propterea sæpius, vel verbum vnum, aut plura subaudire, vel etiam verbis ipsis aliquam vim facere.* Quid hoc est nisi tacita quædam confessio, se verbis Prophetarum, vt ea ad hæresim suam inflectat, & addere aliquid, & vim facere? viderint igitur Aduersarij quid responsuri sint ad verba Aguris, Prou. 30. 6. *Ne addas quicquam verbis illius;* & Samuelis 1. Sam. 15. 23. *Quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Iudicio quidem & prudentia vtendum est, fateor, ad intelligenda verba Prophetarum, non tamen sic vt eorum aut significationem, aut constructionem secundum grammaticam hebræam, & consuetudinem loquendi Scripturæ sacræ, euertamus, aut illis, quod ad explendum sensum in alia lingua necessarium non sit, quicquam addamus, aut vim vllo modo faciamus: sed meminisse nos decet, Prophetas actos à Spiritu sancto scripsisse sapientissimè prudentissiméque: itaque eorum verba reuerenter admodum tractanda esse; Eumque sensum esse veriorem, non qui magis congruit cum nostra opinione, sed qui magis congruit cum verbis, verborum constructione, stilo Scripturæ, antecedentibus, consequentibus, euentu ipso, &c.

XXII. *Vnum tantùm*, subjungit Socinus, *de tam multis exemplis afferam (quippe quod locus sit non absimilis huic nostro) Hierem. cap. 27. in ipso initio; vbi sic legitur*: In principio Regis Ioakim fi-

iij Iosiæ Regis Iuda factum est verbum istud ad Hieremiam à Domino, dicens, Hæc dicit Dominus ad me, Fac tibi vincula, &c. *Quis erit, qui, si ipsa verba, vt sonant accipere velit, non similiter, vt Aduersarij in isto loco Zachariæ faciunt, referat illud Me ad Dominum priore loco nominatum, ad quem Dominus nominatus posteriore loco ea dixerit, quæ sequuntur,* Fac tibi vincula, &c? *Et tamen, vt ex istis ipsis, quæ sequuntur patet, necesse est, vt pronomem Me non quidem ad Dominum priore loco nominatum, qui idem prorsus est cum Domino posteriore loco nominato, sed ad Hieremiam referatur.* Vtinam plura exempla Socinus protulisset! Nam ad locum istum Hieremiæ quod attinet, is neque huic nostro Zachariæ similis est, &, vt extat in fonte hebræo, nihil habet difficultatis. Primùm enim non dicitur Dominus sic locutus esse ad Hieremiam, aut verbum Domini factum esse ad Hieremiam, sed *factum esse verbum istud ad Hieremiam* מאת יהוה *à Domino*: quæ locutio non flagitat, vt ipse Dominus inducatur tanquam ex sua ipsius persona loquens ea quæ sequuntur. Deinde in Hebræo est לאמר quod secundum regulas grammaticæ reddi potest, & debet eo loco, *ad dicendum*, vel *vt diceret*: cuius rei Socinum admonere potuit versus eiusdem cap. quartus, vbi Vulgata versio illud idem vocabulum reddidit, *vt loquantur*, consentientibus alijs versionibus. Atque vt sic vertatur quàm grammatica patitur, tam res exigit. Nam & verbum rectius dici quàm dicere scribitur, & iubetur Propheta hoc dicere in principio regni Iehojakim, mandare verò executioni aliquot pòst annis regnante Sedecia; atque adeò vaticinij, quod in illo mandato continetur, parte aliqua jam impleta, ex qua Iudæi intelligerent etiam alteram partem certissimè impletum iri.

XXIII. Nunc hic locus totus accuratius explicandus est: scatet enim argumentis. Ducam initium à vers. 4. *Ierusalem habitabit* פרזות *pagos absque muris*, vel, pagatim absque muris, *propter multitudinem hominum & iumentorum in medio eius*. Quibus verbis triplex discrimen innuitur inter Ierusalem, vt ita dicam, legalem, quam Apostolus τὴν νῦν ἱερουσαλὴμ appellat, & Ierusalem euangelicam, quam idem Apostolus τὴν ἄνω ἱερουσαλὴμ vocat Gal. 4. 25. 26. Illa certi cuiusdam loci, haud sanè magni, finibus comprehensa & circunscripta fuit, Hæc nullo certo loco definitur. Illa muro cincta fuit & propugnaculis munita, Hæc nihil habet eiusmodi. Illa in medio sui templum habuit magnificentissimum

multaque regum & magnatum palatia, quibus in rebus sita fuit eius gloria, Hæc verò ad modum pagorum se habet muris & propugnaculis destitutorum, quos homines pauperes & ignobiles & pecuariam exercentes potissimùm incolunt, ac proinde in quibus nihil est gloriosum, nihil magnificum.

XXIV. Num ergo spiritualis ista siue euangelica Ierusalem omni muro, omni gloria priuabitur? Minimè. *Ego ero ei, dicit Dominus, murus ignis in circuitu, & in gloriam in medio eius.* Carebit muro terreno quo se carnaliter tueatur, sed non carebit muro spirituali quo spiritualiter defendatur. Exposita erit persecutionibus hominum secundum carnem, sed tamen omni ex parte Deo, tanquam muro igneo, ita circundabitur, vt ei nihil prorsus nocere possit. In medio eius non erit quidem Templum opera hominum magnificentissimè extructum, ac totum auro collucens, sed erit ipse Dominus gloriæ, templo & arca fœderis infinitis partibus præstantior. Ex quo intelligitur, multò ampliorem, fortiorem, & magnificentiorem Ierusalem euangelicam, quàm legalem, futuram fuisse, sed in spiritu, non secundum carnem.

XXV. Iam quis est ille, quo, tanquam muro igneo, Ecclesia Christiana cingitur in circuitu, hoc est, omni ex parte? Nonne ille per quem vnum seruatur, in quo solo est salus, qui est omnia in omnibus fidelibus, qui dixit discipulis suis, Ecce ego sum vobiscum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi, qui denique tenet in manu sua dextera omnes Ecclesiarum suarum pastores, immò omnes oues suas? Si igitur ille qui futurus erat Ecclesiæ Christianæ murus ignis in circuitu est Dominus (Iehoua) vt patet ex hoc vaticinio, Isque est Christus, vt liquet ex Euangelio, necesse est fateri Christum esse Dominum, seu, vt vulgò pronunciant, Iehouam. Certè vrbem ingredienti murus primùm occurrit, & in muro porta, per quam qui ingreditur intra murum se recipit. Itaque per fidem & regenerationem intranti Ecclesiam Christus vt murus ignis suos illuminans ac tuens, vt porta seu ostium, quo necesse est ingredi, sese primum omnium offert: ac quoniam non modò totam collectiuè Ecclesiam cingit, sed vnumquemque etiam fidelem seorsim, etiam dum iter facit, omni ex parte veluti circumpositus, & vna mobilis tuetur ab omni injuria, etiam ab intrante in Ecclesiam

Act. 4. 12. Col. 3. 11. Matth. 28. 20. Apoc. 1, 16. & 2. 1. Ioh. 10, 28,

indui per baptismum dicitur: quæ vestis nec noctu exui, nec vsu atteri, nec vetustate consumi, nec à latronibus eripi potest, & cum nouo homine, hoc ipso quod spiritualiter carne & sanguine Christi vescitur, crescit, decens ac splendida omni tempore.

XXVI. Taceo murum esse vrbis partem, & Christum esse Ecclesiæ fundamentum, & se recipere intra Christum, vt sit in tuto, quicunque in eum credit; ac proinde Christum non modò Ecclesiæ suæ murum igneum esse in circuitu, sed hoc eius esse, si accuratissimè loqui uolumus, proprium. Sunt quidem angeli omnes circa Ecclesiam, sed veluti currus ignei, & equites, & milites Christi regis ac ducis nostri, iuxta murum vrbis excubias pro nobis agentes; verùm ipsi non sunt pars vrbis, nec nos tuentur à reatu peccati, à maledictione legis, ab ira Dei, à morte æterna: Hoc vni Christo Scriptura tribuit. Adde quod non potest vnus idemque totam Ecclesiam per vniuersum orbem dispersam intra se colligere sub alas suas, ac omni ex parte velut murus cingere & tueri, quin sit omnipræsentia, omniscientia, & omnipotentia præditus, proprietatibus diuinis, atque adeo essentiâ diuinâ.

XXVII. Dicitur etiam hoc loco Dominus futurus in gloriam in medio Ierusalem Christianæ, hoc est, in templum & arcam fœderis, &, vt ipse loquitur apud Esaiam, cap. 8. ℣. 14. *in sanctuarium*: erat enim terrenum sanctuarium honor & gloria terrenæ Ierusalem in eius medio, vmbra & typus gloriæ Ierusalem Christianæ. Iam autem Christus est sanctuarij terreni & arcæ fœderis, potissimùm propitiatorij, corpus & veritas, &, vt loquitur Simeon, gloria Israëlis. Nihil erat in medio Ierusalem terrenæ templo illustrius, sanctius, quodque ostenderetur ac viseretur dignius, & quó alijs omnibus totius mundi vrbibus præstaret magis. Idem de Christo respectu Ecclesiæ Christianæ affirmari potest & debet. Is prædicatione Euangelij, & sacramentorum administratione & fidelium omnium confessione, immò vitâ ostenditur & monstratur, ad eum contemplandum omnes fideles ex omnibus regionibus confluunt, eum mirantur & adorant, in eo vno expiationem peccatorum, iustificationem, sanctificationem, benedictionem, Dei cultum & præsentiam salutarem reperiunt, denique de eo vno maximè gloriantur. Tota enim Ecclesiæ verè Christianæ excellentia & gloria, qua omnem

Ierem. 9. 24. aliam societatem religiosam longissimo superat interuallo, in vno Christo consistit. Itaque, cum non sit gloriandum nisi in Domi-
1. Cor. 1. 31. no, in Christo gloriandum est potissimùm, immò vnicè.
2. Cor. 10. 17. XXVIII. Poterat ex dictis Ierusalem Christiana videri nihil aliud futura, quàm multorum pagorum quædam quasi concatenatio, plus loci quàm vlla alia mundi ciuitas occupans in terra Canaam. Cui carnali opinationi vt occuratur & clarius Ierusalem Christianæ status describatur, Dominus clamat, se eam in quatuor ventos cœli dispersisse. Itaque quasi eam in omnes gentes disseminatam è longinquo videret, sublata voce eam ex omnibus Mundi plagis euocat ad se. *O, o fugite de terra aquilonis, dicit Dominus, quia in quatuor ventos cœli dispersi vos, dicit Dominus.* Ex quo intelligitur, Christianam Ierusalem nihil aliud esse, quàm innumerabilem quandam multitudinem hominum, vbique terrarum disseminatorum, vnius Domini verbo euocatorum, vt inde fugiant non quidem corpore, sed corde, non locum mutando,
2. Cor. 6. 17. sed animum, Iuxta illud, *Exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus* &c. Ac quoniam futurum erat, vt potissimùm habitaret inter illas gentes, quarum caput spiritualiter Babylon appellatur in Scriptura, idcircò Dominus vocationem suam repetit expressa mentione Babylonis, ac compellata Ecclesia sua vera nomine Sionis, & mutato verbo fugiendi in seruandi, prudentissimè, *O Sion seruare, quæ habitas apud filiam Babylonis.*

XXIX. Iam quis sic Ecclesiam euocat? Si consulis Prophetam, is est Dominus (Iehoua,) si Euangelium, & euentum, est
Ioh. 11. 52. Christus. Hic enim vnus venit vocatum peccatores, & *vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Itaque eius vox ad omnem gentem peruenit.

XXX. Rationem cur fugere debeant è gentibus subiungit, *Quoniam*, inquit, *Sic dicit Dominus exercituum, post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliarunt vos, &c.* Quemadmodum qui vocat & fugere iubet non est angelus proprie dictus, sed Dominus; sic rationem subijcit petitam non à missione cuiusdam angeli, sed à missione Domini secuta eius gloriam. Congruit cum vaticinio euentus. Vocantur enim filij Dei dispersi è mundo, è gentibus, è Babylone, cuius voce seu Euangelio? certè unius Domini Christi, non verò angeli; Isque organis ad vocem suam per omnes gentes deferendam vsus est Apostolis, non autem Angelis. Itaque

frequens

freqũens vocantis, vocatorum, vocationis in Euangelio mentio: frequentia etiam mandata, *Saluamini à generatione ista praua. Fugite à simulachrorum cultu. Exite de medio eorũ, &c. Exite è Babylone popule mi*, &c. Horum autem mandatorum & similium ratio nunquam à missione alicuius angeli petitur, sed à missione Domini quæ glorificationem eius sequitur, vt gentibus quæ fideles afflixerunt afflictionem retribuat, vti à nobis iam fuit obseruatum § XI. Ab hac enim missione præmiorum & pœnarum distributio, bonorumque & malorum resurrectio dependet.

Act. 2. 40. 1. Cor. 10. 14. 2. Cor. 6. 17. Apoc. 18. 4.

XXXI. Sequitur apud Prophetam ℣s. IX. *Quia ecce ego agito manum meam super eos, & erunt præda his qui seruiebant sibi, & cognoscetis quia Dominus exercituum misit me.* Primùm verbis illis, *cognoscetis*, &c compellantur ijdem qui antecedentibus, *O, o fugite*, &c, &, *O Sion seruare*, &c. ac propterea de tempore Noui Testamenti, vt superiora & sequentia, accipi debent. Deinde oportet hanc missionem dogma esse in Ecclesia Christiana maximi momenti, cujus prædictio tantò antè proposita est Ecclesiæ ab hoc Propheta, & iterata, atque inculcata aliquoties. Hunc enim missum esse, qui loquens inducitur hoc loco, vult Deus credi & cognosci, quasi ea cognitio ad Ecclesiæ ædificationem multùm conducat, sitque dogma, aut negatum, aut vocatum in dubium, aut non satis firmiter & accuratè creditum & cognitum ante illum euentum qui prædicitur. Iam autẽ mitti quidem a Deo in ministerium omnes angelos propter eos qui hęreditatem accipient salutis, dogma est religionis Christianę; missum verò esse vnum aliquem certum angelum, qui scilicet hoc loco id prędixerit, nullum dogma est: Sed omnium dogmatum pręcipuum, maximèque docendum, inculcandum, confirmandum istud est missum esse a Deo Patre Filium ejus Dominum nostrum Iesum Christum: hinc enim pendet fides & salus Ecclesiæ. Id autem secunda Christi missione seu aduentu, quo retribuet afflictionem his qui nos afflixerint, ita fiet manifestum, vt reuocari amplius in dubium non possit.

XXXII. Interim quoniam futuro illi suo iudicio nonnunquam, vt ita loquar, prolusit: atque aliquot illius veluti speciminibus missionem suam futuram & præteritam confirmauit, quæ verbis illis innuuntur, *Ecce ego agito manum meam* &c, ea quam vim habeant ad confirmandum & demonstrandum, missum fuisse

a Deo patre, non jam certum quendam angelum, sed Dominum gloriæ paucis explicandum est.

XXXIII. Prima gens, quæ post glorificationem Christi populum eius afflixit, Iudaica fuit. Quapropter super eam Dominus manum suam ita agitauit, vt eius vrbes destruxerit, templum funditus diruerit nunquam instaurandum, gentem totam sedibus suis reuulsam in omnes gentes horribili judicio disperserit. itaque a sexdecim ferè seculis jacet gens illa misera, sine templo, sine rege, sine prophetis, sine sacerdotibus, sine vrim & thummim, sine sacrificijs, sine patria, aliarũ gentium ludibrijs exposita, necdum vlla ei affulget liberationis aurora. Cur? nisi quia horrendum quoddam scelus admisit, cujus eam nondum pœnituit? nempe Messiam promissum, Dei Filium, Dominum gloriæ Seruatorem suum non agnouit, sed reiecit, immò cruci per summum nefas suffixit, ac in sua illa contumacia & execranda nequitia ad hunc vsque diem perseuerat. Aliud enim gentis illius peccatum a quo nondum resipuerit, tantum, vt propterea tam horrendum in modum tractanda a Deo fuerit, nullum apparet: vt nunc taceam vtramque prædictam fuisse a Prophetis, & rejectionem Iudæorum, & reiectionis illius hanc causam, nimirum Messiæ seu Domini tam suauiter ad se eos vocantis rejectionem Dan. *9*. *26*. Esai. *6*. *9*. 11. & 8. 14. & *65*. 12. & *66*. 4. & Prou. 1. 24. &c. Quinetiam gens illa quæ Christianis dominata fuerat, eosque multis occisis spoliauerat, tandem redacta est in potestatem Christianorum. Cur, si Christum, si Apostolos Christi, si Christianos persequendo & occidendo rem fecit gratissimam Deo? Num ille sic zelum legis & suum, quo correpti Iudæi Euangelium rejecerunt, remuneratus fuisset, siquidem ipsi fuisset gratus & acceptus?

XXXIV. Post Iudæos Ethnici Romani Christianos, hoc est, populum Dei multis modis vexarunt & persecuti sunt. Itaque etiam in eos manum suam Dominus, cuius vnius est iudicare orbem, agitauit, eosque tandem Christianis quos oppresserant subjecit, magnum missionis Domini argumentum. Nam si is fuisset, vt blasphemant Iudæi, impostor, quî potuisset homo ex infima plebecula, Iudæus, habens pro discipulis paucos quosdam piscatores & publicanos, ab omnibus ordinibus gentis suæ damnatus, à præside romano actus in crucem, ignominiosum Romanis,

execrabile Iudæis supplicium, post mortem, inuitis & obnixè repugnantibus Deo Iudæorum & Iudæis, dijs Romanorum & romanis ipsis, sibi tantum nomen comparare, quantum alius nemo ante aut post eum assequi vnquam potuit, atque adeo pedibus suis potentissimos hostes tandem subjicere, non armis carnalibus, sed, vt loquitur Apostolus, *demonstratione Spiritus & virtutis?* 1 Cor. 2.4.

XXXV. Post Romanos ethnicos surrexit imperium quod prædicitur & describitur Apoc. 13. & 17. & 2. Thess. 2. &c. veræ Ecclesiæ infestissimum, cuius jam aliquam partem ijs quibus dominatum fuerat Christus subjecit, totum tandem aliquando subjecturus & aboliturus; vnde facilè perspici potest, eum reuera missum à Patre fuisse, qui quod per se & Apostolos suos tam disertè prædixerat, tam apertè implet, nec veritatem suam sinit opprimi. His iudicijs succedet tandem vltimum, quo omnes Christi & verè Christianorum hostes subjicientur pedibus eius, & punientur in æternum. Quæ omnia missionis Christi veritatem confirmant, non verò cuiusdam angeli.

XXXVI. Sequuntur apud Prophetam hæc verba, *Lauda & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et adiungentur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & scies quia Dominus exercituum misit me ad te.* Rursus eius qui loquitur missio proponitur Ecclesiæ credenda, quasi eam credi & cognosci ad gloriam Dei & fidelium salutem maximè intersit. Quibus autem argumentis eam probatum iri prædicit? Aggregatione gentium multarum ad Dominum, & habitatione Domini in medio filiæ zionis, hoc est, veræ Ecclesiæ. Hæc certè argumenta missum fuisse à Patre Filium probant, non verò missum fuisse certum quendam angelum. Aggregatio quidem gentium ad Dominum: Ea enim, cum toties prædicta fuerit in Vetere Testamento tanquam maximum bonum, sit autem per Christum data effecta Annon manifestum est, Christum, cum se dixit à Deo patre missum, haudquaquam mentitum fuisse? Quis enim credat, quod Moses, quod Prophetæ toties prædixerunt opus præclarissimum, & optimum, & maximum, id fuisse perficiendum, à pseudopropheta, ab impostore? Num potest in dubium reuocari, quin ea ratione Dei Israëlis imperium, & gloria valdè amplificata fuerint, & diabolorum atque idolorum altaria & cultus &

gloria in toto Imperio Romano alijsque regionibus destructa? Num hoc fieri potuit à seductore, Dei hoste, diaboli mancipio? Nonne vt id fieret, vinci oportuit oratorum eloquentiam, philosophorum subtilitates, tortorum sæuitiam, pontificum rabiem, imperatorum potentiam, totius generis humani impetum, immò ipsorum diabolorum vim & astutiam? quî potuit id fieri ab impostore, plebeio, conspirantibus ad eius condemnationem Iudæis & Romanis ignominiosissimè crucifixo, post mortem suam, absque vllis artibus, opibus, armis humanis? Nonne hîc digitus Dei agnosci debet?

XXXVII. Habitatio quoque Domini in Ecclesia, in fidelibus hoc ipsum probat. *Lauda*, inquit, *& lætare filia Sion: quia Ecce ego venio & habitabo in medio tui, dicit Dominus.* Quis venit? Cuius aduentus est materia lætitiæ & exultationis Ecclesiæ? Nonne is est Dominus, Christus? *Et adiungentur gentes multæ ad Dominum in die illa.* Cuius quæso aduentus vocatio seu aggregatio gentium ad Dominum consequens, immò effectum fuit? Nonne Domini gloriæ, Seruatoris mundi aduentus id effecit? Nonne venit vt habitaret in medio Ecclesiæ? Certè. Nam corpore quidem
Ioh. 14. 18. reliquit mundum, & abijt ad Patrem; sed Spiritu venit ad suos.
Matth. 28. Est cum suis vsque ad consummationem seculi. Vbicunque fuerint duo aut tres congregati in eius nomine, ibi est in medio eorum. Habitat in cordibus nostris per fidem. *Ecce*, inquit, *sto*
Apoc. 3. 20 *ad ostium & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Et alio
Ioh 14. 22. loco, *Si quis diligit me, Sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quid? ista habitatio Domini, nonne certissimum eum in quo est reddit de veritate missionis Domini à Patre in mundum? sentitur nempe à fideli intus habitans Christus. Persentiscitur præsens numē in cordis penetralibus Spiritu promissionis sancto obsignati & arrhabone cœlestis hæreditatis donati. Quid? nonne sese ista Domini habitatio prodidit olim in Ecclesia plurimis & varijs donis extraordinarijs & miraculis illustrissimis, veritatis Euangelij atque adeo missionis Christi argumentis euidentissimis. Nonne ea se prodit, etiam ordinariè, in verè fidelibus, luce cognitionis Dei, sanctitate vitæ, charitate constante, patientia inuicta, mansuetudine animi, &c? quæ certè, cum à mundo, à carne, à diabolo

proficisci nullo modo possint: (ijs enim rebus per fidem & mundus vincitur, & diabolus fugatur, & caro mortificatur) Euangelij veritatem confirmant, donec Christus visibiliter iterum veniat, & habitet in Ecclesia, eaque ratione omnem dubitationem, si qua reliqua fuerit, ei prorsus eximat. Non modò igitur nobis fauet grammatica, sed etiam res ipsa, quæ nullo modo pati potest vt de missione cuiusdam angeli, aut alterius quàm Christi, verba ista intelligantur.





DISPVTATIO
TRIGESIMA QVARTA

De Arg. XXXIV. Ex Zachar. cap.3. ℣ſ.2. *Et dixit Dominus ad Satan, Increpet Dominus te Satan; increpet te Dominus qui eligit Hieruſalem.*

I. SVPERIORIBVS teſtimonijs addendum etiam eſt iſtud, quod habetur apud eundem Zachariam, cap.3. ℣ſ.1. *Oſtendit mihi Dominus Ieſum ſacerdotem magnum, ſtantem coram Angelo Domini: & Satan ſtabat à dextris eius vt aduerſaretur ei. Et dixit* Dominus *ad ſatan, Increpet te Dominus o ſatan, increpet te Dominus qui eligit Ieruſalem.* Hic Dominus (Iehoua) dicit ad Satan, increpet te Dominus (Iehoua:) atque ita duæ perſonæ proponuntur, quarum vtraque Dominus (Iehoua) appellatur. Harum autem ſine dubio altera eſt Pater, altera Filius. Filius igitur eſt Dominus, Iehoua.

1 Reſp. Refut. Reſp. ad 7. cap. Vvjeki Claſſ.2. Arg. 8.

II. *Reſpondeo*, inquit Socinus, *primùm, vt ad ſuperius argumentum, Non poſſe ex loco iſto vllo pacto concludi, alteram ex duabus iſtis perſonis, quarum vtraque appellatur Iehoua, eſſe Chriſtum: ſed tantùm duos eſſe, quorum vterque ſit Iehoua; ſi modo ex appellatione liceret ſemper ipſam eſſentiam colligere.* Non repetam ea quæ ad hanc Socini reſponſionem ſuperiore Diſputatione § v. vi. vii. diximus. Tantùm, vt ne hoc noſtrum argumentum præcedenti nitatur, ſed ſuum habeat proprium pondus, ita argumentabor. Aut duarum iſtarum perſonarum, quarum vtraque appellatur Iehoua, altera eſt Chriſtus; aut neutra. Si prius, falſa eſt reſponſio. Si poſterius, duæ ſunt perſonæ diuinæ Chriſto, ſi quoad

ſubſtantiam tantùm homo eſt vt volunt Aduerſarij, multò digniores: id quod Euangelio apertè repugnat, Filium, vno Patre excepto, omnibus alijs perſonis anteponenti. Deinde quænam erunt duæ illæ perſonæ? vna ſine dubio erit Pater. Quis erit altera? Spiritus ſanctus? At hunc nolunt eſſe perſonam Aduerſarji deinde eſt Spiritus Chriſti, ab eo mittitur, de eo quod eſt Chriſti accipit, Chriſtum glorificat, Chriſtus ſolet poſt Patrem ante Spiritum ſanctum nominari, etiam in ſolemni baptiſmi formula, Chriſtus dat Spiritum ſanctum, quomodo iſta vera eſſe poſſunt ſi Spiritus ſanctus eſt Dominus (Iehoua) Chriſtus verò non eſt Dominus (Iehoua) ſi Spiritus ſanctus eſt perſona prædita eſſentia diuina, Chriſtus verò perſona prædita tantùm eſſentia humana, ſi ille eſt creator, hic creatura? Quod ſi harum perſonarum altera neque Filius, neque Spiritus ſanctus dicatur eſſe, erit perſona diuina à Patre, à Filio, & Spiritu ſancto diſtincta, Chriſti lumine non modo non reuelata, ſed obſcurata, immò extincta prorſus, quo nihil fingi poteſt magis abſurdũ. Nam in N. T. non cõparet.

III. Adde quod Dominus qui ſic loquitur, *Increpet te Dominus o ſatan*, cauſam Eccleſiæ ſuſcipit aduerſus ſatanam, & contra eum pugnat, vt hominum mediatorem & interceſſorem decebat, orando Patrem. Intercedit quidem etiam Spiritus ſanctus pro fidelibus, ſed vt Chriſti mediatoris noſtri ſpiritum decet, efficiendo vt precemur. Idem etiam Dominus is eſt qui V ſ. 5. dicit Ieſu ſiue Iehoſcuæ, *Ecce abſtuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatorijs.* Quis autem quæſo auffert iniquitatem, & quidem à ſummo ſacerdote, qualis erat Iehoſcua? præter Deum Patrem & eius Filium Dominum noſtrum nemo occurrit in Scriptura, cui hoc tribui poſſit. Neceſſe eſt igitur, vt duorum iſtorum, quorum vterque eſt Dominus, Iehoua, quàm vnus eſt Pater, tam alter ſit Filius.

IV. Præterea iſti Ieſu ſũmo ſacerdoti legali ſatan ſtans à dextris aduerſatur. Cui cum reſiſtere non poſſet obſtante iniquitate ſua, quam ſacrificijs lege præſcriptis auferre non potuerat, Dominus ei fert opem, primò interceſſione ſua apud Dominum qui elegit Ieruſalem, qua repellit ſatanam; deinde auferendo à Iehoſua iniquitatem, ne poſſet amplius accuſari à ſatana: ſic victoria de ſatana reportata eſt. Ex quo intelligitur, ſummum ſacerdotem legalem, etiam pium, qualis erat Iehoſchua, eguiſſe alio, qui iniquita-

tem eius aufferret, eumque sua intercessione tutum à satana præstaret: qui alius esse non potuit quàm Dominus noster Iesus Christus, solus hominum mediator apud Deum & seruator, verus summus sacerdos, id quod à Leuitico adumbrabatur quidem, sed præstari non poterat, peccata verè aufferens & satanam vincens.

V. At, inquit Socinus, *In ea visione Iesus sacerdos, si alioqui Christi typus erat, Christi personam repræsentabat, nec videtur fieri posse, vt in ipsa eadem visione, eodem temporis momento, quis & in sua propria persona verè, & in altera repræsentatiuè seu adumbratè appareat, alterâ ab alterâ manifestè distinctâ, vt in hoc loco euenit.* Primùm in ea visione Iesus sacerdos, Christi personam non repræsentabat: stabat enim coram Angelo Domini, non poterat per seipsum satanæ resistere, erat peccato inquinatus, egebat alio qui iniquitatem ipsius aufferret, qui pro ipso intercederet, qui ipsum à satana defenderet; quibus eius imperfectionibus Christi perfectiones prorsus dissimiles, imò oppositæ adumbrari non potuerunt. Deinde quid prohibet eodem temporis momento corpus & vmbram, veritatem & typum apparere? Cur enim in visione videri non potuit, quod extra visionem reuera visum est? Nonne enim Christus eodem momento videbatur olim in templo & in sua propria persona verè, & in persona summi sacerdotis ab eo manifestò distincta repræsentatiuè seu adumbratè? Nonne in eadem cœna videbatur verè in sua propria persona, & typicè in agno paschali?

VI. Refutata prima responsione Socini, veniamus ad secundam. *Respondeo,* inquit, *secundo loco, appellari quidem hoc loco duos nomine Iehoua: sed tamen vnum tantùm ex illis esse reuera Iehouam.* 2. Resp.

Refut. *Quandoquidem is, qui, Iehoua appellatus, allocutus est satanam, est vel angelus, qui ab initio cum Zacharia locutus est, vel angelus ille Iehoua, coram quo Iesus sacerdos stabat.* Et paulò post addit, *Angelum illum, qui ab initio cum Zacharia loquebatur, Iehoua nomine satis apertè appellari, idque sæpius,* videlicet cap. 1. ℣. 7. & ℣. 20. & cap. 4. 8. & 6. 9. &c. Qua responsione magis confirmat argumentum nostrum quàm euertit. Nam si duorum, qui nomine Iehouæ hoc loco appellantur, alter etiam angelus Iehouæ nominatur, tantò clarius & certius persona eius ab altera illa, quæ Iehouæ etiam vocatur, distinguitur. Si is qui angelus Iehouæ dicitur, nomine Iehouæ appellatur, non semel atque iterum, sed sæpius, tantò apertius significatur, eum reuera Iehouam esse. Eundem enim Christum

ſtum eſſe volumus, & Iehouam, & Iehouæ id eſt, Patris angelum: illud natura, hoc officio, quia Patris ſui nuncius ſeu legatus eſt. Nuntium enim, vt iam aliquoties monui, nomen Angelus propriè ſignificat, cum Iehoua nihil ſignificet præter Deum Iſraelis. Nihil igitur quod argumento noſtro officiat hæc reſponſio continet.

VII. Quod ſi neget Aduerſarius hunc angelum, qui Iehoua ſæpius appellatur, verè Iehouam eſſe, malumus Deo id affirmanti, & quidem ſæpius, credere, quàm Socino neganti. Potuit-ne diſertius docere Scriptura, eum verè Iehouam eſſe, quàm eum Iehouæ nomine ſæpius appellando? Quorſum enim pertinet huius appellationis repetitio & inculcatio frequens, niſi vt ne dubitemus, eum reuera Iehouam eſſe? rem enim quæ repetitur in Scriptura, & magni momenti, & certiſſimam eſſe repetitio confirmat. Mirum profectò eſt, nobis in Scriptura duos proponi, accuratèque inter ſe diſtingui, inſignitos, idque ſæpius, eodem nomine Iehouæ, proprio vnius Dei creatoris cœli & terræ. Cur enim id fit, ſi non ſunt duæ perſonæ diuinæ, ſi nefas eſt exiſtimare, duas eſſe perſonas diuinas, ſi vna tantùm perſona verè eſt Iehoua? Equidem quorſum id pertineat non video, niſi ad præparandos hominum animos ad recipiendum dogma de diuinitate Filij Dei, deque diuinarum Trinitate perſonarum. Duo credimus, diſtinctionem perſonarum & vnitatem eſſentiæ. Nonne autem diſtinctio perſonarum ſatis apertè ſignificatur, his verbis, *Dixit Dominus ad ſatan, increpet te Dominus ô Satan*, & cum horum duorum, qui Domini nomine appellantur, vnus alterius angelus nominatur? Nonne rurſus vnitas eſſentiæ, pluſquam ſpecifica, clarè docetur, cum vterq; eodem nomine proprio, abſque vlla additione vel limitatione, abſolutè, ſubiectiuè, atque adeò tanquam vtriuſque proprio, deſignatur? Neminem enim latere poteſt, nomen Iehoua ſoli Deo Iſraelis impoſitum fuiſſe, eiuſque proprium eſſe, eoque ab omnibus alijs diſtingui, itaque dogma fuiſſe præcipuum in Veteri Teſtamento, vnum tantùm Iehouam eſſe. Conſiſtit ergo perſonarum diuinarum diſtinctio cum vnitate. Deut. 6.4. Marc. 12.29.

VIII. Hîc, ne ſuperiora repetam, neue ijs nitatur hæc diſputatio, vno argumento nondum a me explicato probabo iſtum angelum, qui Iehouæ nomine appellatur, non eſſe de numero Angelorum. Nam ſi eſſet de numero Angelorum, non video quî potuerit auctor Epiſtolæ ad Hebræos concludere, Chri-

tum esse præstantiorem Angelis, quia præstantiori nomine seu elogio ornatur in Scriptura veteris Testamenti. Quomodo enim
Heb. 1. 4 *excellentius præ illis sortitus est nomen*, si eorum vnus aliquis Iehouæ nomine appellatur, & quidem sæpè? isto enim nomine nullum est excellentius, immò ipsum excellentius est omni alio nomine. Affert autem primo loco is auctor, tanquam nomen excellentius, nomen Filij Iehouæ. At tantum est, aut plus etiam, Iehouam dici quàm Iehouæ filium. Dignitas enim elogij huius non est a nomine filij, quod commune est multis, sed à nomine Iehouæ, quo ab alijs, qui filij dici possunt, distinguitur.

IX. Respondebunt fortasse Aduersarii, nomen Iehouæ tribui Angelo, non quatenus considerabatur in propria sua persona, sed quatenus alienam, scilicet ipsius Dei, personam sustinebat: loqui autem Apostolum de nomine Christi in sua ipsius propria persona considerati. Itaque bonum esse ipsius argumentum. Verùm quo argumento probabunt nomen Iehouæ tributum fuisse Angelo illi ob alienam, quam sustineret, personam? Certè hoc loco ei nomen Iehouæ non tribuitur, nisi cum orans Iehouam aduersus satanam inducitur: in qua actione orandi non sustinebat alienam Dei patris personam, vt cuiuis manifestum est. Deinde in testimonio psalmi secundi, quod Apostolus laudat, tribuitur Christo elogium Filij Dei attributiuè, cùm in hoc Zachariæ loco, & alibi sæpè, tribuatur nomen Iehoua Angelo isti subjectiuè: id quod quin plus sit, non diffitebuntur Aduersarij; pluris enim apud eos fit nomen Dei subiectiuè quàm attributiuè de aliquo vsurpatum, vt suo loco videbitur. Tum Filius Iehouæ rarò dicitur in Veteri Testamento Christus, cum Angelus iste, ipso Socino confitente, Iehoua appelletur sæpius. Adde quod Iehoua nomen est proprium Dei Israelis, quod in alium transferri non potest, quin in eum pariter transferatur honor & cultus Deo Israelis debitus. Id quod sine grandi piaculo fieri nequit.

X. Præterea nunquam in Scriptura nomen vnius proprium alteri, quòd illius personam sustineat, tribuitur. Quis igitur in ea credat, nomen Dei proprium tributum fuisse mero angelo, & quidem sæpè, ac cum certo periculo Ecclesiam in errorem grauem conijciendi? Si quis etiam reponat Aduersarijs, etiam Christum ob regiam illam dignitatem, qua Patris personam singulari & eximia ratione sustinet, Filium Iehouæ dici eo psalmo, non habebunt

quo id refellant, & argumentum Apostoli defendant, siquidem suis hypothesibus stare volunt. Denique quo creatura magis Deum Israelis repræsentat, eo sine dubio præstantior est. Si igitur Angelus ita Deum Israelis repræsentauit, vt eodem cum eo nomine proprio maximéque alijs incommunicabili appellaretur & quidem sæpè, certè is Deum Israelis magis repræsentauit quàm ille qui nunquam eiusmodi nomine cohonestatus fuit. Ac proinde excellentior fuit Christo, qui, si fides Aduersarijs habetur, nunquam eo honore affectus fuit.

XI. Cur ergo, inquiet forsitan Aduersarius, Auctor Epistolæ ad Hebræos non potius nomen Iehouæ, quàm elogium Filij Dei, adhibuit ad probandam Christi præ Angelis excellentiam? quia eadem opera & psalmum secundum illustrauit, & affirmando nomen Filij Dei excellentius nomen esse quàm sit vllum nomen alicui de numero Angelorum tributum in vetere Testamento, eo ipso non obscurè insinuauit, cum nomine Iehouæ appellatus occurrit Angelus, intelligendum non esse Angelum de numero Angelorum, sed Filium Dei potius, qui ob munus dicatur Angelus, ob naturam Iehoua. Cæterum præmissis aliquot testimoniis & elogijs tandem eò deuenit, vt etiam ipsum Iehouæ nomen & creatoris cœli & terræ tribuat Christo, laudato deque eo exposito Testimonio è ps. CII. quod testimonium Heb. 1. vindicauimus ab Aduersariorum exceptionibus lib. I. Arg. 10. XXXI. & hoc lib. Arg. XII.



DISPVTATIO TRIGESIMA QVINTA.

De Arg. XXXV. Ex Psal. II. ℣. 12. *Osculamini Filium, ne forte irascatur, & pereatis via: cum exarserit paululum ira eius. Beati omnes qui confidunt in eo.*

I. SVPERIORIBVS testimonijs vnum tantum è Psalmis adiungemus, de quo nos præcedens admonuit. Id extat Psalmo 2. ℣. 12. & 13. *Osculamini Filium, ne forte irascatur,* &c. Hinc geminum oritur argumentum. Prius ipse Socinus sic concepit.

Resp. ad 7. cap. Vvjeki Class. 2. Arg. 1. Solus verus Deus habet imperium vitæ & mortis. Messias seu Christus habet imperium vitæ & mortis. Ergo Christus est verus Deus. Quid ergo Respondet?

1. Resp. Refut. *Respondeo*, inquit, *hîc nihil contra nos concludi; quippe qui fateamur, Christum esse verum Deum.* Fatentur Christum esse verum Deum, & tamen negant eum esse natura seu essentia diuina præditum, perinde ac si quis affirmaret metallum quoddam esse verum aurum, & tamen illud negaret præditum esse auri natura. Potestne apertior fieri contradictionis implicatio? Sed ne nunc de verbis disputemus, verus Deus à nobis is demum intelligitur, qui præditus est essentia diuina, qui est ille vnus Deus Israelis.

2. Resp. Refut. II. Itaque *respondet* Socinus, *plus hîc assumi quàm ex psalmo secundo desumi possit. Ibi enim*, inquit, *habetur, perituros illos, quibus Messias irascitur, & beatos fore, qui in illo confidunt: Hîc verò, Messiam habere imperium vitæ & mortis; quod multò plus est, quàm illud.* Quid? negatne Christum habere imperium vitæ & mortis? Non, inquit; *modò id rectè intelligatur, neque extra fines*

regni ipsius Christi extendatur. Quorsum igitur tendit ista responsio? Modò enim assumptio vera sit, siue ea possit elici è psalmo secundo, sive non possit, solidum est argumentum. Ea autem plusquam sexcentis Scripturæ locis firmari potest. Re vera tamen etiam ex Psalmo 2. desumitur. Quid enim? Is qui gentium & finium terræ possessor est & Dominus, qui potest gentes, tanquam figulina vasa, sceptro ferreo confringere & comminuere, cui Reges & Principes subjicere se debent, & cauere ne ipsis irascatur, quoniam, si vel minimum eis irascatur, futurum sit vt pereant in via, hic non habeat imperium vitæ & mortis? Si beati sunt qui ei confidunt, necesse est vt possit quoscunque velit seruare, quomodo autem seruare potest, si non habet vitæ & mortis imperium?

III. Sed quid sibi vult Socinus hac limitatione, *modò id non extra fines regni ipsius Christi extendatur?* Ostendant enim nobis quæso Aduersarii, qui aut vbinam sint, in quos Christus non habeat imperium vitæ & necis. Extra mundum sint necesse est: Is enim habet omnem potestatem in cœlo & in terra, hoc est, in toto mundo; quomodo omnem, si non vitæ & mortis? vbinam ergo sunt illi? in morte aut inferno? Etiam mortis & inferni ipse claues habet. Nec mirum; Iudex enim est viuorum & mortuorum absque vlla exceptione omnium, nec ab eo datur prouocatio.

IV. Fallitur igitur Socinus, cum subijcit (quæ tertia eius responsio videri possit) *In eo differentiam apparere inter Christum & Deum in mortis & vitæ imperio; cum Deus nullis omnino finibus circumscriptum istud imperium habeat, Christus autem sui regni & eorum, quæ quouis modo ad illud pertinent, aut pertinere possunt, finibus habeat circumscriptum.* Itane Christus habet imperium circumscriptum? vbi hoc legit Socinus? O miram hominis temeritatem & audaciam & ingratitudinem audentis non modò Filio Dei vnigenito Seruatori suo naturam diuinam detrahere, sed etiam eius imperium certis limitibus circunscribere! Non repetam quæ modò dixi, Filium Dei habere omnem potestatem in cœlo & in terra: tenere claues mortis & inferni: Iudicem esse viuorum & mortuorum sine exceptione omnium. Non obseruabo, Christum esse tam absolutè vnum Dominum, quàm Pater est vnus Deus: omnia quæcunque sunt Patris esse Filii: Christum esse hæredem omnium: æqualem Patri: ab omnibus Angelis, & Regi-

3. Resp. Refut.

Matth. 28.18. Apoc. 1. 18. 1. Cor. 8. 6. Ioh. 16. 15 & 17. 10. Heb. 1. 2.

bus adorandum. Tantùm lectorem meum rogabo, vt verba illa Apostoli apud se perpendat. Eph. 1. 20. *Eum sedere fecit ad dextram suam in cœlestibus; supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominium, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius.* Heb. 2. 8. *In hoc enim quod omnia ei subiecit, nihil omisit quod ei subiectum non sit.* Itaque ei, qui *est caput omnis principatus & potestatis*, omnis omnino creatura vbicunque sit laudem & gloriam, perinde ac Patri tribuit Apoc. 5. 13. vt à nobis est obseruatum Disp. 12. § 4. & necesse est, vt *in nomine Iesu curuetur omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum*, ac propterea fatendum est tam latè patere imperium Filij quàm Patris, neque esse aliquod imperium Patris, quod non sit etiam Filij.

Phil. 2. 10.

V. Addere videtur Socinus & quartam responsionem, cum subnectit hæc verba, *Præter id, quod* Deus *à nemine imperium habet: Christus verò, ex ipsius dono & largitate. Quod ipsum*, inquit, *per se satis est ad argumentum Aduersariorum conuellendum; cum propositio illa*, Solus vnus Deus habet imperium vitæ & mortis, *si vera esse censenda est, non aliter intelligi debeat, quàm illa, quæ à Paulo Apostolo testimonium habet: videlicet*, Solum vnum Deum habere immortalitatem: *cum tamen & Angeli habeant immortalitatem, & nos in resurrectione iustorum habituri simus; id est, vt de vita ac mortis imperio accipiatur, quod quis à nemine acceptum in seipso naturaliter & essentialiter habeat.* Primùm non potest ista limitatio ijs testimonijs adhiberi, quibus huiusce nostri argumenti major nititur. Iacob. 4. 12. *Vnus est Legislator & Iudex, qui potest perdere & seruare. Tu quis es qui iudicas alium?* Limitatio illa, *à semetipso. naturaliter* aut *essentialiter*, ad scopum Iacobi nihil facit, sed obest potius. Sic enim Iacobus non negaret alios posse perdere & seruare: tantùm negaret alios posse perdere & seruare a semetipsis; cum tamen eius consilium sit potestatem perdendi & seruandi alijs omnibus detrahere, vni legislatori seu Iudici vendicare. Enimuero ille solus est legislator, reliqui omnes illius legibus parere debent: Ille solus Iudex est, reliqui omnes ab eo iudicandi sunt: solus legislator & Iudex perdere & seruare potest, reliqui omnes eius lege & sententia perduntur, vel seruantur. Itaque alius nemo sibi sumere debet legislatoris aut judicis partes legem aut fratrem Iudicando.

4. Resp. Refut.

VI. Porrò quis eſt iſte legiſlator & Iudex? Deus pater præciſus a Filio? Non certè. Filius enim etiam legiſlator eſt. Eſai. 42. 4. *Legem eius inſulæ expectabunt.* 1. Cor. 9. 21. *ſubiectus legi Chriſti.* Gal. 6. 2. *& ita complete legem Chriſti.* Pſal. 78. 1. *Auſculta popule mi legem meam: inclinate aurem veſtram verbis oris mei*: Chriſti enim verba eſſe, qui ab Aſapho loquens inducitur, patet ex ſequentibus, *Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita ab initio*, laudatis a Matthæo, & vendicatis Chriſto Matth. 13. 35. nec non ex illis ipſis verbis, *Auſculta popule mi legem meam*; ſunt enim magnificentiora, quàm vt Aſapho cantori, immò quàm vt mero homini conuenire poſſint. Id quoniam ad propoſitum noſtrum pertinet, probandum quidem eſt, ſed breuiter.

VII. Primùm compellatio illa, *Popule mi*, Deum potius quàm hominem decet. Sic enim ſolet Deus compellare Eccleſiam ſuam Ierem 51. 45. *Exite de medio eius popule mi.* Mich. 6. ℣. 3. *Popule mi quid feci tibi.* & ℣. 5. *Popule mi recordare quæſo &c.* Homo verò merus Eccleſiam vniuerſam nunquã ſic compellat. Deinde qui ſic Eccleſiam compellat, iubet eam attendere, *Attende popule mi*, quod etiam Dei proprium eſt Pſal. 50. 8. & 81. 7. *Audi popule mi.* Eſai. 51. 4. *Attendite ad me popule mi.* Dauid quidem ita affatus fuiſſe dicitur primores populi Iſraelitici cum filijs & ſeruis ſuis præcipuis, 1. Paral. 28. 2. *Audite fratres mei & popule mi*: ſed primùm rex erat populi illius, cum huius pſalmi ſcriptor fuerit Aſaph vnus è leuitis cantoribus; deinde præmiſit illud *fratres mei*; Tum non alloquebatur Eccleſiam vniuerſam ad conſummationem vſque mundi, vt fit hîc, ſed eos tantùm qui aderant, quoſque in locum vnum conuocauerat. Sed quod caput eſt qui ſic Eccleſiam compellat ei legem ſuam commendat, *Attende popule mi legem meam.* Non dicit legem Dei, ſed legem meam. Loquitur tanquam totius Eccleſiæ doctor & legiſlator cui auſcultare & parere debeat. Nemo in Scriptura ſic loquitur præter Deum, & Sapientiam primis libri Prouerbiorum capitibus, quam eſſe Filium Dei probauimus lib. 1. Arg. XVIII. Cum enim Eccleſia ſit Dei populus & domus, ea quatenus talis eſt, ſubeſſe debet legi vnius Dei, non verò legi alicuius meri hominis. Neque fit nobis veriſſimile vllum merum hominem de ſe modeſtè & humiliter, vti par eſt, ſentientem auſurum fuiſſe Ec-

clesiam Dei ita coram Deo & Angelis affari, *Attende popule mi legem meam*. Non potest enim ipse Deus loqui maiestati suæ congruentiùs.

VIII. Adde quod cum eius qui sic loquitur consilium sit audientiam sibi facere, & attentionem populi sui conciliare, ad eam rem multò aptius efficaciusque fuisset, legem Dei quàm suam appellare, siquidem Deus non esset. Obligat enim ad attentionem & obedientiam lex Dei, non quatenus est lex hominis, sed quatenus est lex Dei, ac propterea solent Prophetæ Deum ipsum loquentem inducere, aut saltem eius nomine & autoritate vaticinijs suis fidem conciliare. Cum igitur iste cuius sunt hæc verba, *Audi popule mi legem meam*, satis in se vno dignitatis & auctoritatis esse arbitretur, nec alia vlla sibi opus esse ad commendandam doctrinam suam, & excitandam Ecclesiæ attentionem, annon hoc ipso se prodit Deum esse? loquitur enim cum auctoritate, ac tanquam populo suo, hoc est, Ecclesiæ suæ quis sit notus esse debeat, & quæ sit eius autoritas perspecta, manifestumque sit, aut saltem esse debeat, legi suæ attentionem & obedientiam deberi propterea quod sua sit: eò enim vno nomine eam commendat, tanquam nullum esse deberet Ecclesiæ Dei notius, charius, sanctius, & ad impetrandam ab ea non vulgarem attentionem efficacius: significat etiam ea ratione legem suam non posse, quatenus sua est, contemni absque graui peccato, ac debere eo nomine fidelibus esse commendatissimam omni seculo.

IX. Quoniam autem res est maximi momenti, & homines naturâ sunt increduli, non contentus compellatione illa, *Attende legem meam popule mi*, instat & vrget, eandemque attentionem alijs verbis exigit, *Inclinate aurem vestram ad verba oris mei*. Deinde ne putetur lex intelligi quæ lata fuerat olim è monte Sinai, significat se legem intelligere ferendam non latam, verba pronuncianda non verò jam pronunciata, duoque innuit inter legem olim latam & suam istam discrimina, quibus obseruatis sua agnosci possit, meritòque attentionem singularem requirat. *Aperiam in parabolis os meum: eructabo abscondita ab initio.* Magna est emphasis in verbis *Aperiam os meum*, necnon in verbo *Eructabo*, sed major in re ipsa: significat enim & quo modo & quid sit loquuturus.

X. Modum scire vis? *Aperiam*, inquit, *in parabolis os meum*, innuens

innuens se legem suam traditurum non vulgari nec consueto modo, sed extraordinario. Nihil enim causæ erat cur hoc prædiceret & promitteret, si eo modo aut semper, aut ferè semper Deus, Moses, & Prophetæ locuti essent. Talis enim præmonitio seu prędictio, nisi vehementer fallor, alibi non extat in Scriptura. Non dicit autem vsitata phrasi sumam aut assumá parabolá, quod in Scriptura, factum quidem fuisse à quibusdam narratur, facturum vero se nemo, quantum meminisse possum, prædicit: videri enim potuisset prolaturus γνώμας seu sententias, quales habentur in libro Prouerbiorum: sed inusitata, *Aperiam in parabola os meum*, vt magis docendi modum, quàm res docendas innueret, eumque non vulgarem. Ac propterea id accipi non potest de eo quod fit in reliquis huius psalmi versibus, in quibus ab vsitato docendi modo nullo modo discessum est, nihilque occurrit singulare, quamobrem tali tamque insolita & magnifica præfatione commendari præ reliquis psalmis hic psalmus debuerit. Exponi igitur debet, vt ab Euangelista Matthæo factum est, de Domino nostro Iesu Christo, qui aliter turbas docere non fuit solitus quàm aperiendo in parabolis os suum, qui proprius eius docendi modus tam singularis & extraordinarius, vt cætera, prædici debuit in Vetere Testamento. Alibi tamen prædictus non est; nec potuit verbis magis proprijs & disertis prædici, quàm fit hoc loco. Prædictum est igitur sine dubio hoc loco.

XI. Quid autem eo modo dicturus erat? *Eructabo*, inquit, *ænigmata ab initio.* Significat ex pectore suo tanquam ex fonte ebullitura ænigmata non recens excogitata, sed concepta ab initio, & veluti ad diuinandum Ecclesiæ proposita, nec dum intellecta. Ac proinde legem suam fore & nouam & antiquam, positam in reuelatione copiosa mentis diuinæ & mysteriorum occultorum ac ænigmatibus involutorum. Quod & erat ad conciliandam attentionem aptissimum, & neque in hoc psalmo, neque ab alio quàm à Christo Mundi luce factum est.

XII. Ne porro putaretur legem suam pronunciaturus terribili & miraculosa voce, quali lex vetus promulgata est è monte Sinaï, qui inductus est loquens vt Deus singulariter & magnificè versu primo, is versu tertio inducitur vt homo de semine Abrahami oriundus plurali numero loquens; vt significaret se hominem factum iri, & locuturum humano ore & voce, & sibi adjuncturum

de eadem gente Israelitica alios quosdam qui conjunctim eadem doceant, doceant, inquam, Israelitarum posteros qui nascentur circa vltima tēpora. Quoniam autem illi futuri erant paternarum traditionum admodum tenaces, & majorum suorum admiratores, eaq; de causa legem nouam contēpturi, pollicetur se & suos traditiones verè diuinas non modò non reiecturos, sed inculcaturos diligenter, relatè nimirum ad earum legitimum vsum & finem, qui alius esse non potest, quàm vt discant posteri suam in vno Deo collocare fiduciam, non autem in humanis traditionibus, aut operibus suis. Alioqui cauendum esse diligenter ne majores suos imitentur qui fuerunt increduli & rebelles in deserto & in terra Canaam, nec vllis miraculis & beneficiis adduci potuerunt, vt sicut par est, fidem haberent Deo; ac propterea castigati sunt à Deo sæpè, rejectusque est ille locus in quo & primo & diu arca fœderis mansit, nec-non ea tribus quæ prima & longo tempore honorem illum habuit, electusque est alius locus, qui dum arca erat in Scilo tenebatur à Iebusæis: qua vna in re latius explicanda reliquum psalmi consumitur, idque pluribus docetur, quod paucioribus dicitur psalmo 95. ℣. 8. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione, in die tentationis, in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri &c.* Ex his apparet Dominum nostrum eundem esse Deum & hominem, nostrumque legislatorem & iudicem, qui potest perdere & seruare.

XIII. Alter locus, quo præcipuè major Argumenti nostri nititur, habetur Deut. 32. 39. *videte nunc quod ego, ego sum, & non est Deus mecum. Ego occidam & viuificabo, vulnus infligam & ego sanabo, & non est qui de manu mea possit eruere.* Non potest in his Dei verbis limitatio illa Sociniana subaudiri, *Ego occidam & viuificabo*, scilicet a meipso, essentialiter & naturaliter: non enim Deus occidit & viuificat essentialiter, sed pro liberrimo suo beneplacito; nec potest antecedentibus aut sequentibus verbis eiusmodi limitatio accommodari. Non antecedentibus, *& non est Deus mecum*: Sic enim non excluderentur Dij gentium, quos ne esse quidem a seipsis sui cultores arbitrati sunt. Nec sequentibus, *Et non est qui de manu mea possit eruere.* Sunt enim sine vlla limitatione verissima, essetque ridiculus qui diceret, esse qui de manu Dei possit eruere, non quidem a seipso naturaliter aut essentialiter, sed tamen qui possit de manu Dei eruere. Vndecunque

enim is talem haberet potentiam, eſſet Deo potentior, Deuſque non eſſet omnipotens, atque adeo non eſſet Deus. Manifeſtum etiam eſt Deum eo loco ſeſe probare & demonſtrare Deum eſſe, & quidem ſolum, hoc argumento, quod nunc videant eum pro ſuo arbitrio occidere & viuificare, nec eſſe alium Deum qui idem poſſit, aut qui poſſit eos de manu ſua eruere: ac proinde neceſſe eſſe vt ad ſuam vnius miſericordiam confugiant, ſi velint ſeruari. Id quod ipſa quoque antecedentia Dei verba confirmant, *Et dicet, vbi ſunt dij eorum, petra in qua fiduciam ſuam collocabant? &c. Surgant, & opitulentur vobis, & ſint vobis in latibulum. Videte nunc quod ego ſum &c.* ſignificat enim præter ſe vnum neminem poſſe eos ſeruare.

XIV. Deinde intelligi non poteſt, quomodo diuinum imperium diuino modo adminiſtrandum communicari potuerit non communicatâ diuinâ naturâ. Opus enim eſt ad rem tantam facultatibus intelligendi volendi & agendi plane divinis, quæ a diuina natura ſeparari non poſſunt. Nam, exempli cauſa, humanum imperium humano modo exercendum fruſtrà cum bruto animali communicaretur, niſi cum eo etiam humanæ facultates intelligendi volendi & loquendi communicarentur, quibus ei indultis non amplius brutum, ſed rationale animal, id eſt, homo natura rationali ſeu humana prædirus eſſet. Aut igitur Dominus noſter præditus eſt intellectu voluntate & vi agendi diuinis, aut non. Si ijs præditus non eſt, quomodo poteſt imperium planè diuinum in cœlum & terram, in Angelos & homines, in viuentes & mortuos diuino modo tenere & exercere? Si præditus eſt, quomodo poſſunt in eo diuina mens, diuina voluntas, & diuina vis agendi abſque diuina natura conſiſtere? Sic igitur argumentor. Quicunque præditus eſt diuino intellectu, diuina voluntate, diuina vi agendi, is præditus eſt diuina naturâ ſeu eſſentia. Quicunque autem habet imperium diuinum ſeu abſolutum vitæ & mortis in omnes creaturas, is eſt præditus diuino intellectu, diuina voluntate diuinaque agendi vi. Quicunque igitur habet imperium vitæ & mortis abſolutum in omnes creaturas is eſt præditus eſſentia diuina.

XV. Diſtinctio originis perſonarum quidem diſtinctionem inducit, qua fit vt alia Pater, alia Filius dici poſſit; ſed non facit, vt ſpecie aut genere differat natura Patris a Filij naturâ. Doceant

ergo nos Aduersarij, quomodo potuerit Pater imperium suum communicare cum Filio, nec tamen potuerit cum eo communicare facultates suas intelligendi volendi agendi ad tantum imperium administrandum necessarias. Aut si has potuit communicare cur non potuerit pariter naturam suam cum eo communicare? Filius enim habet a patre non minus naturam suam quàm imperium. *Sicut enim Pater habet vitam in seipso, sic dedit & Filio habere vitam in seipso.* Qualis igitur est vita Patris, talis est vita Filij: & vt illa pertinet ad naturam Patris, sic ista pertinet ad naturam Filij. Discrimen inter vtriusque vitam nullum obseruari potest, nisi originis ad distinctionem personarum Patris & Filij prorsus necessarium: habet enim vterque vitam in seipso, qua non modo viuit, sed potest etiam quos vult viuificare, & a mortuis suscitare. Hinc ita argumentor. Personæ quarum imperium non differt nisi origine, sunt ejusdem speciei. Patris & Filij imperium non differt nisi origine. Pater igitur & Filius sunt ejusdem speciei. Si sunt eiusdem speciei sunt præditi eâdem specie naturâ. Si igitur Patris natura est diuina, etiam Filij natura diuina est.

Ioh. 5. 26.

XVI. Ergo, inquiet forté aliquis, alia est numero natura seu essentia Patris, alia Filij. Non sequitur. Non enim differt numero imperium Patris ab imperio Filij. Idem enim numero vtriusque regnum est, idem thronus, iidem ministri & subditi, eadem gloria &c. Et tamen imperium habet Filius a Patre communicatum. Sed hac de re alio loco disputandum erit diligentius.

XVII. Cæterum quod ait Socinus, Deum Patrem habere imperium *essentialiter & naturaliter*, id quomodo verum sit dispicere oportet: Est enim Dei imperium duplex, vnum naturale, alterum acquisitum. Illud est in omnes creaturas, Hoc in Ecclesiam. Illud nititur Dei excellentia & creatione Mundi, Hoc redemptione. Eodem iure nititur Filii Dei imperium. Primùm enim quâ Filius hæres est Patris. Deinde Mundi Dominus est iure creationis, quia *per eum factus est Mundus, per eum facta sunt secula, per eum sunt omnia, per eum creata sunt omnia.* Tum Dominus est Ecclesiæ, quia eam sanguine suo redemit sibique acquisiuit. Vt igitur naturam suam habet a Patre (alioqui Filius non esset) & tamen naturã suam habet in se essentialiter & naturaliter; sic quod imperium habet a Patre, id non impedit, quominus dici possit illud habere naturaliter & essentialiter, hoc est, tanquã naturæ seu essentiæ suæ consequens

Ioh. 1. 10. Heb 1. 2. 1. Cor. 8. 6. Col. 1. 16.

quoddam neceſſarium. Ad illud autem quod Apoſtolus dixit, *Solum Deum habere immortalitatem*, iam reſponſum eſt. Arg. XX. § 2. Arg. XXI. § 2. & 3.

XVIII. Poſterius argumentum ſic Socinus formauit. *Soli vero Deo confidendum eſt. Sed Meſſiæ ſeu Chriſto confidendum eſt. Igitur Chriſtus eſt verus Deus.* Propoſitionem Bellarminus & Vviekus firmauerant loco Hierem. 17. 5. 7. vbi Maledictus dicitur quicunque confidit in homine, & benedictus qui confidit in Deo: Aſſumptionem vero vltimis verbis pſalmi ſecundi, *Beati omnes qui confidunt in eo.* Quid reſpondet Socinus? Negatne propoſitionem? Non. *Propoſitio*, inquit, *ſi recte intelligatur, eſt Veriſſima.* Negatne aſſumptionem? Minimè; *libenter enim*, inquit, *nos quoque poſtrema pſalmi verba ad Chriſtum, ſeu Filium referimus.* Quid ergo reſpondet? Primò negat propoſitionem ex Hierem. cap. 17. 5. 7. probari poſſe. At ſiue ex eo loco probari poſſit, ſiue non poſſit, modo ſit, vt fatetur Socinus, veriſſima, nobis ſufficit.

XIX. Age tamen quid ad illum locum reſpondeat videamus. *Propoſitio eſt*, inquit, Soli vero Deo confidendum eſt, *Productum verò teſtimonium habet, maledictum eſſe hominem, qui confidit in homine: & beatum eſſe qui in Deo confidit. Atqui reperitur, qui nec homo eſt, nec ille Deus, de quo hîc agitur. Quare non ſequitur ex teſtimonio iſto, ſoli vero Deo confidendum eſſe. Non excludit, inquam, iſtud teſtimonium verbi gratia, angelos, quominus in illis quis confidere poſſit, nullus enim angelus eſt homo: etiamſi nullus eorum ſimiliter ſit ille Deus.* Extra oleas fertur: non enim de angelo agitur in hac controuerſia, ſed tantùm de Deo & de homine: ac propterea modò particula excluſiua in propoſitione hominem excludat, ad propoſitum noſtrum ſatis eſt.

XX. Quinimo poſſumus ex hoc Ieremiæ loco rectà argumentari, hoc modo. Qui confidit in homine eſt maledictus. Qui confidit in Chriſto non eſt maledictus. Ergo qui confidit in Chriſto non confidit in homine. Confidit tamen in homine, ſi Chriſtus tantùm homo eſt. Eſt igitur Chriſtus ita homo, vt ſit etiam aliud quid quàm homo. Eſt igitur aut angelus, aut Deus. Non eſt autem angelus. Eſt igitur Deus. Sic ex verbis maledictus vir qui confidit in homine, concluſum eſt quod probare inſtitueramus.

XXI. Poteſt Etiam ex ſequentibus verbis, *benedictus qui confidit in Domino*, aliquid argumenti colligi. Aut enim Domini nomine Chriſtus comprehenditur, aut non. Si comprehenditur, eſt Dominus, ſeu, ut vulgò pronunciant, Iehoua, Deus Iſraelis. Si non comprehenditur, benedictus eſt qui confidit in Domino, etiamſi non confidat in Chriſto. id quod falſum eſſe clamat Euangelium. Idē quoque ſic poteſt cōcludi. Aut Dominus, qui hoc loco intelligitur, tota natura differt a Filio, aut non. Si non differt, cum Dominus ſit prædirus natura diuina, eadem naturâ præditum eſſe oportet Filium. Si differt, poteſt aliquis in eo confidere, nec tamen confidere in Filio. Quid enim prohibeat, aliquem confidere in Domino & non confidere in eo qui non eſt Dominus, confidere in creatore & non confidere in mera creatura? Attamen implicat contradictionem aliquem confidere in Domino & non confidere in Filio. Simul enim eſſet benedictus, quia *benedictus eſt qui confidit in Domino* teſte ipſo Domino Ierem. 17. 7. Et non benedictus ſed maledictus, quia *qui non credit in Filium iam damnatus eſt* teſte ipſo Filio Ioh. 3. 18. & toto Euangelio. Qui autem non confidit in Filio hunc non credere in Filium manifeſtum eſt.

XXII. Fruſtrà diſtinguent Aduerſarii tempora Euangelii a temporibus quæ promulgatum Euangelium antecesſerunt. Primùm enim mirum eſt non poſſe hoc tempore quenquam Deo Iſraelis fidere, qui Chriſto non fidat, ſi Deus Iſraelis & Chriſtus totis eſſentiis differunt, nihilque iſte eſt niſi creatura illius. Deinde, quid impedit quominus de vtriſque temporibus idem iudicium fiat? An quia Filius tunc non erat? At fuiſſe tot argumentis probauimus, quot extant in hoc & ſuperiore libro. An quia reuelatum non erat, confidendum eſſe Filio? At id reuelatum eſt apertiſſimé hoc, de quo agimus, loco Pſal. 2. ℣. 12. Tum poſita illa diſtinctione pugnabit cum his oraculis Euangelium. Clamat Dominus apud Ieremiam maledictum eſſe qui confidit in homine, Euangelium contrà benedictum eſſe qui confidit in homine. Clamat Dominus apud Ieremiam benedictum eſſe qui confidit in Domino, Euangelium contrà maledictum eſſe qui confidit in Domino niſi ſimul confidat in homine: Salutem enim cum fide in hominem reciprocari Ioh. 3. 18. 36. &c. Conciliatio nobis facilis eſt, hominem illum nihil eſſe, niſi ipſum Dominum, qui ſumpta hominis, immò ſerui, forma ſeſe hominibus oſtendit, vel

vt verbis vtar Apoſtoli Iohannis, *Deum factum carnem*, & Pauli Ioh. 1. 14. 1.
Deum patefactum in carne: Itaque qui in eo confidit, non in ho- Tim. 3.
mine, ſed in Domino confidere. Aduerſariis verò, niſi vehemen- 16.
ter fallimur, conciliatio difficilis, imò impoſſibilis eſt.

XXIII. Nunc pergat Socinus. *Iam*, inquit, *quod ad Chriſtum attinet, de quo eſt quæſtio, is eiuſmodi eſt, vt quamuis non ſit ille* Deus *& ſit homo, talis tamen ſit homo, vt meritò dici poſſit, eum non ſimpliciter eſſe hominem, ſed diuinum hominem: præſertim poſt ipſius glorificationem; poſt quam reuera cœpit habere locum id, quod pſal. 2. de ei confidendo dictum eſt*. Hoc non eſt reſpondere, ſed diuinum oraculum eludere. Nam cum hominum alii nihil niſi communem naturam habere, alii ſupra aliorum ſortem euecti videantur, dicent huius ſeculi homines, illis qui nihil niſi homines ſunt maledictum eſſe qui confidit, non verò iſtis qui non ſimpliciter ſunt homines, ſed diuini homines, quales ij ſunt, qui Heroes & ſemidei, & ἰσόθεοι a poetis vocantur, nec non ſupremi magiſtratus, qui etiam dij appellantur in Scriptura, & ſi qui alij vel robore, vel prudentia, vel opibus, vel numeroſo exercitu, uel ſanctitate eminent inter homines. Certè poſita illa diſtinctione nihil prohibuit, quominus fiducia reponeretur in Iohanne Baptiſta: *Non poteſt* enim *negari, Iohannem Bapt: fuiſſe virum diuinum*, inquit Smalcius Paraph. in Ioh. 1. 6. Si in Iohanne Baptiſta, multò magis in Apoſtolis, imò in quolibet ciue regni cœlorum: *minimus enim in regno cœlorum maior eſt Iohanne Baptiſta* teſte ipſo Chriſto Matth. 11. 11. Cæterum confidendum fuiſſe Chriſto, etiam antequam glorificatus eſſet, ipſe Chriſtus docuit Ioh. 14. 1. *Creditis in Deum, etiam in me credite*. & Ioh. 3. 18. *Qui credit in eum non condemnatur. Qui verò non credit iam condemnatus eſt, quia non credidit in nomen vnigeniti Filij Dei*, & paſſim alibi. Non intelligo autem quomodo credat in Filium Dei, qui ei non confidit.

XXIV. His præmiſſis Socinus paulò diligentiùs teſtimonium ipſum expendit, & recitato verſiculo 5. integro, *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & a Domino recedit cor eius*, ait *non ſimpliciter pronunciari hîc maledictum hominem illum, qui in homine confidit, ſed qui ita confidit, vt ponat carnem brachium ſuum, id eſt, in ipſis humanis viribus ſpem ſuam collocet, ſeu in homine ipſo per ſe, citra ſpiritus ac virtutis*

diuinæ opem. Accipit igitur verba, *Et ponit carnem brachium suum &c* tanquam limitationem seu restrictjonem antecedentium, *qui confidit in homine*; cum tamen reuera nihil sint, nisi eorum expositio accommodata ad rationes insinuandas, cur sit maledictus qui confidit in homine. Ponere enim aliquem brachium suum & ei confidere phrases sunt æquipollentes. Caro autem hominem significat, & pro eo usurpatur passim, ut Gen. 6. 12. Deut 5. 26. psal. 56. 5. & 65. 3. Esa. 40. 5. & 49. 26. Hierem. 25. 31. & 45. 5. Ezech. 21. 5. &c. Ponere igitur carnem brachium suum & ponere hominem brachium suum seu homini confidere, idem sunt, nec differunt, nisi quod phrasis illa aptior est quám ista ad retegendam eiusmodi confidentiæ inutilitatem & vanitatem. Vno verbo, cum homo caro sit, quicunque confidit homini confidit carni, nempe, inquit Aduersarius, *si in ipsis humanis viribus spem suam collocet, seu in homine ipso per se, citra spiritus ac virtutis diuinæ opem.* At inquam, si spem suam in spiritus ac virtutis diuinæ ope collocat, eam non iam in homine reponit, sed in Deo cuius est illa virtus, quique homini illi adest opemque prȩstat. Christus autem voluit in se credi, non tantùm in Deum patrem. *Creditis in Deum*, inquit, *etiam in me credite. Amen amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam. Quicunque contemplatur Filium & credit in eum habet vitam æternam, & suscitabo eum ego vltimo die. venite ad me omnes qui laboratis* &c.

XXV. Responderi non potest, nec hominem ab illa virtute diuina nec virtutem diuinam ab homine seorsim spectari debere, sed coniunctim, vt sit obiectum fidei ac fiduciæ homo ille diuina instructus virtute. Nam virtus illa diuina consideratur vel vt virtus aliena, Dei videlicet, qui homini illi fert opem; vel vt virtus hominis illius propria, in ipso residens & posita in potestate arbitrii ipsius. Si prius, rectá in Deum fertur & recumbit fides, nec homini illi confidendum est, sed Deo, qui pro beneplacito suo liberrimo homini illi adest, eique virtute sua opitulatur. Si posterius, Quid sit illa virtus diuina considerandum est. Nam si est substantia, duæ fuerunt hominis seu personæ illius substantia, vna nobilior quæ spiritus & virtus diuina appellatur, altera inferior quæ caro, hoc est, natura humana imbecilla & caduca vocatur. Voluntne igitur Aduersarij Dominum nostrum præditum fuisse duabus eiusmodi substantijs, quarum altera posset facere quicquid

quid vellet, cæcorum oculos aperire, mortuos ad vitam reuocare &c; altera posset pati quicquid ei malorum infligere homines impij vellent? Hoc si concederent, confecta res esset. Facilè enim euinceremus substantiam eiusmodi nonnisi diuinam esse naturam. Si vero dicatur esse accidens hominis Christi, quandoquidem Christus caro fuit, summa vis summaque imbecillitas, res admodum oppositæ, eidem carni, eidem, vt loquuntur, subiecto *quo* inhæserunt eodem tempore. Quod cum recta ratione conciliare Aduersarios non puto posse. Sequentur etiam alia absurda, quæ hîc commemorare nihil opus est.

XXVI. Pergit Socinus. *Additur,* inquit, *postremò expressè,* & a Domino recedit cor eius. *Vt scilicet intelligatur, Deum habiturum aliquam rationem illorum, qui, licet homini cuipiam plus æquo confidant, humanis viribus id tribuentes, quod ipsius Dei est proprium, tamen interea ab ipso Deo non deficiant, nec mentem ab ipso auersam aut alienam gerunt.* Hîc Socinus pugnantia dicit. Humanis enim viribus id tribuere quod ipsius Dei est proprium magna est iniustitia, & aduersus Deum ingratitudo, & iniuria sacro eius nomini illata, immò idololatria; ac propterea qui id facit ab ipso Deo, si non pro toto, vt loquuntur, saltem pro tanto, deficit, & mentem auersam gerit. Si quis potestatem ipsius Regis propriam alicui ex eius subditis tribueret, nonne eo ipso a Rege deficere putandus esset? Deus riualem ferre non potest. Non colitur cum coluntur vna cum eo dij alieni. *Nemo potest*, inquit ipse Dominus, *duobus dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vni adhærebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & Mammonæ.* Nemo igitur potest Deo adhærere & homini, Deo confidere, & homini. Cui enim quis confidit huic adhæret & seruit. Itaque mihi Socinus ita loqui videtur vt mulier adultera, quæ id alij tribuendo quod mariti proprium esse debet, negaret se a marito suo deficere, aut mentem auersam vel alienam gerere.

XXVII. Non sunt igitur in hoc oraculo, *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor eius*, verba posteriora priorum restrictiones, sed, vt dixi, explanationes, quibus redduntur rationes cur sit qui homini confidit homo maledictus, nempe primò nititur re caduca & imbecilla, quæque seruare non potest, carne videlicet: omnis

enim homo est caro. Deinde quatenus confidit homini non confidit deo, sed ab eo recedit cor eius; ac proinde se necessario priuat fundamento & auxilio, Deique iram in se prouocat. Qui confidit in homine, is domum suam ædificat super arenam. Qui autem ædificat super arenam, is non ædificat super petram. Quapropter cadere eam tandem aliquando necesse est. Atqui, inquiunt, qui Christo confidit non nititur carne, nec deficit à Deo. Certè; nam Christus est Deus patefactus in carne. Itaque adhærere Christo est adhærere Deo, seruire Christo est seruire Deo, confidere Christo est confidere Deo.

XXVIII. Progreditur vlterius Socinus, & hoc idem oraculum in Bellarminum & Vvickum retorquet. *Dicant mihi*, inquit, *obsecro, ipsi, inquam, Pontificij, Annon virgo Maria Christi mater corpore & anima, vt ipsis placet, in cœlum assumpta est homo? An fortasse excellentior homo est quàm necesse sit Iesum ipsum Christum esse, si non est ille vnus Deus? Non dicent opinor. Quomodo igitur, cum ipsa non sit ille vnus Deus, eam tamen (vt catera prateream, quibus demonstrant, se in illa confidere) spem suam vocant? Quid enim est in aliquo confidere, si hoc non est, eum spem suam esse statuere? Annon coguntur, si velint hoc suum factum tueri, ostendere non esse simpliciter vetitum in homine confidere?* Hæc retorsio nullo modo nos tangit, qui virginem Mariam, Christi τὸ κατὰ σάρκα matrem, beatam quidem prædicamus, præclarèque de ea sentimus & loquimur, ei tamen, cum Deus non sit, non confidimus. Ab ea autem quomodo se tueri possint Pontificij equidem nullus video.

XXIX. Putat igitur Socinus, eos necessariò responsuros, *Non omnem fiduciam in homine collocandam prohiberi: sed eam, qua, vt in nostra felicitatis auctore, (id est,* vt mox exponit, *sola & prima causa) collocetur.* At quis est si Atheos & Epicureos seponas, qui vsque adeò insaniat, vt putet hominem solam & primam causam esse felicitatis hominis? Illi ipsi qui equis & armis & militibus confidunt, siue Christiani sint, siue Iudæi, siue Mahometani, siue Ethnici solent numinis opem implorare: Nec est quisquam ita amens qui non confiteatur, vires humanas, quibus nititur & confidit, a Deo esse: Eluditur igitur ea responsione hoc Dei testimonium, redditurque elumbe & inutile.

XXX. Eam autem responsionem Socinus pluribus persequitur, & ad Mariam virginem primùm ex Pontificiorum, vt ipse

pûtât, sententia, deinde ad ipsum Christum accommodat, eaque dicit ex quibus, vt rem in pauciora contraham, talis colligitur solutio argumenti nostri. In solo Deo Confidendum est, scilicet, *vt in nostræ felicitatis auctore, id est, sola & prima causa.* Atqui in Christo confidendum est, scilicet, *non alia ratione, aliamue ob caussam, quàm vt in secunda seu instrumentali efficiente felicitatis nostræ caussa, & ob id, quòd ab illo vno Deo nobis absolutè felicitandis, hac conditione, vt illum pro tali habeamus, præfectus fuit.* In qua responsione multa peccat. Primò discedit a forma sanorum sermonũ & stilo Scripturæ quæ constanter fiduciam nostrã ab hominibus alijsq; creaturis abstrahit, nulla eiusmodi distinctione vspiam insinuatâ. Deinde illis qui auro argento equis equitibus hominibus, alijsque id genus rebus, confidunt excusationem suppeditat peccati: dicent enim se illis non cõfidere, nisi vt causis secundis & instrumentalibus. Tum non attendit quanti sint momenti verba, *Maledictus est homo qui confidit in homine.* Cum enim in ijs de summa rerum nostrarum agatur, cum nihil sit magis euitandum quàm maledictio, cum constet ipsius Dei verba esse, qui contrà affirmat, non esse maledictum hominem qui confidit in homine, hunc oportet propositionem suam auctoritate Scripturæ confirmare; aut si distinctionem vel limitationem verbis Dei adhibet, eam è Dei mente esse necessario aliquo argumento clarum facere, vt quàm constat, propositionem, *Maledictus est qui confidit in homine*, diuinam esse, tam etiam constet, diuinam esse propositionis illius distinctionem seu limitationem, qua fiat, vt propositio opposita, *Maledictus est qui confidit in homine*, pro vera haberi debeat. Alioquin enim tutum non esse limitationes aut exceptiones pro ingenio comminisci, aut iis, qui eius quod Deus affirmant oppositum docent, fidem habere, testes sunt illustres historiæ Saulis & viri Dei, quarum altera 1. Sam. cap. 15. altera 1. Reg. cap. 13. habetur.

XXXI. Præterea si potest homo confidere homini malè & benè; malè, si ei vt auctori seu primæ causæ, benè, si ei vt causæ secundæ & instrumentali fœlicitatis confidit, circuncidendum fuit fiduciæ in homine præputium, nosque à mala fiducia ad bonam reuocandi fuimus: quod tamen in Scriptura, quæ perfectissimam doctrinam perfectissimè continet, non fit vspiam. Damnat illa perpetuò fiduciam quæ collocatur in homine, nec ei per-

proprietatibus diuinæ naturæ, idololatra eſt ac iniuriam Deo maximam facit qui confidit in homine ſeu mera creatura; vt mirum videri non debeat, ſi clamat Scriptura, Maledictum eſſe hominem qui confidit in homine. Quare cum non prohibeamur confidere in Chriſto, ſed iubeamur potius, immò id à nobis ſub pœna damnationis exigatur, eo ipſo profectò à nobis exigitur, vt eum pro omniſcio, omnipotente, & omnipræſente, hoc eſt, Deo diuina eſſentia prædito habeamus.

XXXV. Quapropter falſum eſſe oportet quod affirmat Socinus, Dominum auctorem non eſſe, ſed tantùm cauſam ſecundam ſeu inſtrumentalem efficientem felicitatis noſtræ. Cauſam enim tantummodo inſtrumentalem ſi perſona eſt, nihil niſi ſeruum eſſe neceſſe eſt. Dominus autem ſeruus quidem fuit, quatenus cum eſſet in forma Dei, nec rapinam duceret eſſe ſe æqualem Deo, ſemetipſum exinaniuit ſumpta ſerui forma, reuera autem ſeruo opponitur vt Filius, vt Dominus, vti patet ex Heb. 3. 5. 6. & Socinus confitetur Diſp. de Adoratione Chriſti cum Chriſtiano Francken. Num. 60. *Immò*, inquit, *Chriſtus homo eſt Dominus omnium noſtrum, adeòque angelorum omnium. Sic, vt nunc non modò conſeruus noſter ſimpliciter dici nequeat, quod nec vnquam potuit, ſed ne Dei quidem ipſius ſeruus propriè dici poſſe videatur. Vnde verba illa Pauli 1. Cor. 15.* Tunc & ipſe filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ipſi omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus. *Hinc enim apertè conſtat, Paulum ſenſiſſe, non poſſe Chriſtum hominem, cui Deus omnia ſubiecit, hoc tempore propriè Deo ſubiectum dici; quare neque etiam propriè eius ſeruum.* Si igitur propriè non ſubjicitur Deo, nec eſt ſeruus Dei, quomodo propriè nihil eſt, niſi creatura, niſi inſtrumentum Dei? cauſa enim ſecunda & inſtrumentalis primæ & principali ſubjicitur & ſeruit.

XXXVI. Si virtutes ad nos ſeruandos & beandos neceſſarias ſpectes, non pauciores nec minores quàm Pater, Filius exeruiſſe videtur, ſummum erga nos amorem, ſummam authoritatem, ſummam potentiam. Si laudem & gloriam quæ ex tanto opere conſurgit, ea ad Filium non ſecus ac ad Patrem pertinet. Emit ipſe nos ſi Patri, etiam ſibi Apoc. 14. 4. Tit 2. 14. Si illis omnibus qui ipſi obediunt auctor eſt ſalutis æternæ vt Mediator, primus & ſummus eſt, immo vnicus Mediator: Si vt Sacerdos, in eo munere nemini ſubordinatur: Si vt Rex & Dominus, non modo non

est Dominus secundus primi vicarius, sed quod magis est, solus est Dominus. Sed ne sim longior, si Filius non est nisi causa secunda & instrumentalis salutis nostræ, quomodo ipse Patre, Angelis, & tota Ecclesia audientibus clamat & inculcat, se esse *Alpha & omega, primum & vltimum, principium & finem*? Hæc enim sunt elogia causæ primæ & principalis, non verò illius, quæ nihil nisi secunda sit & instrumentalis.

XXXVII. His duobus argumentis, quibus frustrà occurrere conatus est Socinus, tertium subnectam, quod sic habet. Soli Deo Israëlis confidendum erat tempore Dauidis. Filio confidendum erat tempore Dauidis. Filius igitur est Deus Israëlis. Negabunt Aduersarij minorem. Ea probatur ex verbis istis psal. 2. *beati qui confidunt in eo*. Non enim dicit in futuro, qui *confident*, sed in præsenti qui *confidunt*; cur, si eo tempore nec poterant nec debebant in eo fideles confidere? cur etiam illorum seculorum hominibus miseriam suam sentientibus & beatitudinis sitientibus canebatur illud, & legendum identidem offerebatur, *Beati qui confidunt in eo*, nisi vt rationem cognoscerent, qua beati fieri possent? Quis enim credat hominibus beatitudinem appetentibus rationem beatitudinis consequendæ diuinitus propositam fuisse, quæ ad eos nullo modo spectaret, & ad quam nullo modo aspirare possent? Quorsum enim id pertinuisset?

XXXVIII. Hoc idem confirmat collatio versus vltimi psalmi secundi cum versu primo psalmi primi. Sunt enim duæ duntaxat consequendæ iustificationis seu beatitudinis rationes: vna ex merito, altera ex gratia; illa fœdere legali, ista Euangelico; illa perfecta obseruatione legis, ista fide in Christum nititur. Tertia non datur, Ac, vt verbis Crellij comm. in Rom. cap. 1. ℣. 11. vtar, *Nullus alius restat iustificationis modus. Nam vel operum meritis iustificatio quærenda est, quem modum Lex præscribit: vel per fidem, quem modum & Euangelium proponit, & Veteris Testamenti scripta commendant & promittunt*. Prior modus proponitur psalmo primo, *Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum* &c. Sed, quoniam nemo ita à malo abstinet & bonum facit, quin peccet interdum; omnis autem peccator Legis sententiâ maledictus est, ac propterea ex operibus Legis nulla caro iustificabitur in Dei conspectu, statim sequente psalmo alter iustificationis & beatitudinis obtinendæ modus retegitur & declaratur,

Eccl. 7. 21. Rom. 3. 9. 20. Gal. 3. 10.

nempe fides in Filium Dei, cui, teste Petro, *omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accepturum per nomen eius omnem qui crediderit in eum. Per eum* enim, vt verbis vtar Pauli, *quicunque credit ab omnibus iustificatur, à quibus per legem Mosis iustificari non potuit*, cur igitur hominibus, qui priore modo iustificari, atque adeo beati fieri non poterant, statim secundus proponitur, nisi vt eum amplectantur, tanquam alteram post naufragium tabulam, aut potius nauem, qua tutò ad portum fœlicitatis appellantur? Ex quo, quamuis exiguum sit, specimine colligi potest, psalmos non esse temerè in vnum volumen conjectos, sed magno delectu, magnaque prudentia in optimum ordinem digestos ac dispositos.

Act. 10. 43.
Act. 13. 39.

XXXIX. Denique rationem consequendæ iustificationis seu beatitudinis per fidem in Filium, quæ psalmo secundo reuelatur, ad fideles, qui seculis illis viuebant, pertinuisse, ex eo liquet, quod illi sine dubio iustificati seu beati fuerunt: vel igitur per legem, vel per fidem in Filium Dei iustificati fuerunt. Non per Legem. Id enim Apostolus quinque primis Ep. ad Rom. capitibus, necnon Epist. ad Gal. abundè demonstrauit. Ergo iustificati fuerunt per fidem in Filium Dei; Aut tertius iustificationis seu beatitudinis adipiscendæ modus excogitandus erit ab Aduersarijs, fortiter reclamante Scriptura.

XL. Sunt alij Psalmorum loci quibus diuina Domini nostri essentia probari possit. Cuiusmodi est, exempli causa, Psal. LXXXII. ℣. 8. *Surge Deus, iudica terram: quoniam tu in hæreditatem accipies omnes gentes.* Quis enim surget, iudicabit terram, hæreditario jure gentes omnes possidebit, nisi Filius, qui est venturus ad iudicium, & cui datæ sunt gentes in hæreditatem? Sed mihi tempero, ac, quantum possum, breuitati consulo.

eſt is quem Iudæi prouocarunt ad Zelotypiam. Chriſtus eſt ſponſus ſeu Maritus Eccleſiæ teſte Iohanne Baptiſta Ioh. 3. Ergo Chriſtus eſt is quem Iudæi prouocarunt ad Zelotypiam.

IV. Quartum argumentum ex eodem verſu eruitur, *Ipſi me pronocarunt in eo qui non eſt Deus, & irritauerunt vanitatibus ſuis, Et ego pronocabo eos in eo qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo illos.* Quemadmodum Iudæi Deum prouocarunt conuertendo ſe ad alium Deum, ſic Deus Iudæos prouocauit conuertendo ſe ad alium populum, hoc eſt, ad gentes. Pœna eſt Talionis. Quia Iudæi Deum dereliquerunt, Deus eos dereliquit. Quia religioſè coluerunt eum qui non erat Deus, Deus complexus eſt eum qui non erat populus eius. Id factum eſt vocatione gentium, nec fieri potuit alia ratione. Hinc ita argumentor. Ille qui Iudæos prouocauit ad æmulationem ſeu Zelotypiam conuertendo ſe ad gentes, tanquam ad aliam vxorem, eſt Deus Iſraëlis. Is autem eſt Chriſtus. Eſt igitur Chriſtus Deus Iſraëlis. Majorem negari non patitur hic locus; nec minorem Euangelium. Cuius enim fuit Iudæos ſic prouocare? Annon eius vnius, qui Act. 22. erat populi Iudaici Deus & maritus? Quis autem ſic eos prouo- 21.2. cauit? Certè Chriſtus vnicus Eccleſiæ ſponſus. Is enim Apoſto- II Cor. lum Paulum, alioſque ſeruos ſuos miſit ad gentes ſibi, tanquam 2. 2. ſponſam ſponſo, conciliandas & adjungendas.

V. Quintum argumentum elicitur ex ℣. 39. *Videte nunc quod ego, Ego ſum, Et non eſt Deus mecum.* q. d. Noluiſtis antehac mihi ſeruiſque meis nuntiantibus ac teſtantibus, *quod ego ſum*, credere, ac propterea abſcondi faciem meam à vobis, conuerti me ad alium populum, vos per multa ſecula grauiſſimis calamitatibus affeci &c. Nunc verò videte, oculis vſurpate, (ita enim clarè reuelatum eſt, vt poſſit videri) quod ego, Ego, inquam, ſum, & non eſt Deus præter me. Hanc enim eſſe verborum illorum ſententiam, qui non prorſus oſcitanter diuinum illud canticum perlegerit, facilè agnoſcet. Sic igitur argumentor. Ille quem Iudæi noluerunt agnoſcere & habere pro Deo, atque ob eam cauſam rejecti ſunt; & in eorum locum ſuffectæ gentes, eſt Deus Iſraëlis, vt patet ex hoc ℣. 39. collato cum antecedentibus. Atqui Chriſtus eſt ille quem Iudæi noluerunt agnoſcere & habere pro Deo, atque ob eam cauſam rejecti ſunt &c, vt patet ex Nouo Teſtamento. Chriſtus igitur eſt Deus Iſraëlis. Dixerat Iudæis

Christus, Ioh. 8. 24. *Moriemini in peccatis vestris.* Si *enim non credideritis quod ego sum, moriemini in peccatis vestris.* Hoc illi non crediderunt. Itaque *abscondit se ab eis*, illudque prædixit, quod scriptum extat Matth. 23. 38. 39. & Luc 13. 35. diuini huius carminis vaticinio consentaneum.

VI. Sextum argumentum ex eodem versu oritur. Negari enim non potest, quin referri debeat ad tempus futuræ conuersionis populi Iudaici. Eam autem Christus efficiet tam clarè reuelando & ostendendo populo illi quod ipse sit, vt populus ille eum videat & agnoscat. Ille igitur qui sic eos tum temporis alloquens inducitur, *videte nunc quod ego, ego sum* &c, alius esse non potest quàm Christus. At, inquiet fortè aliquis, negat alium *Deum esse præter se.* Id cum fide nostra congruit, qui Patrem & Filium vnum Deum esse credimus, haudquaquam verò cum errore aduersariorum Patrem & Filium duos deos esse opinantium. Namq; si sunt verba Filij, quomodo negat Filius vllum Deum esse præter se, si præter ipsum est alius Deus, nempe Pater? Si verò sunt verba Patris, quomodo negat Pater vllum Deum esse præter se, si præter ipsum est alius Deus, nempe Filius? Quomodo etiam Pater negaret vllum alium esse Deum præter se, iuberetque vt id videant & agnoscant Iudæi, quo eos conuerteret ad Filium agnoscendum, (in qua agnitione sita erit Iudæorum conuersio) & pro Deo suo habendum? Nonne perinde faceret ac si quis eius quod probare instituisset negationem afferret pro argumento?

VII. Septimum denique argumentum ex eodem illo versu fluit. *Videte nunc, quod ego, ego sum, & non est Deus præter me. Ego occidam & viuificabo, vulnus infligam & ego sanabo, & non est qui eripiat de manu mea* &c. Quis non videt verbis illis, *Ego occidam* & sequentibus argumentum contineri; quo qui loquitur docet, & probat, & quasi videndum proponit, se Deum esse, & præter se alium neminem. Iam autem negari nequit, quin possit Christus eadem illa verba de semetipso vsurpare. Negari igitur nequit, quin Christus sit Deus, & quidem eo sensu, quo is qui sic loquitur, *videte nunc quod ego, ego sum* &c, se Deum esse profitetur.



DISPVTATIO

TRIGESIMA SEPTIMA

De Arg. XXXVII. Ex Gen. cap. I. ℣ſ. 26. & III. ℣ſ. 22. alijſque locis, Ex quibus plures eſſe perſonas diuinas colligi poteſt.

I. IAM prælo deſcripta erat præcedens diſputatio, cum mihi aliud argumentum ſuccurrit ductum à diuinarum, vt ita loquar, pluralitate perſonarum. Id ſuperioribus viſum eſt, tanquam cumulum, addere. Sic autem habet.

Si plures ſunt perſonæ diuina eſſentia prædita, vna ex illis eſt Filius. Prius autem eſt verum. Ergo & poſterius.

Propoſitionem, opinor, non negabunt Aduerſarij. Nam ſi Patris perſonam ſeponas, nulla occurrit in Scriptura dignior Filio, qui ad dexteram Patris ſedens Patri æqualis regnat. Spiritus enim Sanctus nec perſona eſſe ab Aduerſarijs creditur, & à Filio mitti, Filijque Spiritus eſſe dicitur, vt ſi is diuina perſona ſit, vti ſine dubio eſt, etiam Filium diuinam eſſe perſonam oporteat. Itaque omnis noſtra opera in probando antecedente, ſeu Minore, collocanda eſt.

II. Principiò mihi pluralitas aliqua videtur in natura diuina inſinuata nomine *Elohim*, quod eſſe numeri pluralis, terminatio, & ſingulare *Eloah*, & conſtructio cum adjectiuis & verbis pluralis numeri, & ad plures vel Angelos, vel iudices, vel falſos deos ſignificandos vſurpatio ſatis teſtantur. Hoc poſito dico non temerè accidiſſe, quod in ea lingua, quæ Deum ſingulari ratione authorem habet, & in qua ſunt multa Dei nomina ſingularis numeri, nomen plurale ad Deum ſignificandum adhibitum fuerit, & quidem omnium frequentiſſimè. Multa enim lingua illa præ ſe fert ſapientiæ autoris ſui illuſtria argumenta. Sed malo eâ miſſâ

Scripturæ, quæ verbum est Dei, autoritate niti. Multa apud eam occurrunt Dei nomina, sed nullum frequentius isto plurali. Cur magis delectatus est Deus plurali nomine quàm singulari, si vnica tantùm est maximéque singularis persona diuina? Nodum hunc arctius constringam. Historia creationis aliunde haberi non potuit quàm à reuelatione diuina. Itaque omnium historiarum, quæ à Mose sunt scriptæ, diuinissima est, nihilque in ea temerè aut frustrà positum esse, spectatâ auctoris immensâ sapientiâ, firmiter credendum est. Atqui ad eam historiam primo Genese⍵s, atque adeò totius Scripturæ, capite prudentissimè describendam plurale istud nomen adhibitum est non modò primum, sed, quod plus est, solum. Putas-ne, pie lector, casu, temerè, sine ratione, nullo consilio ex omnibus Dei nominibus istud vnum plurale ad eam rem à Deo sapientissimo selectum esse, & omnibus nominibus diuinis numeri singularis prælatum? cur autem id factum sit, nisi vt pluralitas aliqua insinuetur?

III. Vsitatum est in lingua Hebræa, vti in reliquis linguis, cum suo nominatiuo verbum numero congruere. Idque ipsa rerum natura exigere videtur. Toto tamen capite primo Genesis nomen istud plurale *Elohim* cum verbo singulari construitur constanter triginta duabus vicibus, deinde capite secundo vndecim continuis vicibus ei præfigitur nomen tetragrammatum numeri singularis. Huius rei causam aliquam esse oportet. Non enim id Deo imprudenti, & quidem tam sæpè, excidere potuit. Nonne igitur ex eo quod de Deo verbum singularis numeri tam sæpe vsurpatur, rectè colligitur, ei conuenire pluralitatem? cur igitur similiter ex eo quod de eo tam sæpe vsurpatur nomen pluralis numeri, non colligitur ei conuenire pluralitatem? Cur etiam ex eo quod plurale istud nomen cum verbo singulari tam sæpè construitur, non colligitur inter eiusmodi vnitatem & pluralitatem optimè conuenire, nec alteram alterâ euerti, sed stabiliri potius? Quemadmodum enim si omnis vnitas aliena esset à Deo, verbum singularis numeri aut non omnino de Deo vsurparetur, aut non tàm sæpe, sic, si omnis pluralitas aliena esset à Deo, nomen pluralis numeri, aut non omnino vsurparetur de Deo, aut non tam sæpe. Quod si, cum de Deo non agitur, contingit aliquando plurale nomen cum singulari verbo vel adiectiuo construi, id & rarò fit, & cur fiat ratio est penè obuia. Sic, exempli gratia, Pri-

mum Decalogi præceptum, ſi verbum pro verbo reddas, conceptum eſt, *Non erit tibi dij alieni coram me*, vt omnis aliorum deorum ſingularitas & pluralitas prohiberi intelligatur, ſiue vnus colatur, ſiue plures, vt vt putentur ſubordinati aut conſentientes vel eſt Ellipſis, *Non erit tibi* quiſquam *deorum alienorum coram me*. Sic Gen. 9. 15. ad verbum, *Non erit vltra aquæ ad diluuium* nempe diluuium multarum aquarum ſuperiorum & inferiorum conſpiratione & coalitione in vnam maſſam factum eſt. Itaque huiuſmodi conſtructionibus perpetuò aliqua vnitas, aliquaque pluralitas innuitur.

IV. Non eſt autem plurale *Elohim* accommodatum ad plures eiuſdem Dei vel potentias vel operationes, quarum nulla Deus appellatur aut appellari poteſt, innuendas: formaliter enim eius ſingulare Deum ſignificat, non potentiam, aut operationem vel influxum Dei, & ipſum plurale adhibetur nonnunquam ad ſignificandum plures Angelos, Iudices, idola. Nec fert, vt ego exiſtimo, vllius linguæ conſuetudo, vt nomen perſonam ſignificans numero multitudinis efferatur ad ſignificandas vnius perſonæ plures operationes vel potentias. Dixit quidem eleganter Sylla in vno Cæſare plures eſſe Marios, ſed nemo vnquam propter varietatem virtutum vel operationum Cæſaris eum plurali numero homines, aut Cæſares, aut Marios vocauit. Innuit ergo nomen Elohim perſonas, & quidem, cum non ſit duale ſed plurale, duabus plures, hoc eſt, ad minimum tres, non tamen inter ſe diuiſas & ſeparatas, quales ſunt perſonæ creatæ finita natura præditæ, ſed, vt infinitam eſſentiam decet, indiuiſas, ϰὴ ἐν ἴσοις: atque ob eam cauſſam ferè ſemper cum verbo numeri ſingularis iungitur. Sicut autem nomen *Schamaym*, quamuis, quia duale eſt, plures eſſe cœlos innuat, de vno tamen cœlo non rarò vſurpatur; ſic nomen Elohim quamuis ad pluralitatem perſonarum diuinarum innuendam ſit comparatum, de vna tamen perſona diuina vſurpatur nonnunquam: quæ ſiue Enallage numeri, ſiue ſynecdoche, eò magis conſentanea videri debet, quod perſonarum diuinarum ea eſt vnitas, vt aliæ in alijs ſint, vnaque poſita reliquæ ponantur.

V. Reponent ſine dubio Aduerſarij, Deum numero multitudinis *Elohim* appellari honoris cauſa. *Hebraos* enim *ea nomina multitudinis numero efferre conſueuiſſe, quæ autoritatis ac domina-* VVo de ve Rel.li

5. cap. 9. *tus continent significationem, quantumuis vnico tantum cuipiam attributa, vt in vocibus Adon, & Baal videre est.* Reuera duæ illæ voces de Deo pluraliter vsurpantur, & quidem prior sæpissimè id quod argumentum nostrum confirmat. Non enim id fieri honoris causa multa suadent. Primum, cur igitur similiter alia Dei nomina אל ,שדי, &c de Deo plurali numero honoris causa non efferuntur? cur similiter alia nomina, quæ autoritatis & dominatus continent significationem, vt מלך *Rex*, שפט *Iudex*, אב *Pater* &c, numero multitudinis de Deo aut de vno homine nunquam dicuntur? cur cum inferior compellat superiorem, præsertim Regem, nunquam eum plurali nomine appellat, ne tum quidem cum eum maximè honorificè alloquitur? Quis etiam credat Deum de hero serui aut bouis pluralia vocum *Adon* & *Baal* vsurpare voluisse honoris causa Exod. 21. 4. 6. 8. 32. 29. &c. & non potius quia sæpissimè contingebat eiusdem serui, vel bouis, plures esse dominos? Nam vel proximus dominus erat alterius Domini seruus, vt Tsiba, cui erant viginti serui, seruus erat Mephiboseth, vel domini nomine comprehenduntur cum patrefamilias etiam eius vxor, & filij, præsertim primogenitus.

VI. Præterea pluralia illa ad Deum significandum passim vsurpantur siue Deus hominem alloquatur siue homo Deum, siue Deus de se ipso aliquid narret siue homo de Deo. Id quod etiam ab earum linguarum vsu abhorret, in quibus vsuuenit vt pluralis numerus vsurpetur de vno honoris gratia. Nunquam enim quisquam Regis aut Imperatoris historiam scribens, vt vt eum honorare voluerit, plurali nomine eum insigniuit, ne semel quidem, nedum sæpissimè. Adde quod in Nouo Testamento, quo Deus magis quàm vetere honoratur, nullum tamen nomen de Deo pluraliter vsurpatur. Nimirum reuelatis distinctè tribus personis diuinis, Patre Filio & Spiritu Sancto, nihil opus fuit obscura illa pluralitatis personarum diuinarum per numerum eiusmodi pluralem insinuatione. Nam si honoris causa Deus esset plurali nomine appellatus in Veteri Testamento, cur eiusmodi honore priuaretur in Nouo?

VII. Hæc eadem personarum diuinarum pluralitas apertius innuitur eodem cap. 1. Genes. ℣. 26. *& dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem nostram secundum similitudinem nostram &c.* Cohortatio est ad alias personas creatrices. Vtitur enim & verbo

& affixis seu pronominibus pluralis numeri. Non dicit faciam, sed faciamus; non imaginem meam, sed imaginem nostram; non similitudinem meam, sed similitudinem nostram, neque isto loquendi modo tam dissimili præcedentibus vtitur temerè, sed certo consilio, vt nobis, in quorum gratiam scripta est illa historia innnuat aliquid, quod meditando & ruminando attentè perpendamus. Vt enim in historia Melchisedeci quæ Gen. cap. 14. habetur, sic in ista diuinissima historia, nihil est frustrà. Ne quod igitur relinquatur Aduersarijs effugium, sic diuidendo procedamus.

VIII. Aut Deus verbis illis personam aliquam alloquitur, aut nullam. Nullam nemo sanus dixerit. Agit enim rem maximè seriam. Non alloquitur nihil. Non alloquitur creaturas brutas, quæ neque sermonis intelligentes, neque creationis Adami causæ efficientes, neque exemplaria ad quorum imaginem homo crearetur fuerunt; sed alloquitur sine dubio & cohortatur ad opus absoluendũ hominis creatione eas personas, quæ creationis mundi causæ fuerunt. Vel igitur suam ipsius vnicam personam sic cohortatur, vel alias. Prius Aduersarijs maximè placuisse videtur. Eorum igitur responsiones audiamus.

IX. Schlichtingius orditur ab objectione. *Si verbum*, inquit, *singularis numeri de Deo vsurpatum, cuius rei innumera sunt exempla, vnitatem personæ diuinæ non arguit; quid iuris habebit verbum plurale, vt plures personas in Deo designet?* Mirum est si non vidit hoc quicquid est posse retorqueri. Si verbum plurale de Deo vsurpatum pluralitatem personarum diuinarum non arguit, quid iuris habebit verbum singulare, vt vnitatem personæ diuinæ designet? Si verbi singularitas personæ vnitatem significat, cur non similiter pluralitas designabit pluralitatem? Cæterum si verbum singularis numeri vnitatem personæ perpetuò significaret, profectò Pater & Filius, vna essent persona: verbum enim singularis numeri de ijs duobus conjunctis interdum vsurpatur, vt 2. Thess. 3. 11. Apoc. 11. 15. &c. Necnon ob eandem causam Mardochæus & Esther Esth. 9. 29. 31. vxor & eius liberi Exod. 21. 4. Maria & Aaron Num. 12. 1.

Disp. aduersus Meisnerũ pag. 170

X. Respondet autem his verbis. *Num verò*, inquit, *nouum est & insitatum, vt vna persona pluralem de se numerum vsurpet?* Quod scimus, *inquit Christus de seipso*, loquimur, & quod vidimus testamur; & testimonium nostrum non accipitis. *Ioh.* 3. cui

assimilabimus Regnum Dei? *Mar.* 4. 30. *confer cum loco Lucæ* 13. 18. *Sic Paulus de seipso, Rom.* 1. 5. Per quem accepimus Apostolatum in obedientiam fidei inter omnes gentes. *Heb.* 13. 18. Confidimus quod bonam conscientiam habeamus, in omnibus honestè volentes conuersari. *Plena sunt eiusmodi locutionum omnia: inprimis autem talis Enallage locum habet, quoties loquuntur, aut loquentes inducuntur personæ, quæ cum aliqua autoritate & dignitate constitutæ sunt, quæque sunt cum imperio?* Non est id quidem certè nouum & inusitatum apud Græcos & Latinos, sed nouum est & inusitatum apud Hebræos, apud autores Veteris Testamenti, cuius nunc autoritate pugnamus. Nullus in eo homo, nulla persona in autoritate & dignitate constituta, nullus sacerdos, nullus Iudex, nullus Rex de se solo plurali numero loquitur.

XI. Quorcirca mirari satis non possum breuem Hugonis Grotij ad hunc ℣. 26. *Faciamus* &c annotationem. *Mos est*, inquit, *Hebrais de Deo, vt de Rege loqui. Reges res magnas agunt de consilio primorum.* 1. *Reg.* XII. 6. II. *Paral.* X. 9, *Sic & Deus* 1. *Reg.* XXII. 20. Paucis enim istis verbis multa peccat. Primò Deus non inducitur sic loquens more Regum Hebræorum. Nemo enim Regum, vt dixi, in libris Veteris Testamenti de se loquitur numero plurali. Deinde verbis, *Faciamus hominem*, non continetur deliberatio aut consultatio, sed cohortatio tantùm. Tum loca 1. Reg. XII. 6. II. Paral. X. 9. non sunt huic nostro similia. Illic Roboam petit consilium à senibus primùm, deinde à Iuuenibus, hîc Deus omnino consilium non petit. *Et quis ei à consilijs fuisset? cum quo iniisset consilium?* Denique locus 1. Reg. XXII. 20. nec similis est loco 1. Reg. XII. 6. nec isti Gen. 1. 26. Non illi: Deus enim non dicit circunstantibus, vt Roboamus, *date consilium quid sim dicturus* aut facturus, sed duntaxat, *quis decipiet Achab* &c. Non exquirit consilium sed explorat voluntatem. Nec isti. Illic enim visio prophetica proponitur, hic narratur res gesta: illic omnis exercitus cœlorum à dextris & à sinistris Dei stetisse dicitur, hic nihil tale memoratur: illic Deus Angelos bonos & malos alloquitur, hic vero nihil alloquitur præter Deum creatorem hominis: illic tentat creaturarum voluntatem, præsertim malarum, hîc non tentat, non explorat quemquam, sed cohortatur duntaxat, & quidem etiam semetipsum, Angelos vero neutiquam.

Esai. 40. 13. 14. Rom. XI. 34.

XII.

XII. Teſtimonia quæ laudat Schlictingius ad rem nihil faciunt duabus de cauſis. Primò quia petita ſunt è Nouo Teſtamento græcè & ad græcos ſcripto; ac propterea non poſſunt infirmare argumentum ductum ab vſu linguæ Hebrææ & ſtilo Veteris Teſtamenti. Secundò quia reuera in illis pluralis numerus de vna ſola perſona non vſurpatur. Nam quod attinet ad primum, quemadmodum verba, *teſtimonium noſtrum non accipitis,* non de ſolo Nicodemo, ſed de eo & ſocijs eius Phariſeis vel doctoribus accipienda ſunt, ſic antecedentia, *Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur*, non de ſolo Chriſto, ſed de eo & alijs eiuſdem veritatis fidelibus teſtibus intelligi debet, quos ſibi Chriſtus plurali numero vtens adjungit, ne poſſet objici, nec vnius teſtimonium validum eſſe, nec mirum eſſe ſi nouum eius vnius inuentum doctor Iſraëlis Nicodemus neſciret. Marc. 4. 30. *cui aſſimilabimus Regnum Dei,* Ego ſcilicet, & vos. Communicatio eſt rhetorica ad excitandos auditores, quos alloquitur, accommodata, quam figuram Marcus expreſſit, Lucas omiſit. Rom. 1. 15. *Per quem accepimus Apoſtolatum in obedientiam fidei inter omnes gentes.* Accepimus ego ſcilicet & collegæ: commune eſt plurium beneficium plurali numero cum vitandæ arrogantiæ cauſa, tum firmandæ fidei gratia, inſinuatâ teſtium pluralitate, ſignificatum. Heb. 13. 18. *Confidimus quod bonam conſcientiam habeamus* &c, ſcilicet ego & συνεργοὶ; Itaque vſus eſt verbo πεποίθαμεν *confidimus,* haud ſatis, ſi de ſe ſolo loquutus fuiſſet, accommodato.

XIII. Poterat Schlictingius ſimiles locos ex antiquo Inſtrumento proferre. Gen. 29. 27. *Exple hebdomadem huius*; *poſtea dabimus tibi hanc*, Ego ſcilicet vxor & fratres mei. Vt eximat omnem dubitationem Iacobo ſuam & aliorum, quorum intererat, voluntatem præſtat. Alij ſingulari numero vertunt, 70. δώσω, vulg. *dabo*, vatab. *locabitur*, Munſt. *dabitur* &c. 2. Sam. 16. 20. Dixit Abſalom ad Achitophel, *inite conſilium*, nempe tu & alij conſiliarij, *quid agere debeamus* ego & viri Iſraëlis qui ſunt mecum. 1. Reg. 22. 3. *Dixit Rex Iſraëlis ad ſeruos ſuos, ignoratis quod noſtra ſit Ramoth Galead, & negligimus eam tollere de manu regis Syriæ. Noſtrum* & *negligimus* dixit modeſtè ſeruos ſuos ſecum negligentiæ blandè accuſans, quod rem non ſuam vnius tantùm, ſed totius gentis communem, vrbem nimirum Iſraëlis, vrbem perfugij ſibi à Syris ereptam recuperare neglexiſſent. Iob.

Tt

18. 2. 3. *Quando tandem imponetis finem sermonibus? Attendite & postea loquemur. Cur reputamur vt iumenta & immundi sumus in oculis vestris?* loquitur Bildad Suhites & ad Iobum ac socios eius vt exprimit Elihu Iob. 35. 4. & de se & socijs suis. Dan. 2. 36. *Hoc est somnium, interpretationem quoque dicemus coram Rege,* Ego scilicet & socij mei Sidrach, Misach, & Abdenago, quorum precibus adjutus fuerat ℣. 17. 18. quosque Deo gratias agens jam sibi adjunxerat ℣. 23. Cantico cant. 1. 4. *Trahe me post te curremus &c* Ego scilicet & puellæ meæ, vel de se pluraliter loquitur sponsa, id est, Ecclesia, quia non est vna tantùm persona, sed multarum collectio.

XIV. Vno verbo nullus occurrit locus in Scriptura, in quo vna persona de se sola plurali numero loquatur. Abhorret Scriptura ab istiusmodi Enallage. Aut igitur hoc loco est Enallage numeri & ponitur pluralis pro singulari, aut non est Enallage, sed reuera pluralis numerus plures significat. Prius dici non potest obstante more perpetuo Scripturæ. Posterius igitur verum est Reuera enim Deus sic pluraliter loquitur, vt se accommodet, aut ad vsitatum apud homines loquendi morem, aut ad rem ipsam. Non prius. Homines enim nunquam sic de ipsis loquuntur in Scriptura. Non est eorum hic mos loquendi. Posterius igitur dicendum est. Atque hoc est primum argumentum, quo huiusmodi Enallagem ab his Dei verbis depellimus.

XV. Secundum argumentum ex eo peti potest, quod nunquam pluralis numerus de vnico singulari vsurpatur, nisi cum singulare illud habet commune cum alijs nomen, communemque naturam aut conditionem secundum quam spectatur. Hoc clarum faciam paucis exemplis. Matth. 2. 20. *defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.* Illi enim plures fuerant, Herodes videlicet & satellites eius. Illo autem sublato, causa principali, hi eius instrumenta esse desierunt. Matth. 9. 8. *Glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.* plurale *hominibus* positum est pro singulari *homini*: plures enim sunt homines, & Christus spectabatur secundum naturam humanam illiusque conditionem pluribus communem, cuius ratione nihil ab alijs hominibus differre videbatur. Matth. 27. 44. *Idipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo exprobrabant ei.* Non posuisset latrones pro latrone, nisi reuera & duo fuissent latrones crucifixi cum Christo

& id vnus ex illis feciſſet ſecundum communem ſibi cum ſocio prauitatem & nequitiam, quam ab altero ſingulari priuilegio & miſericordia Chriſtus abſtulit, alioqui ſimiliter conuiciaturo. 1. Cor. 15. 19. *Alioqui quid facient qui baptiſantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt?* mihi videtur eſſe Enallage numeri, *pro mortuis* id eſt, *pro mortuo.* Nam *ſi omnino mortui non reſurgunt,* Chriſtus vnus eſt ex mortuis, nihilque ab alijs mortuis differt, neque ab eo plus boni ſperandum eſt quàm à quouis alio mortuo, ac propterea non minus & ſtulti & miſeri ſunt qui eius cauſa baptiſantur, quàm ſi propter quemuis alium mortuum baptiſarentur, quod vt inſinuaret Apoſtolus plurali illo vſus eſſe videtur. Non enim ſolet pluralis numerus pro ſingulari vſurpari, niſi cum vnus è pluribus ſignificatur, & quidem indefinitè, aut ſaltem ſecundum communem quandam naturam vel conditionem. Id quod Gen. 1. 26. locum non habet. Nam ſi Deus vnica eſt perſona, & plures eſſe perſonas diuinas implicat contradictionem, nihil eo loco memoratur pluribus commune, nec ſpectatur Deus ſecundum naturam aut conditionem pluribus communem vllo modo. Nomen enim Deus, quo ſenſu hîc accipitur, eius vnius proprium eſt, ſicuti etiam natura diuina, & ratio creatoris. Quare non eſt eo loco enallage numeri.

XVI. Tertium Argumentum mihi Dei ſapientia ſuppeditat huius hiſtoriæ autoris, Is enim nihil temerè, nihil fruſtrà facit. Non igitur vſus eſt inutili & periculoſa Enallage numeri. Inutilem dico; quis enim eius eſt vſus? quæ ratio afferri poteſt, cur ſatius fuerit eo loco pluralem numerum pro ſingulari, quàm ſingulare pro ſeipſo ponere? Non enim propter Deum id ſcriptum eſt, ſed propter noſtram inſtructionem & ædificationem. Nulla autem ex eiuſmodi Enallage ſeu permutatione numeri ad nos vtilitas redire poteſt. Addo periculoſam: implicat enim lectorem, & peregrinitate ſua remoratur, & ad credendam pluralitatem perſonarum diuinarum, vt experientia docet, inducit, multumque negotij Iudæis & Aduerſariis noſtris eam confiteri nolentibus faceſcit. Quis igitur credat Deum prudentiſſimum in tam excellenti hiſtoria, in loco tam illuſtri, figuram alias raram ſine ratione, ſine vllo vſu, (nam ne quidem ad ornatum ſermonis quicquam confert) ac cum periculo ſeducendi lectorem, vſurpare voluiſſe?

XVII. Dicent sine dubio Aduersarij, Deum sic de se solo plurali numero, quamvis vnica sit persona, locutum esse; quia vt ita loqueretur poscebat linguæ cuiusuis vsus, vel etiam necessitas. Nam (quæ secunda est ad locum Gen. 1. 16. Schlichtingij responsio) *vsitatissimum est*, inquit, *in omnibus linguis, vt is qui aliquid apud se ipsum decernit, & sese ad aliquid faciendum cohortatur, licet vnus tantùm sit, plurali numero subiunctiui vtatur; cùm singularis Imperatiui prima persona nullus detur. Itaque illius loco omnes vtuntur plurali subiunctiuo prima persona: nam singularis cum futuro conuenit. Exempla passim occurrunt. Sic Hannibal apud Liuium venenum hausturus*; liberemus diuturna curâ populum Romanum. *Sic Patus Thrasea apud Tacitum, cum mori iussus sanguine humum respersisset*; libemus, *inquit*, Ioui liberatori. Quomodo *vsitatissimum est*, si in sacra Scriptura, cuius vnius testimonijs & auctoritate nitimur vtrique, non est vsitatum? Quomodo *exempla passim occurrunt*, si ne vnum quidem proferre potuit è sacris literis Schlichtingius? Quomodo etiam id dicit esse *vsitatissimum in omnibus linguis*, cum sint linguæ multæ, Hebræa inprimis, quæ ne subjunctiuum quidem habeant?

XVIII. Multæ aliæ sunt inter Hebræam & Latinam linguam differentiæ: Hæc comprimis, quod Latinè licet de se vno loqui plurali numero, Hebraicè non item. Itaque frustrà laborant Aduersarij, cum exempla petunt è lingua latina: Et tamen quæ duo ex Tito Liuio & Cornelio Tacito colligere potuerunt, ea de pluribus exponi possunt. *Liberemus diuturna cura Populum Romanum*, Ego scilicet & vos, vos afferendo & præbendo mihi venenum, ego illud hauriendo, sunt enim verba Hannibalis poscentis venenum, seruosque suos aut amicos alloquentis, *venenum*, inquit Liuius, *quod multò ante præparatum ad tales habebat casus*, Decad IV. lib 9. *poposcit. Liberemus, inquit, diuturna cura Populum Romanum &c.* Similiter Thrasea cum pronunciaret ista verba, *Libemus Ioui liberatori*, non se vnum alloquebatur, sed se simul & consulis quæstorem. Annal. lib XVI. *Accepto*, inquit Tacitus, *Senatusconsulto Heluidium & Demetrium in cubiculum inducit, porrectisque vtriusque brachij venis, postquam cruorem effudit, humum super spargens, propius vocato quæstore, Libemus, inquit, Ioui liberatori: specta Iuuenis &c.* Libemus, Ego & tu. Alludit ad sacrificia Romanorum. Libabat enim non solus sacerdos, sed post eum etiam astantes. Ominatur

quæſtori ſimilem caſum, eumque exemplo ſuo confirmat.

XIX. Sed fortaſſe fœlicius pugnat Schlichtingius ratione quàm exemplis. Is enim reſponſioni ſuæ rationem quandam inſeruit his verbis, ***cum ſingularis Imperatiui primæ perſonæ nullus detur. Itaque illius loco omnes vtuntur plurali ſubiunctiuo primæ perſonæ: nam ſingularis cum futuro conuenit.*** Qui omnes? Hebræi? de his enim ſolis quæſtio nunc eſt. Atqui, vt iam dixi, ne ſubjunctiuum quidem modum habent, pro eo vtuntur vt plurimum futuro, vti etiam ab ipſo Deo factum eſt hoc loco: נעשה enim, quod per ſubjunctiuum ***faciamus*** redditur, eſt prima pluralis futuri, qua vtuntur Hebræi cum ſe & alios alloquuntur & hortantur. At cum perſona vna apud ſe aliquid decernit, aut ſe ſolam cohortatur, vtitur prima ſingulari futuri, vt Exod. 3.3. Eſai. 5.1. Ier. 5.5. Hoſ. 2.7. Cantic. 3.2. Pſ. 39.1. &c. Ipſe etiam Deus eandem primam ſingularem eodem modo de ſeipſo vſurpat paſſim, vt Gen. 2.17. & 6. 7. & 18. 21. Deut. 32. 20. Pſal. 12. 6. &c. Aberrat igitur vehementer Schlichtingius & à veritate, cum aſſerit vſitatiſſimum eſſe in lingua Hebræa, vt is qui aliquid apud ſe decernit &c plurali numero ſubjunctiui vtatur, & à ſcopo cum exempla, aut rationem affert è lingua Latina. ***Singularis***, inquit, ***Imperatiui primæ perſonæ nullus datur.*** Quid tum? Ergo ei, qui aliquid faciendum apud ſe decernit, aut ſe ad aliquid faciendum hortatur, vtendum eſt plurali numero ſubjunctiui? Non ſequitur. Poteſt enim vti prima ſingulari ſubjunctiui, aut potius, ſi Hebraicè loquitur, Futuri. At prima ***ſingularis*** ſubjunctiui ***cum Futuro conuenit.*** Ita quidem in tertia & quarta conjugatione verborum latinorum, Sed quid hoc impedit, quominus Hebræi æquè prima ſingulari ac prima plurali Futuri pro ſubjunctiuo vtantur?

XX. Si quis reponat, Deum de ſe ſolo ſic plurali numero honoris cauſa locutum eſſe; Primùm id iam à me refutatum eſt. Deinde recurrit quæſtio, quamobrem Deus ſic de ſeipſo honoris cauſa loqui voluiſſet hoc loco, potius quàm ijs locis, in quibus de ſe ipſo loquitur honorificentiſſimè, vt cum exempli gratia, Legem promulgat, cum autoritatem ſibi ſummam conciliat, cum magnificentiſſimè ſeſe deſcribit apud Prophetas? Tum, qui de ſe ſolo plurali numero loquitur, id modeſtiæ potius quàm honoris cauſa facere videtur. Eſt enim modeſtiæ ſic de te loqui, quaſi tibi ipſi ſoli nihil vendices, quaſique alij tibi fuerint præcla-

ris de eo loqui quaſi à pluribus productum eſſet, minuit magnitudinem opificis de eo loqui quaſi ab alijs adjutus fuiſſet. Plus enim laudis meretur qui ſe ſolo maximum opus perficit, quàm qui pluribus adjuuantibus. Itaque exaggeratur virtus Dei & gloria amplificatur, cum dicitur ſolus extendere cœlos Eſai. 44. 19. ſolus facere mirabilia Pſal. 72. 19. ſolus noſſe corda hominum 1. Reg. 8. 31. ſolus eſſe Deus 2. Reg. 19. 15. Eſai. 37. 15.

XXIII. Adde quod neque homines vti ſolent plurali numero pro ſingulari, cum rei de qua agitur grauitatem & magnitudinem exaggerare volunt, neque Deus item; qui cum de rebus maximi momenti frequentiſſimè loquatur, vt cum legem fert, cum homini præſcribit officium, cum promittit, cum comminatur, cum ſe deſcribit, cum operum ſuorum magnitudinem exaggerat, cum de redemptione noſtra, quo nullum eſt præclarius opus, verba facit & ſingulari numero vtitur perpetuò, non ſolum in veteri, ſed etiam in Nouo Teſtamento, haud exiſtimans de ſe pluraliter vel honorandi ſui, vel exaggerandæ rei cauſa ſibi loquendum eſſe. Præterea ſi rei de qua agebatur grauitas exaggeranda fuit, annon ſatis exaggeratur ijs rebus quæ de homine dicuntur, vt quod ſit ad imaginem Dei conditus, & reliquorum animalium dominus conſtitutus &c? Quid igitur opus erat, vt ad eam exaggerandam Deus iſto ſcilicet exaggerandi modo, tam incerto, tam obſcuro, tam inſolito, tam periculoſo ſine vlla neceſſitate vteretur?

XXIV. Pergam igitur argumentari. Nemo, opinor, inficias ibit, quin pluralis numerus comparatus ſit ad pluralem numerum, ſingularis ad ſingularem ſignificandum; ac proinde non eſſe ſine graui neceſſitate, aut ſingularem pro plurali, aut pluralem pro ſingulari accipiendum: ſunt enim illi duo numeri & natura ſua & hominum vſu inter ſe, non diſtincti modo, ſed oppoſiti etiam. vt igitur pluralem numerum pro plurali potius quàm pro ſingulari accipiamus, ſatis eſt cauſſæ, eam eſſe pluralis numeri propriam, vſitatam, naturalem ſignificationem, à qua, niſi coactum, diſcedere interpretem haud decet. Vt verò pluralem pro ſingulari accipiamus, hoc eſt, oppoſitum pro oppoſito, cauſam eſſe oportet grauem, imò neceſſariam, & quæ aliquo modo cogat. Quam igitur cauſam habent Aduerſarij, cur nolint hoc loco pluralem numerum pluraliter exponi? Sunt enim verba Dei de

re admodum graui loquentis, ac propterea summa cum religione & demissione animi tractanda, non vexanda, nec licenter interpretanda, præsertim cum de Deo dicantur, non aliunde quàm ex Dei verbis, salutariter noscendo. Aliam certè nullam habere possunt, quàm hanc vnam, quia nimirum plures esse personas diuinas impossibile sit. Quibus verò argumentis probant id esse impossibile? Testimonijs Scripturæ? nullo modo, sed rationibus philosophicis. Ita illis in hac de Deo controuersia Theologica summus iudex, hoc est, norma seu regula, non est Scriptura, sed philosophia. Afferunt enim è philosophia præjudicia quædam, seu opiniones præconceptas, ad quas ipsam Scripturam exigunt, &, si minus congruit, vi quadam intorquent. Haud satis sani homines, qui Deum immensum pede & modulo creaturarum metiri volunt! qui cum ea ipsa, quæ oculis ipsorum quotidie obuersantur, perspecta non habeant (cui enim hominum id contigit?) tamen, quasi Deum haberent animo perceptum & comprehensum, malunt suo ipsorum ingenio, suis ratiocinjis philosophicis, quàm Dei sese reuelantis verbis (hæc enim ad illa exigunt, non contrà) fidere! Cæterum illorum rationes philosophicas suo loco Deo dante refutabimus. Interim nobis, qui nunc quidem in exquirenda Scripturæ sententia occupamur, satis sit, nostram sententiam cum Scripturæ verbis ad amussim congruere, à quibus sententia Aduersariorum ita discordat, vt cogantur plurale, repugnante eius propria & vsitata significatione, singulariter exponere.

XXV. Denique diligenter expendendum esse, quo numero Deus loquatur, plurali an singulari, docet nos Apostolus exemplo suo Gal. 3. 16. obseruat enim cum Abrahamo dictæ sunt promissiones, & Semini eius, Deum non dixisse, *& seminibus, vt de multis, sed vt de vno, & semini tuo, qui est Christus.* Quemadmodum igitur Deus, quoniam vnum quoddam singulare semen, non autem multa, intelligi voluit, constanter singulari numero vsus est, nunquam plurali; sic si voluisset vnicam tantùm personam diuinam intelligi, nullo modo plures, singulari numero de se constanter loquutus fuisset, nunquam plurali. Cauisset enim pro sua summa prudentia & charitate, ne quam nobis errandi ansam præberet. Cum igitur videamus Deo tribui nomina, verba, pronomina, adjectiua singularis numeri, colligimus

mus Deo conuenire vnitatem & ſingularitatem quandam. Rurſus cum videamus ei tribui nomen pluralis numeri omnium primò & frequentiſſimè, necnon etiam interdum verba, pronomina, & adjectiua itidem pluralis numeri, colligimus ſimiliter Deo conuenire pluralitatem quandam. Pluralitas autem intelligi non poteſt attributorum aut effectuum, ſed perſonarum. Nam & nomen perſonam ſignificans, in plurali numero plures perſonas ſignificat, non autem plura eiuſdem perſonæ attributa vel effecta; & verba quoque & pronomina, & adjectiua, cum de perſona vſurpantur, in plurali numero perſonas plures arguunt, non vnam tantùm.

XXVI. His refutatis Aduerſarij ad reſponſiones Iudæorum fortaſſe confugient, quorum alij Deum ſe & terram cohortari volunt, alij Angelos. Neutri rectè. Non illi; cohortatur enim cauſas efficientes hominis, cuiuſmodi cauſa terra non eſt vllo modo: ex ea quidem humani corporis materia ſumpta eſt: ſed materia patitur tantùm, nihil efficit. Itaque ridiculus foret architectus, ſutor, figulus, qui lapides, pannum, terram ad efficiendam domum, veſtem, ollam cohortaretur. Deinde homo non eſt factus ad imaginem terræ, ſed Dei, vt patet ex verſu ſequente; nec communis eſt vlla Dei & terræ imago ad quam homo ſit factus, & eò pertinuit illa effectio, vt qui origine materiæ ſuæ terra erat, terræ perquam diſſimilis fieret. Ac denique quominus terra intelligi poſſit obſtat verſus ſequens, quo verborum illorum, *Faciamus hominem ad imaginem noſtram* &c, executio deſcribitur. Quos enim qui dixit *faciamus hominem*, hortatus eſt ad faciendum hominem, illi fecerunt hominem. Pluribus iſtam reſponſionem non refutabo: nimis enim mihi abſurda videtur, quàm vt ab Aduerſarijs probari poſſit.

XXVII. Nec iſti. Primùm enim altum eſt in hiſtoria creationis de Angelis ſilentium. Cur, ſi ad eam intelligendam ſunt neceſſarij? ſi fuerunt cauſæ efficientes hominis? ſi verbis illis *faciamus hominem ad imaginē noſtram*, Deus eos compellauit? Cur etiam ſacer autor non dixit, *Et Deus dixit ad Angelos, Faciamus* &c. ſiquidem ad Angelos hoc dixit, & dixiſſe ad eos intelligi voluit? Sic enim & quod res fuiſſet dixiſſet, & illis, qui pluralitatem perſonarum diuinarum agnoſcere nolunt, non fixiſſet hoc in loco crucem. Deinde cur ſe & Angelos ad faciendum hominem ex-

cicasset & hortatus esset, si Angeli hominem nullo modo fecerunt? Eos enim hominem non fecisse ex eo intelligi potest, quod id nullo loco Scripturæ affirmatur. Nunquam creatio vel mundi, vel hominis angelis tribuitur. Quod tam constans & perpetuum silentium maximi fieri debet, præsertim à nobis, quibus Scriptura merito suo regula est credendorum perfecta. Non modo autem illa Angelis non tribuitur, sed quod plus est soli Deo vendicatur, & quidem interdum plurali numero vsurpato, vt Esai. 54. 4. *Quoniam mariti tui, factores tui, Dominus exercituum nomen eius.* Psal. 149. 2. *Lætetur Israël in factoribus suis; filij Sion exultent in Rege suo.* Iob. 35. ℣. 10. *vbi est Deus factores mei, dans cantica in nocte?* &c.

XXVIII. Scripturæ ratio succinit. Intelligi enim non potest quid ad creationem hominis conferre potuerint Angeli, vires creaturarum exsuperantem. Nec decet nos gloriam creationis generis humani absque expresso Dei testimonio vel mandato, creaturis tribuere. Meminisse enim nos conuenit, Deum gloriam suam alteri non dare. Quod si Angeli nos vna cum Deo creassent, essemus illorum opus, illisque eo nomine & gratias agere deberemus, & honorem exhibere. Quod tamen officium neque vllus Propheta vel Apostolus commendasse vnquam legitur, nec sine manifesto idololatriæ periculo fieri posset.

XXIX. Sed nihil opus est argumentis aliundè conquisitis. Ipsa enim Dei verba hoc commentum respuunt. *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem nostram.* Sumus ne igitur ad imaginem Dei & Angelorum facti? Dei; affirmat constanter vtriusque testamenti Scriptura, Angelorum nunquam. Et sequitur continuò apud Mosem executio his verbis, *Et Deus creauit hominem ad imaginem suam*, verbo & pronomine singularis numeri cauens, ne angeli intelligantur, seu personæ ab vno Deo diuersæ. Deinde aut eadem est Dei & Angelorum imago, aut diuersæ. Si diuersæ, dixisset Scriptura imagines, non perpetuò & constanter imaginem. Si eadem, esset eadem Dei & Angelorum natura. Quorum enim est eadem imago, eorum etiam est eadem natura.

XXX. At Factus est homo similis Angelis; & brutis etiã animantibus priùs creatis, ad quorum tamẽ imaginem factus dici non potest. Si ipsi etiam Angeli ad imaginem Dei creati fuerunt (quod tamẽ in Scriptura disertis verbis non dicitur) mirũ videri non debet,

ſi, cum vtrique ad eiuſdem Dei imaginem conditi fuerint, inter vtroſque ſimilitudo intercedit non exigua. Sunt enim ſine dubio inter ſe valdè ſimiles ab eodem exemplari æquè immediatè expreſſæ imagines, quamuis propriè loquendo altera alterius nec exemplar, nec imago ſit. Ita porrò ad imaginem Dei creati fuerunt Angeli & homines, vt tamen non eodem prorſus modo ſe habeat imago Dei in Angelis & in hominibus, ſed ſatis diuerſo. Id quod explicare non eſt huius loci. Equidem hanc gloriam Deo creatori meo me debere arbitror, vt eum ſolum credam generis humani cauſam fuiſſe, vt finalem, ſic efficientem, & exemplarem: *Ex eo enim, & per eum, & in eum ſunt omnia. Ei ſit gloria in ſecula ſeculorum. Amen.*

XXXI. Hîc gradationem quandam deprehendere mihi videor. Primùm enim Deo tribuitur nomen pluralis numeri, quod, ne plures Deos ſignificare putetur conſtruitur cum verbis ſingularis numeri. Deinde Deus inducitur tanquam imperans alij perſonæ, quæ, ne putetur à Deo ſpecie differre, etiam ipſa Deus vocatur. Tum Deus inducitur pluraliter loquens, ac ſe & alias perſonas creatrices ad hominem creandum excitans & cohortans; quæ, ne videantur aut Angeli eſſe, aut plures dij, ſtatim nomine plurali *Elohim* juncto cum verbo & pronomine ſingularis numeri comprehenduntur. Denique, ne quis Enallagen numeri, aut tale quid, confingat, tam apertè pluralitas perſonarum ſignificatur, vt omnis pertinacia expugnari poſſit, cum cap. 3. ℣. 22. *Dominus Deus dicit; Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt ſciens bonum & malum.* Negabuntne Aduerſarij verbis, *vnus ex nobis*, pluralitatem perſonarum ſignificari? Nonne jam vident Enallagem numeri, qua tanquam clypeo, aut potius ficulneis folijs ſe tegi ſperabant, non eſſe de mente Dei?

XXXII. Nondum tamen cedunt veritati. *Intelligendum præterea eſt*, inquit VVolkelius, *eadem verba ex Hebraico ſic legi poſſe*: Adam factus eſt tanquam vnus ex ſe ſciens bonum & malum: *vt ſenſus ſit, eum factum eſſe vnum eorum, qui ex ſeipſis ſciunt bonum & malum.* At, inquam, quominus ſic legi aut verti poſſit, obſtat primò vox אחד *vnus*. Dixiſſet enim ſimpliciter *quaſi ex ſe ſciens*, non verò *quaſi vnus ex ſe ſciens*. Quorſum enim illud *vnus*? Siccine vel Hebræi, vel Græci, vel Latini loqui ſolent? Cum etiam Adami nomine ipſa quoque Heua comprehendatur,

Lib. 4. de vera Rel. c. 9. p. 408.

poſcere videbatur non modo linguæ puritas, ſed etiam res ipſa, vt vox *vnus* omitteretur? Deinde obſtat vox ſequens ממנו, quæ vel ablatiuus eſt pluralis pronominis primæ perſonæ אני, & ſignificat *ex nobis*; vel ablatiuus ſingularis pronominis tertiæ הוא, & ſignificat *ex eo*, nunquam *ex ſe*, ne apud Rabinos quidem: vtuntur illi potius vocibus מעצמו & מנפשו. Deinde obſtat conſtructio. Ita enim ממנו conſtrueretur, non cum antecedente אחד, ſed cum ſequente לדעת, quod bis abſurdum eſt. Nam, & ablatiuus, cui præfixa eſt præpoſitio מן, poſitus immediatè poſt nomen numerale אחד, cum eo conſtrui debet, vt inductione probari poteſt; & idem ſi conſtrui debuiſſet cum לדעת, ei fuiſſet poſtpoſitus. Si quid etiam intelligo, non dixiſſet Deus לדעת, ſed ſic potius concepiſſet illam ſententiam כאחד מיודעי מהם *quaſi vnus ex ſcientibus à ſeipſis.*

XXXIII. Non modo autem eiuſmodi verſioni verba quibus Deus vſus eſt, & verborum conſtructio repugnant, ſed res etiam ipſa. Affirmat enim VVolkelius, Deum, cum ad hunc modum loqueretur, ad illa ſerpentis verba reſpexiſſe: *eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum*: in quibus nihil eſt quod reſpondeat verbis *ex ſe*. Non dicit ſerpens ſcientes ex vobis, ſed ſimpliciter *ſcientes*. Immò pollicetur fore vt ſciant bonum & malum non tam *ex ſe ipſis*, quam vi arboris ſcientiæ boni & mali. Ac propterea iſtud *ex ſe* à re qua de agebatur alienum cenſeri debet. Addi etiam poteſt, ſi accuratè loqui velimus, præter vnum Deum ſcire bonum & malum ex ſe neminem. Quid enim boni habent Angeli & homines quod non acceperint? Innueretur igitur illis verbis, Adamum factum eſſe quaſi Deum ſummum. Id quod idem VVolkelius negat ſerpentem promiſiſſe.

XXXIV. Miſſa igitur iſta tam abſona reſponſione, ad alteram venio. *Hic quidem*, inquit Schlichtingius, *arguit plures perſonas, ſed nequaquam in vno Deo. Nonne Deus ſui & Angelorum reſpectu iſtud dicere iure potuit, Sicut vnus ex nobis, intellige Dijs, bonum & malum ſcientibus? quemadmodum etiam ſerpens promiſerat fore: Aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum.* Quæritur nunc quidem inter nos quas ſecum perſonas Deus verbis illis, *vnus ex nobis*, intelligat? Angelos affirmant Aduerſarij, nos negamus. Sua cur affirment argumenta proferant prius. Nos cur negemus noſtra ſubjiciemus. Vtra meliora

sint tu, candide lector, judica. *Deus*, inquit Schlichtingius, *sui & Angelorum respectu istud iure dicere potuit.* Quid si dicam similiter, Deus, id est, Pater sui & Filij sui ac Spiritus sancti respectu istud iure dicere potuit? id enim Aduersarios aut confiteri oportet, aut refellere quæcunque isto & superiore libro disputauimus. Non quæritur quid potuerit Deus dicere, sed quid dixerit. Quid enim est quod Deus si velit non possit? Rationes cur istud non possit aut debeat de Deo & Angelis exponi, mox afferam: Nunc pergat Schlichtingius. Ille nos interrogationum aculeis pungere conatur. *Num verò*, inquit, *Angeli Dij non sunt?* Non certè, inquam. Vnus enim tantùm est Deus, reliqui omnes sunt eius creaturæ & serui. Alioqui vicerint Ethnici contendentes, plures esse Deos, vnum summum, reliquos inferiores: Et Angeli, si sunt Dij, colendi erunt & adorandi religiosè. Quis est enim, qui quod Deum esse credit, adorandum non putet? At dij appellantur nonnunquam in Veteri Testamento. Fateor, sed impropriè & figuratè: vti etiam supremi inter homines magistratus, quorum tamen si se Dei nomine aliquis, aut ipse appellaret, aut appellari ab alijs pateretur, grande piaculum esset, vti patuit in Herode Act. 12. 22. 23.

XXXV. *Num*, addit, *bonum & malum nesciunt?* Nunc quidem scire malum arbitror: id enim in hominibus & diabolis videre potuerunt. Tunc verò sciuisse cum serpens Euam tentaret, mihi videtur temerarium affirmare. Equidem ad negandum sum propensior. Nam tunc primùm fortasse malum esse incipiebat: quod, si, antequam fieret, ab omnibus angelis probè cognitum fuisset, non intelligo quî potuissent angeli quidam malum bono anteponere; id enim magnam boni & mali ignorantiam arguit.

XXXVI. Pergit Schlichtingius interrogare. *Quid*, inquit, *non Angelis potius hac in parte quàm ipsis diuinis personis assimilandus homo fuerat?* Neutris profectò. Mentiebatur enim serpens. Esus arboris scientiæ boni & mali hominem fecit similem, non personis diuinis, nec bonis angelis, sed diabolis tantùm, Et quidem in peccato & miseria duntaxat. Ita enim factum est, vt experientiâ suâ quid sit malum culpæ & pœnæ miser didicerit. Hanc eandem rationem, si tamen ratio est, VVolkelius his verbis proponit, *Nimis etiam à recta rationis iudicio alienum videtur, summum illum Deum, qui inexplicabili sapientia praditus, omnisque*

ſcientiæ primus autor eſt, hominem ex terra pulueréque procreatum, boni malique ſcientiâ ſecum ipſo nominatim æquare voluiſſe. Do totum, addoque etiam abſurdum videri, Deum hominem boni malique ſcientiâ per peccatum & diabolum producta cum bonis angelis æquare voluiſſe.

XXXVII. Atqui *Deus*, inquit, *hoc in loco ſeriam orationem habet, nec per ironiam quandam Adamo veluti illudit.* Seriam orationem habere, nec illudere Adamo concedo, ironia non vti nego. Non potuit enim magis ſeriò ſtulta ambitio Adami reprehendi, quàm factum eſt illâ ironiâ. At, inquit, id *duabus rationibus probari poteſt. Primò enim conſtat, arborem illam, ſcientiæ boni & mali arborem eò appellatam fuiſſe, quòd haud aliter illius fructu boni ac mali cognitio parabatur, quàm ex arboris vitæ vſu ætatis propagatio profluebat. Quomodo igitur Deum luſiſſe exiſtimabimus, cum dixit*, Ecce Adam factus eſt ſicut vnus ex nobis, ad ſciendum (*ita enim ſonant Hebræa*) bonum & malum. *h. e ita vt ſciat bonum & malum?* Hæc ratio primùm malè concludit: Deus enim cum id dixit non luſit, irati & punientis ironia luſus non eſt, ſed grauis & aculeata reprehenſio. Deinde nulla eſt. Non enim conſtat ex arboris vitæ vſu ætatis propagationem profluxiſſe. Potuit enim illa arbor nihil niſi vitæ ſacramentum fuiſſe, cuius vtendi facultas ius viuendi, data indultum, denegata ademptum ſignificaret. Quo poſito, arbor ſcientiæ boni & mali typus fuit ſeu ſymbolum peccati, rei quam vnam Deus prohibet, quamque guſtare homo non poteſt, quin tandem aliquando quod peccando amiſit bonum, & contraxit malum verè ſentiat & cognoſcat. Fac tamen arborem vitæ vi quadam phyſica præditam fuiſſe ſanitatis & vitæ prorogandæ, non erit conſequens, arborem ſcientiæ boni & mali ſimili facultate ſcientiæ boni & mali vel producendæ vel augendæ ornatam fuiſſe: illud enim agendo in corpus, iſtud nonniſi agendo in mentem fieri potuit. Agere autem in corpus quidem manducata arbor potuit, in mentem verò non item.

XXXVIII. *Deinde* (quæ altera eſt VVolkelij ratio) *ſi Deus ex animo minimè locutus eſt, nequaquam quæ ſubijciuntur verba, rectè ex his, de quibus agimus, apta nexaque ſunt. Sic enim ibidem ſtatim ſubiungit*: Nunc ergo, ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat de ligno vitæ, & viuat in æternum, &c. *Neque enim vllam aliam ob cauſam Deus illa verba præmiſit*: Ecce Adam factus

est tanquam vnus ex nobis, ad sciendum bonum & malum, *quàm vt rationem quodammodo redderet, quare à fruenda arbore vitæ Adamum prohiberet, nempe quia boni & mali scientiâ polleret, & ideo tum arboris istius vim, tum quantum in ea ponendum esset, probè intelligeret; & porrò nequaquam vitæ suæ tam negligens esset futurus, quin fructum arboris decerperet, comederetque, & sic vitam viueret maximè diuturnam.* Hæc est fallacia à non causa pro causa. Primùm an verbis *Ecce Adam factus est &c*, rationem Deus reddat, quare à fruenda arbore vitæ Adamum prohibeat, in dubium vocari potest: quod enim vulgata Latina vertit *Nunc ergo*, in Heb. est ועתה, id est, *Et nunc*, vt etiam reddunt hoc loco 70. Interp. Et plerique omnes Latini. Deinde Adamum boni & mali scientia polluisse, vnde habet Aduersarius? quî potuit arbor corporea & materialis in mentem Adami immaterialem, vi sibi insita & inhærente, agere? quî potuit eam tanta scientia donare? quî potuit ei vim latentem in alia arbore reuelare? Si eâ scientiâ vi comestæ illius arboris Adamus polluit, si quasi Deus factus est, vera fuit promissio serpentis, & Deus videri potuit summam illam perfectionem inuidisse homini, quo nihil potest fingi absurdius. Quis credat Adamum lapsu suo ascendisse ad altiorem perfectionis & scientiæ gradum, sibique lucem non tenebras, acutiorem visum non cæcitatem comparasse? Quomodo ergo verba illa cohærent cum sequentibus? ridet Deus & redarguit Hominis stultitiam verbis illis, & quominus eam alterâ cumulet prospiciendum docet verbis sequentibus. Quid opus est majore connexione?

XXXIX. Demus tamen Aduersarijs non esse ironiam. Num hoc juuabit eorum causam? perimet potius. Cui enim factus est Adam similis? Diabolis? Hos, opinor, Deus non consociat secum pronomine *Nobis*. Angelis bonis? His dissimilis potius factus est, cognitione; lapsus enim est in errorem, sanctitate, factus enim est peccator, fœlicitate: factus enim est miser. Deo absolutè spectato? Huius imaginem, ad quam creatus fuerat, magna ex parte lapsu suo amisit. Itaque non dicit Deus, factus est sicut angeli, aut sicut Deus, aut sicut nos, sed sicut vnus ex nobis. Nempe non est factus sicut Pater, nec sicut Spiritus sanctus, sed profectò factus est sicut Filius Dei. Negabis? Non potes. Duobus enim modis spectari potest Adamus, vno secundum rationem propriam, qua differebat ab Eua & reliquis homi-

nibus: altero ſecundum rationem communem cum Eua & reliquis peccatoribus reſipiſcentibus. Vtroque reſpectu factus eſt ſicut Filius Dei.

XL. Et priore quidem: factus enim eſt vmbra ſeu typus Chriſti, teſte Apoſtolo Rom. 5. vmbra autem ſimilis eſt corpori ſuo, typus rei quam adumbrat. Poſteriore verò: Nam Adamus agnouit nuditatem ſuam, & remedium quæſiuit: Deus egit ſeuerè cum ſerpente, clementer cum Adamo: maledixit ſerpenti, maledictionem ab Adamo transtulit in terram, Denuntiauit ſerpenti exitium, homini liberationem per ſemen mulieris. Quam promiſſionem fide amplexus Adamus, ac ſibi & vxori applicans, vocauit vxorem ſuam *Euam*, quod eſſet futura mater omnium viuentium, habita nimirum ratione ſeminis illius contrituri caput ſerpentis, in quo omnes viuificantur. Quam ob fidem Deus quaſi placatus medicatus eſt ipſorum nuditati; veſteſque pelliceas illis & fecit & induit. Quo perfecto jam ait, Adamum factum eſſe ſimilem vni ex perſonis diuinis, hoc eſt, Filio Dei ad ſciendum bonum & malum: Nam & ſolus Dei Filius vt nos ſeruaret mala noſtra expertus eſt & didicit, noſque bona ſua docuit & videre partim fecit, partim faciet, & quos Deus prænouit, hos etiam prædeſtinauit conformandos imagini filij ſui: vt ſit primogenitus inter multos fratres, qui ipſum induunt, vnicum nuditatis noſtræ ſpiritualis remedium. Ita, ſi cognitionem experimentalem ſpectes, non Pater, non Spiritus ſanctus, non Angeli ſciuerunt bonum & malum, ſed ſolus Filius Dei Seruator, & homines qui per eum ſeruantur. Ille eſt exemplar cuius imagini hi fiunt conformes. Hinc intelligitur, cur mentio nominis Euæ impoſiti ſententiam diuinam ſtatim ſequatur, cur Deus tam miſericorditer Adamum tractarit; cur hanc beneuolentiæ teſtificationem excipiant hæc verba. *Ecce Adam factus eſt &c*; cur Deus dixerit *vnus ex nobis*; cur Adamum ſolum nominauerit non Euam cum eo; cur denique ſequantur illa, *Nunc ergo ne fortè mittat manum ſuam* &c.

XLI. Vltimum enim iſtud primùm typi ratio flagitabat. Nam, vt Adam è paradiſo terreſtri emiſſus eſt ad colendam terram de qua ſumptus fuerat, ſic Filius Dei è paradiſo cœleſti miſſus eſt ad colendam Eccleſiam è qua ſecundum carnem ſumptus eſt, &, vt collocati ſunt Cherubim & lamina gladij flammea ad

custodiendum iter arboris vitæ, ita vt non posset Adamus ad illam arborem aspirare nisi per mortem cruentam & initum cum illis cherubim prælium; sic ea quæ custodiebant viam ad arborem vitæ cœlestis seu gloriosam immortalitatem eiusmodi erant, vt ad eam nobis peccatoribus obtinendam necesse fuerit Filium Dei per mortem cruentam, per maledictionem legis Angelorum ministerio traditæ, per exercitus diabolorum victorem penetrare ad paradisum cœlestem. Deinde hoc ipsum exigebat conformitas seruandorum cum Seruatore. Cum enim huius & paradisus & vita & fœlicitas terrena non sit sed cœlestis ac spiritualis, adimenda illis spes omnis fuit vitæ animalis prorogandæ in perpetuum, & reuertendi in paradisum terrestrem, necnon etiam typo adumbrandum, non nisi per varias tribulationes iter patere in paradisum cœlestem. Hæc obiter perstringimus hoc loco, accuratius explicanda in disputationibus de typis, si eas continuare clementissimus Dominus nobis dederit.

XLII. Conatur etiam alio argumento V.Volkelius probare, Deum verbis illis Angelos esse allocutum. *Consentaneum enim est*, inquit, *Deum, cum ad hunc modum loqueretur, ad illa serpentis verba respexisse*: Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. *Quibus verbis cum serpens ille, ad vescendum fructu arboris boni ac mali, primos parentes nostros planè incendere studuerit, haud verisimile est, si summo illi Deo eos pares fore persuadere instituisset, simplici Deorum nomine eum vsurum, & non multò luculentiùs altissimum illud numen expressurum fuisse præsertim cum simplex Deorum commemoratio summum illum Deum necessariò minimè contineat.* Mira ratio! quasi verò nomen vllum aptius esset ad significandum Deum verum, seu, vt loqui amant, summum, quàm nomen istud *Elohim*, quod ad eum significandum, & omnium frequentissimè adhibetur in Scriptura, & solum vsurpatum fuit à Mose in historia creationis describenda Gen. 1. immò à serpente ac Eua in hoc eorum colloquio!

XLIII. Tria igitur peccata hoc loco committere mihi V Volkelius videtur. Primò nomen *Elohim* in his serpentis verbis, *Eritis sicut Elohim*, aliter accipit quàm in superioribus *scit Elohim* &c, cum tamen causa nulla sit, cur aliter accipi debeat. Deinde ponit, Euam credidisse plures Deos, vnum summum, multos subalternos, & hos etiam sciuisse bonum & malum: quæ tamen duo

probari non possunt, neque autoritate Scripturæ, neque vlla ratione. Denique promissionem serpentis veram fuisse putat, illique assentitur. Concludit enim, *tum Deum, tum serpentem, nihil aliud dicere voluisse, quàm Adamum, quod ad boni malique intelligentiam attinet, non amplius reliquis terrestribus animalibus, sed generatim loquendo cœlitibus, quorum malum à bono dignoscere proprium erat, similem esse, aut fore.* Eua igitur, si VVolkelio fides habetur, rectè fecit cum credidit serpenti; quippe scilicet vera dicebat, & pollicebatur: Et hoc ipso quod Adamus interdictum diuinum violauit grauissiméque peccauit, factus est multò quàm antè perfectior, ac dijs similior, sibique scientiam comparauit bonum dignoscendi à malo. Non pudet Aduersarios huius suæ tam absurdæ, ne dicam impiæ, opinionis? Mentiebatur profectò vt iam dixi, & seducebat serpens; neque ex huiusmodi seductione aliud per se oriri poterat, quàm error, ignorantia, cæcitas. Sed Deus serpenti iratus, & hominis misertus admirabili misericordia & sapientia hominem ita in Christo instaurauit, vt contra mentem serpentis, ac nequicquam ringente & frendente diabolo, primùm scientia boni & mali, deinde sanctitate ac tandem felicitate & gloria Filio Dei similis factus fuerit. Id quod quia jam erat, non modo Dei consilio immutabili decretum, sed etiam in Adamo adumbratum, immò aliquomodo per eius fidem inchoatum, potuit causa fuisse, cur Deus sic loqueretur, *Ecce Adam factus est sicut vnus ex nobis*, longè aliter quàm serpens: hic enim simpliciter dixerat *sicut Elohim*, hoc est, Deus, vel dij, non *sicut vnus ex Elohim.*

XLIV. Nihil aliud affert VVolKelius. Pergat igitur interrogare Schlichtingius. *Quid*, inquit, *non Angelis potius hac in parte quàm ipsis diuinis personis assimilandus homo fuerat?* Si vim hærentem in arbore scientiæ boni & mali, si inobedientiam Adami, si serpentis mentem spectes, neutris certè assimilandus fuerat. Mentiebatur enim & decipiebat, vt dixi, serpens. Sed si Dei gratiam spectes, assimilandus erat vni ex personis diuinis, nempe Filio, Angelis verò non ita propriè. Fuit enim Adamus typus, non Angelorum, sed Filij Dei; nec assimilandus per fidem angelis, sed Filio Dei; nec futuri sunt fideles Angelis similes, nisi quia futuri sunt similes Filio Dei, cui Angeli etiam similes sunt quibusdam in rebus.

XLV. Addit rationem, *Nam*, inquit, *Angelis Deum ſtipatum fuiſſe cum res ipſa eiuſque ſuprema maieſtas requirit, tum ſequentia oſtendunt.* Si quis Auctori Epiſtolæ ad Hebræos Melchiſedecum ſic deſcribenti, *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque vitæ finem habens*, objiceret, Melchiſedecum ſine patre, matre, initio dierum non fuiſſe rem ipſam oſtendere, quid eſſet reſpondendum? Nonne hoc, Non debere conſiderari Melchiſedecum vt fuit in ſeipſo, ſed vt deſcribitur à Moſe patrem eius, matrem, initium dierum &c deſtinato conſilio occultante. Idem reſpondemus Schlichtingio, Deum non debere in hoc loco conſiderari niſi vt ſe oſtendit in hac hiſtoria: ſic autem eum ſeſe in hac hiſtoria oſtendere & reuelare, vt Angeli, ſiue ijs ſtipatus fuerit, ſiue non fuerit, prorſus non appareant; ac propterea eos eodem loco à nobis haberi debere in iſta hiſtoria explicanda, ac ſi nulli fuiſſent. Fit quidem in vltimo capitis verſu mentio cherubim & aciei gladij, ſed illis Cherubim ſtipatum Deum fuiſſe nullo modo dicitur. Fuerit tamen Deus Angelis ſtipatus, quid inde ſequitur? Deum Angelos fuiſſe alloquutum, aut deſignaſſe pronomine *nobis*? nullo modo. Id vidit Schlichtingius. Itaque ſubjungit, *Neque hoc ſolùm, ſed etiam Deum ad Angelos ſermonem ſuum conuertiſſe docent.* Itane hunc ſermonem de quo eſt quæſtio, *Ecce Adam factus eſt ſicut vnus ex nobis*? fruſtrà laborat ſi alium intelligit. Audiamus igitur eius ratiocinationem. *Poſtquam enim*, inquit, *dixiſſet*; Ecce homo factus eſt ſicut vnus ex nobis ad ſciendum bonum & malum; *ſtatim ſubijcit* (*prouiſurus ne homo etiam de arbore vitæ comedat: & ſic in ſeculum vitam producat:*) Et nunc, ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de arbore vitæ, & comedat & viuat in ſeculum. *Quæ verba cum adhuc imperfecto ſenſu pendeant, neceſſe eſt aliquid intelligamus additum. Quid autem aliud, quàm Deum id iuſſiſſe quod ſtatim Moſes ſubijcit fuiſſe factum? Rem ipſam pro rei iuſſu ac decreto, breuitatis cauſa, ſtatim referens. Quid verò factum fuit, & qua ratione Deus illi rei, quam fieri nolebat, occurrit?* Et emiſit, *inquit*, Dominus Deus hominem de horto Heden &c. & collocauit ab oriente cherubim & aciem gladij, ad cuſtodiendum viam arboris vitæ. *Duo fecit: hominem ex horto eiecit, & cherubinos viam arboris vitæ cuſtodire iuſſit. Quocirca poſt illa verba, quid aliud intelligendum eſt, quàm dixiſſe Deum; vos o Angeli vel Cherubim; ne*

exactus redeat, custodite arboris vitæ viam. Quorsum ista? aut quid ad rem faciunt? Dixerit Deus post illa verba tale quid Cherubinis, an inde sequitur Deum superiora illa *Ecce Adam* &c dixisse Cherubinis, aut in superioribus illis verbis Cherubinos pronomine *nobis* esse significatos? miseret me tam inanis conatus Schlichtingij.

XLVI. Vt igitur argumentari pergam, sic colligo. Deus verbis illis *vnus ex nobis*, aut angelos intelligit, aut personas diuinas. Prius dici non potest, id quod probo his argumentis. Principiò non negabunt Aduersarij, quin quas personas Deus alloquebatur cum diceret *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, easdem alloquatur his verbis *Ecce Adam factus est sicut vnus ex nobis.* Atqui illis verbis *Faciamus hominem &c,* non alloquebatur Angelos, vti à nobis probatum est §. 37.38.39. Ergo his quoque verbis Angelos non alloquitur.

XLVII. Deinde qui loquitur hoc loco appellatur *Iehoua Elohim*, quod nomen maximè proprium est vnius Dei creatoris cœli & terræ. Si igitur in Veteri Testamento duæ vel tres personæ occurrunt, quarum vnaquæque non modo *Elohim*, sed etiam *Iehoua* appellatur, consentaneum est rationi, vt illæ potius personæ intelligantur hoc loco, quàm aliæ, quibus Iehouæ nomen conuenire non potest. Prius autem est verum, vt patuit ex disputationibus superioribus; Ergo & posterius.

XLVIII. Sed ne jam probatis nitamur, Si Deus verbis illis, *Ecce Adam factus est sicut vnus ex nobis*, Angelos alloquutus est, secum sociauit, sociatosque à nobis intelligi voluit, cur diuinus autor id nullo modo innuit? Cur non scripsit apertè, *Et Dominus Deus dixit ad Angelos;* Aut cur saltem Deum non induxit sic loquentem, *Ecce Adam factus est sicut vnus ex vobis?* vel *sicut vnus ex Angelis?* Quid enim erat causæ cur Angelos silentio tegeret? quis eiusmodi occultationis vsus esse poterat? ostendit plures personas nomine Elohim, quod Deum significat, dignas, ac interim Angelos velo silentij operuit. Quorsum, nisi vt ne putemus Angelos intelligi? Cur Matth. 17. 8. obseruatum est, cum oraculum illud ederetur è nube, *Hic est filius meus dilectus &c.* Apostolos Petrum, Iacobum & Iohannem neminem vidisse nisi Iesum solum, nisi vt innueretur, illud non de Mose, aut Elia, sed de Iesu solo dictum fuisse? Sic hoc loco cur Angeli latent, cur ni-

hil præter Deum comparet, cum verba illa proferuntur *ſicut vnus ex nobis*, niſi vt ne perſonas intelligamus angelicas, aut Dei nomine & natura non comprehenſas?

XLIX. Fit quidem non multò poſt mentio Cherubim, quo nomine Angelos ſignificari volunt Aduerſarij: Sed id cauſæ noſtræ admodum fauet. Primùm enim eos diuinus autor non vocat Deos, nec Angelos, ſed *Cherubim*, quod nomen nec quid ſignificet ſatis liquet, nec relationem vllam habet vel ad promiſſionem ſerpentis *eritis ſicut Deus*, vel ad verba Dei *factus eſt ſicut vnus ex nobis*, vel ad ſcientiam boni & mali. Deinde illis adjungit laminam ſeu aciem gladij. *Collocauit*, inquit, *à plaga orientali Cherubim & laminam gladij verſatilis*, quam ſine dubio verbis, *ſicut vnus ex nobis*, non intellexit. Tum miniſterium illis attribuit planè ſeruile, quod nec Deos decere videtur, nec Dei conſiliarios aut præcipuos miniſtros, dies ſcilicet & noctes in regione orientali horti ad viam arboris vitæ cuſtodiendam & ab ea hominem arcendum conſiſtere. Cauere nimirum omni ratione prudentiſſimus autor voluit, ne Deus alloqui Angelos videretur, & ſibi, quaſi Dij eſſent, ſociare.

L. Præterea, Si Deus verbis illis *vnus ex nobis* ſecum conſociat Angelos, is ſecundum id quod ipſi eſt aliquomodo cum Angelis commune, & ſeſe ipſe conſiderat, & vult à nobis conſiderari? quî factum eſt igitur, vt hoc loco non contentus nomine *Dei, Elohim*, quo ſolo paſſim appellatur, quodque rariſſimè quidem, ſed tamen nonnunquam ad ſignificandos Angelos transfertur, voluerit ei adjungi & præmitti nomen Domini *Iehouah*, quo (præſertim ſequente Elohim) ab omnibus Angelis maximè diſtinguitur, & ſeparatur? Neque enim duorum iſtorum nominum diuinorum facta eſt hoc loco temerè & ſine vlla ratione conſociatio: vt enim in mundo, ſic in Scriptura, immenſa Dei ſapientia & prouidentia ad res omnes, etiam minutiſſimas, pertinet, eiuſque ueſtigia, etiam in minimis, elucent & cerni poſſunt. Cur igitur Deus, cum verba iſta pronunciat, *Ecce Adam factus eſt ſicut vnus ex nobis*, appellatur *Iehoua Elohim*, quo nomine maximo ab Angelis ſeparatur naturæ & dignitatis interuallo, niſi vt intelligamus, verborum illorum hunc eſſe ſenſum, *vnus ex nobis*, qui nimirum Iehoua Elohim ſumus; non verò *vnus ex nobis*, qui Iehoua Elohim & Angeli ſumus?

LI. Adhæc, quid significat illud *vnus ex nobis?* quilibet ex nobis? æquat igitur sibi personas quas alloquitur, quasi inter se & illas nihil, aut ferè nihil interesset. Non alloquitur igitur Angelos, sibi valdè & naturâ, & dignitate, & scientiâ dissimiles. Certus quidam vnus ex nobis? si sic vnum quendam certum angelum designare voluisset, dixisset potius *ex vobis*, quàm *ex nobis*. Is enim qui hæc dicebat non erat angelus, nec de Angelorum numero.

LII. Denique Deus vel ironia vtitur, vel non. Si ironia vtitur, alludit ad verba serpentis *eritis sicut Elohim*. Quod nomen ego de Deo, Aduersarij de Angelis interpretantur. Vtra expositio melior? Annon ea, quæ & vsitatam illius vocis significationem retinet, & nihil ponit, nisi quod constat reuera fuisse, jure suo anteponenda est ei, quæ, & ab vsitata nominis illius significatione discedit, & ponit quædam, quæ an fuerint sciri non possunt? Talis est nostra. Solet enim ferè semper nomen illud Deum, vt loquuntur, summum significare, nec alio sensu à Mose, ab Eua, à serpente vsurpatum eousque fuerat, aut vsurpatur in sequentibus. Ponit etiam nostra interpretatio Euam cognouisse, Deum esse, scire bonum & malum, & appellari Elohim; quæ quin cognouerit nemini potest esse dubium. Aduersariorum verò interpretatio, vt jam obseruaui, & ab vsitata nominis Elohim significatione recedit, & ponit Euam tunc temporis sciuisse Angelos esse, scire bonum & malum, & vocari Elohim. Quod neque Scripturæ autoritate, neque ratione probari potest. Si sine ironia loquutus est, considerandum est cui Adamus peccator similis factus fuerit. Si Scripturam consulamus, vnus nobis occurret Dei Filius, cuius typus factus est Adamus. Consentaneum est igitur, vt eum hoc loco intelligamus.

LIII. Sunt alia nonnulla Veteris Testamenti loca, quibus diuinarum pluralitas personarum non obscurè innuitur, vt Gen. XI. 6. 7. *Et dixit Dominus* &c, *Agite descendamus & confundamus ibi linguam eorum.* Gen. 20. 13. *Et fuit cum errare me fecerunt dij à domo patris mei.* Ios. 24. 19. *Non poteritis seruire Domino* (Iehouah) *quoniam dij sancti ipse* est. 2. Sam. 7. 23. *Et qua est sicut populus tuus, sicut Israël, gens vna in terra, ad quam iuerint Dij redimendam sibi in populum &c.* Sic enim, si verbum pro verbo reddere velis, verti debent illa loca. Sed illis & similibus vt-

gendis, ſtudio breuitatis, ſuperſedeo. Tantùm obſeruo non poſſe elabi Aduerſarios conſociando Angelos cum Deo ſummo: iſtam enim conſociationem apertiſſimè reſpuunt duo iſta poſtremò à me laudata loca. Prius quidem: in eo enim ratio redditur, cur non poſſent Iſraëlitæ ſeruire Iehouæ; eaque petitur ab eius ſumma ſanctitate; Et ſequuntur pronomina & elogia ſingularis numeri, ne videatur induci pluralitas, vt perſonarum diuinarum, ſic etiam Deorum. Poſterius verò: nam & illud præceſſit verſu proximè antecedente, *Non eſt ſimilis tui, Nec eſt Deus præter te;* ſequitur autem, *ad redimendum ſibi in populum, & comparandum ſibi nomen &c,* quæ de Angelis dici nequeunt. Adde quod eiuſmodi conſociatio pugnaret cum ſcopo Dei, cuius conſilium fuit docere populum ſuum, ſe eſſe Deum, & præter ſe neminem, juxta illud Deut. 4. 35. *Tu per viſiones edoctus es, quod Dominus* (Iehouah) *ipſe eſt Deus* (Elohim) *nec eſt alius præter eum.*

LIV. Plura teſtimonia Veteris Teſtamenti non laudabimus. Adeò enim nobis impares in hac cauſa ſunt Aduerſarij, vt ne vnum quidem è Vetere Teſtamento contra fidem noſtram teſtimonium afferre poſſint, ita conſtanter nobis fauet tota illa Scriptura. Id quod magnum eſt argumentum veritatis ſententiæ noſtræ, cui cum multa ſint in antiquo teſtamento quæ faueant apertè, nihil eſt prorſus quod, vel in ſpeciem, repugnet: Et tamen Scripturam illam diuiniſſimam ipſe Chriſtus, eiuſque Apoſtoli nobis admodum commendarunt, tanquam quæ nos poſſit ad ſalutem ſapientes reddere per fidem, quæ eſt in Ieſu Chriſto: eiuſque te- Ioh. 5.
ſtimonijs Religionis Chriſtianæ dogmata cum ipſi confirma- 39.
runt oppoſitoſque errores confutarunt, tum nobis vt idem, cum 2. Tim. 3. 15.
opus erit, faciamus exemplo ſuo autores fuerunt.


Hic igitur finis eſto huius Sectionis, immò Libri. Quoniam enim hic liber ſuperiorem numero argumentorum jàm ſuperat, & paginarum ferè æquat, viſum eſt Teſtimonia Noui Teſtamenti conferre in librum ſequentem. Deo Patri & Domino noſtro Ieſu Chriſto eius filio vnigenito Creatori & Seruatori noſtro ſit gloria in ſecula ſeculorum. AMEN.

FINIS.



ADDENDA

Ad Arg. XIX. Ex Esai. Cap. LIV. ℣ſ. 3. petitum.



IBRVM hunc penè absolueram, cum mihi legendarum Socini ad amicos Epistolarum peropportunè copia facta est. Eas dum percurro, incidi in Epistolam ad Valentinum Smalcium octauam, in qua conatus est respondere ad Argumentum ex cap. LIV. Esaiæ petitum, quod nobis est in hoc libro decimum nonum. Quoniam autem eius responsiones, nec tum videre mihi contigerat, & simul ac legi falsæ visæ sunt, non abs re erit eas hoc loco expendere & refellere.

I. Argumentum nostrum sic ipse Socinus format & confirmat non incommodè. *Quicunque est Ecclesiæ maritus is est vnus ille Deus Israëlis. Sed Christus est Ecclesiæ Maritus. Christus igitur est ille vnus Deus Israëlis. Maioris probatio propositionis, qua tota argumentatio nititur, petitur ex loco isto Esaiæ, iuncto eo quod inter omnes constare videtur, Ecclesiæ maritum non posse esse nisi vnum quemadmodum fœminæ alicuius vnus tantum vir esse potest. Ille siquidem vnus Israëlis Deus isto in loco ait se esse, aut certè fore maritum illius sterilis quæ non pariebat. Nam hanc esse supernam Ierusalem, id est, Ecclesiam, interpretari videtur Paulus ad Gal. cap. 4. ℣. 26. & 27. De veritate minoris propositionis, constat ex ijs quæ leguntur cap. 5. Epist. ad Ephes. ℣. 22. & deinceps. Vnde etiam id confirmatur, quod ad maioris propositionis comprobationem diximus, vnum tantùm esse posse maritum Ecclesiæ, vt mulieris alicuius vnus tantum vir esse potest. Nam ex iis quæ ibi dicuntur, apparet Christi cum Ecclesia coniugium, in eoque coniugio summam, vt sic dixerim, vnitionem adumbratam fuisse in maris fœminæque coniunctione, & porrò in viri & vxoris coniugio, quod Deus ipse ab initio instituit.*

II. Ad hoc argumentum vt respondeat vertit se in omnes partes. *Primum*, inquit, *negandum est, sterilem illam quæ non pariebat esse Ecclesiam.* Lege quæso, Lector candide, totum illud caput Esaiæ LIV. nec non cap. IV. Ep. ad Gal. à ℣. 22. ad finem vsque, & miraberis hominis audaciam id quod sole meridiano clarius est negantis. Refut. 1. Resp.

III. Negationem tamen istam suam fulcire conatur tribus rationibus, sed quæ nituntur eodem falso fundamento, vt mox patebit. *Quomodo enim*, inquit, *sterilis Ecclesia noui fœderis tunc dici potuit, cum nondum esset? aut quando vnquam sterilis hæc Ecclesia fuit, aut dici vllo modo potuit, nisi fortasse multis post Christum natum seculis? Atqui Esaiæ verba ad ea tempora, quæ statim post Christum exhibitum extiterunt omnino pertinere, & Pauli locus, antea pro argumento confirmando citatus, apertè docet, nec quisquam est qui neget, qui vaticinium istud ad noui fœderis tempora spectare velit.* Tunc quidem sterilis dici Ecclesia non potuit, cum nondum fuit. At non fuisse Ecclesiam antequam Christus veniret in carne falsissimum est. Vaticinium Esaiæ ad tempus exhibiti Christi pertinet: est enim de mira fœcunditate eius Ecclesiæ quæ mater est omnium fidelium. Ea autem demum aduentu Christi facta est fœcunda, cum antea sterilis fuisset.

IV. *Præterea*, addit Socinus, *allegorica ista mulier desolata esse dicitur, id est, viro destituta, vt ex eo quod per antithesim statim subiungitur liquidò constat. Id quod ad Ecclesiam siue sub vetere, siue sub nouo fœdere, accommodari nequit. Veteri quidem accommodari non posse illi ipsi fatentur, qui volunt mulierem istam esse Ecclesiam. Iidem enim volunt alteram coniugatam mulierem, cum qua illa confertur esse veterem Ecclesiam. Noua autem non posse accommodari id manifestè docet, quod simul atque ipsa extitit, suum virum habuit Christum, quo nunquam postea destituta fuit.* Ante aduentum Christi quemadmodum duplex fœdus fuit teste Apostolo Ep. ad Gal. cap. 3. ℣. 17. Vnum quod ratum factum est à Deo in Christum; ac propterea Euangelicum appellari potest. Alterum quod quadringentis & triginta pòst annis cœpit, & vocari solet fœdus legale; sic duplex fuit Ecclesia: vna antiquior nitens ad salutem priore illo fœdere: Altera minor natu, quæ nitebatur fœdere posteriore. Illa cum suo fœdere adumbrata fuit in Sara, ista in Agare. Illa, vt Sara, diu sterilis fuit expectans semen

promissum, in quo benedicendæ erant omnes gentes. Ista dum expectabatur semen illud promissum, vt Agar, superaddita fuit. Sicut igitur conuerso Abrahamo ad Agarem mansit Sara desolata cubili vacuo, sine conjuge, sine liberis; sic conuerso Marito Ecclesiæ ad fœdus legale, eamque Ecclesiam, quæ illo nitebatur, fœcundabatur illud fœdus, illa Ecclesia, & pariebat in speciem quidem ad libertatem & spem hæreditatis, sed reuera ad seruitutem tantùm: ac interim fœdus illud prius cum ea spirituali Ecclesia quæ eo nitebatur, quasi neglectum & desertum jacebat, nec gignebat semen illud tantò antè promissum, tamque diu expectatum.

V. *Addo*, inquit Socinus, *quod Deus fatetur, se mulierem istam ad breue tempus dereliquisse, qui tamen nunquam Ecclesiam dereliquit.* Immò eam eo modo dereliquisse dici potest, quo modo Abraham dereliquit Saram, cum derelicto Saræ cubili venit ad Agarem, eamque, derelictâ Sarâ solâ, in sinum suum recepit, & conjugalem beneuolentiam ad eam transtulit. Sic enim Deus Ecclesiam, quæ fide in promissionem ad justificationem suam nitebatur, dereliquisse dici potest, quatenus sese ad Legem ferendam, fouendam, vrgendam, inculcandam applicuit, eamque Ecclesiam, quæ legi addicta fuit, ornauit & fœcundauit, deditque operam gignendis Legis filijs. Ita manserunt quidem simul in eadem domo Abrami, hoc est, Patris excelsi, nimirum Dei, Sara & Agar, Promissio & lex, fides & opera Legis, Ecclesia fide & promissione præcipuè nitens, & Ecclesia præcipuè nitens lege & operibus. Illa origine sua libera, hæc serua; Illa mansura perpetuò in domo patris excelsi, hæc ex illa tandem cum liberis suis ejicienda; Illa jure domina, hæc famula: Sed tamen ita vt dum expectatur tempus implendæ promissionis, pater excelsus sese à fide & promissione, quam olim summo cum affectu commendarat & inculcauerat, conuerterit ad Legem & Legis opera commendanda, vix aliqua Promissionis & fidei mentione injecta. Cum igitur in eo quod Ecclesia sterilis, desolata, derelicta dicitur, allusio fiat manifesta ad Saram, aliter exponi Epitheta illa non possunt, quàm quemadmodum à nobis exposita sunt.

VI. Quænam est igitur ex Socini sententia sterilis ista, cuius se ipse Deus profitetur esse maritum, si Ecclesia non est? *Dicimus*, inquit, *illam, quatenus vaticinatio ista Esaia ad Christi tem-*

pora, & sic ad argumentum ex ea formatum propriè pertinet, Gentes, siue incircumcisum populum esse, qui eo in loco Iudaico seu circumciso populo opponitur, & præ illo sterilis mulier, destituta viro, à Deoque derelicta meritissimò & Esaiæ tempore, & postea etiam vsque ad Christi aduentum atque Apostolorum prædicationem, immò etiam ante Esaiæ seculum, per complura secula dici potuit. Nulli enim Deo filij ex incircumciso populo, iam inde ab Abrahamo, qui primus omnium circumcisus fuit, præsertim verò post legem circumciso populo datam, nascebantur; quippe quem Deus quodammodo reiecisset, sine quo, tanquam mulier sine viro, ipsi Deo filios parere non poterat. Hæc verò expositio à mente Apostoli & Prophetæ longè abit, apertè falsa & absurda. Nam ad Apostolum quod attinet, is vt probet iustificari & hæredem esse eum, non qui nititur operibus Legis, sed qui nititur fide & promissione, argumentum ducit planè inuictum à typo duarum mulierum Saræ & Agaris: quarum Ista typus fuit fœderis Legalis è monte Arabiæ Sina profecti & promulgati, necnon illius Ecclesiæ quæ eo fœdere ad iustificationem suam nitebatur, qualis fuit terrena illa, quæ tunc erat, Ierusalem, cum filijs suis persequentibus fideles è domo mariti ejicienda: Illa verò typus fuit fœderis gratiæ habentis promissiones, è monte Sion qui tangi non potest profecti & promulgati, necnon illius Ecclesiæ, quæ fœdere illo & promissione fide firmiter apprehensa nititur, & vocatur ciuitas Dei viuentis, Ierusalem quæ supernè est, in monte illo Sion ædificata, ac in æternum mansura. Vt igitur Ierusalem seu Ecclesia lege nitens sine promissione fœcunda fuit simul ac maritum habuit, vt Agar; sic Ierusalem quæ supernè est, quamuis legitima esset atque vnica Patris excelsi sponsa, & promissiones haberet sæpius repetitas seminis in quo benedicendæ essent omnes gentes, tamen diu præ altera illa sterilis fuit, nec alios quàm alterius illius filios habere videbatur. Quæ typi cum re adumbrata egregia analogia prorsus corrumpitur, si sterilis ista, cuius maritus esse dicitur Deus, verus pater excelsus, non est Ecclesia respondens Saræ, sed gentes incircumcisæ & idololatræ, quibus semen benedictum non fuerat promissum.

Heb. 12.

VII. Id autem, vt nimirum Ecclesia, non verò populus gentium incircumcisus, intelligatur, flagitat non modò insignis huius typi analogia cum re significata quam Apostolus vrget, sed

etiam connexio ℣. 26. cum hoc 27. sic enim se habent duo illi versus apud Apostolum. *Illa verò quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrum. Scriptum est enim, Lætare sterilis quæ non paris. Erumpe & clama quæ non parturis, quoniam plures erunt liberi desertæ, quàm eius quæ habet virum*, τὸν ἄνδρα. Quis, nisi præiudicio excæcatus fuerit, non videt, eandem ab Apostolo mulierem seu Ecclesiam intelligi, quæ vt Sara, perpetuò libera, diu sterilis, tandem mater facta est fœcundissima? Quænam iubetur lætari, erumpere, clamare, annon ea quæ dicitur mater omnium nostrum, hoc est, fidelium tam ex gentibus quàm ex Iudæis? Quænam alia quàm Ecclesia aut pro marito Deum habet, aut liberos parit Deo verè liberos ac hæredes? Num gentes incircumcisæ quæ non sunt Ecclesia Dei, pariunt Deo filios? num fideles quatenus sunt filij Dei eas pro suis habent matribus? Contrà est. Quominus enim fœdus gratiæ & Ecclesia illi fœderi respondens ex gentibus filios Deo pareret obstiterunt quantum potuerunt gentes; Et qui ex gentibus crediderunt, illi eo ipso desierunt gentes esse gentiumue filij, & facti sunt filji Ierusalem quæ supernè est, oppositi gentium filiis. Quod si filij intelliguntur qui sunt filij Ecclesiæ, consentaneum est vt eorum mater esse Ecclesia intelligatur. Alioqui mira quædam erit æquiuocatio, maléque cohærebit id quod pro ratione affertur ab Apostolo cum eo quod probare instituit.

VIII. Huic postremæ rationi obuiam it Socinus. *Paulini loci*, inquit, *sententia hæc est, supernam Ierusalem, quam facilè concedo Christi Ecclesiam significare, esse matrem omnium fidelium, & sic tunc temporis ad ipsam, tanquam filios eos etiam pertinuisse, qui ex gentibus crediderant; quandoquidem iam prædictum erat, ex gentibus multo plures fideles extituros, quàm ex Iudaico populo.* Consilium igitur Apostoli, si Socino credimus, fuit prolato hoc Esaiæ vaticinio probare, plures ex gentibus quàm ex Iudæis credidisse aut credituros fuisse; cuius tamen conclusionis probandæ neque vola neque vestigium apparet in verbis Apostoli: nec mirum; nihil enim facit ad scopum, ad quem collimat Apostolus in versibus antecedentibus & consequentibus. Apostoli autem, quâ sunt admirabili sapientia præditi, solent omnia, etiam illa quæ per parenthesin nonnunquam inserunt, ad scopum suum prudentissimè dirigere, nec ab eo vel latum, vt

aiunt, vnguem aberrare.

IX. Ad superiora illud etiam accedit, quod quæ compellatur, sterilis appellatur. Sterilis autem dici non potest quæ virum non nouit, quæ non est vllo matrimonij fœdere cum viro juncta, qualis erat populus gentium incircuncisus, idolorum quidem scortum admodum fœcundum, Dei verò nullo modo conjunx: quippe, *quod ad fœdera promissionis attinet extraneus, spem non habens, & absque Deo in mundo.* At inquiet aliquis, deserta vocatur ista mulier & opponitur habenti virum. Nempe vocatur deserta scilicet à viro suo, & opponitur habenti τὸν ἄνδρα, scilicet virum desertæ. Allusio est, vt dixi, ad Saram, cuius virum ad tempus Agar possedit, manente interim in eadem viri domo Sara quasi deserta, sed tamen neque repudiata, neque infideli. Itaque jubetur exultare, lætari, præ gaudio clamare, quoniam sit breui paritura, numerosæque prolis mater futura. Quid enim lætius accidere potuisset sterili, cupiditate, & vt ita loquar, siti prolis propè enectæ? Ephes. 2. 12.

X. Ad Prophetam quod spectat, clarius est apud eum Ecclesiam compellari toto illo cap. LIV. quàm vt negari possit. Sic enim sterilem illam affatur ℣. 2. *dilata locum tentorij tui & pelles tabernaculorum tuorum extende &c,* nimirum Ecclesia fœcundata latius multò quàm dum esset sterilis habitauit, eiusque limites valdè dilatati sunt. Id quod de populo gentium incircunciso qui Ecclesia non est dici non potest. Sed ne sim longior in re manifesta probanda, quid clarius verbis illis ℣. 11. 12. *O afflicta, procellis agitata, consolatione destituta: Ecce ego collocaturus sum cum ornamento lapides tuos & fundaturus te saphiris, & disponam pyropo specularia tua, & portas tuas lapidibus carbunculi, denique totum terminum tuum lapidibus speciosissimis.* Nonne hæc descriptio est Ierusalem eius quæ supernè est? Et quæ sequuntur, *Et omnes filij tui edocti erunt à Domino &c,* veræne sunt de omnibus filijs gentium quæ non sunt Ecclesia? aut de solis fidelibus vocatis è gentibus, & non vel maximè de fidelibus Iudæis, deque ipsis Apostolis, qui nullo modo filij fuerunt populi incircuncisi?

XI. Verùm fingamus non intelligi Ecclesiam, sed, vt vult Socinus, gentes incircuncisas. Quid sequetur? Nonne hoc absurdum, Deum Patrem fuisse maritum gentium incircuncisarum quandiu fuerunt idololatræ, à fœderibus diuinis alienæ, & abs-

que Deo in mũndo; ſimul ac autem ab idolis conuerſæ fuerunt ad Deum viuum, & diuinum fœdus viua fide amplexæ Deum Patrem deſiiſſe earum maritum eſſe, eaſque Filio meræ, ſi audiuntur Aduerſarij, creaturæ ceſſiſſe? Ita longè potiores erunt Filij quàm Patris, creaturæ quàm creatoris partes. Pater ſiquidem fuerit maritus populi Idololatrici, Chriſtus Eccleſiæ, quæ multò eſt quàm populus idololatricus dignior, Ille adulteræ, hic caſtæ; Ille perituræ, hic futuræ in æternum beatæ. Hoccine Aduerſarijs placet? Sic refutata eſt prima Socini reſponſio.

XII. Alteram ſic ipſe concipit. *Nihil*, inquit, *cogit, vt vox*
Ref. *Hebraica Bahal quæ ibi legitur virum ſeu maritum ſignificet, cum*
2.Reſp. *ea non minus Dominum ſignificare queat; vt quidem tum Græca editio, tum vulgata Latina habet. Id quod alterius reſponſionis loco ad argumentum ipſum eſſe volumus.* Quid? An cogi oportet Aduerſarios ad proprias & vſitatas vocum Hebraicarum ſignificationes admittendas? Ego verò contrà putabam ab ijs diſcedendum non eſſe, niſi quid cogat. Eſt autem propria & vſitata, immò perpetua vocis Hebraicæ Bahal, quotieſcunque de muliere agitur, ſignificatio, vt virum ſeu maritum ſignificet: Et verbum Bahal de matrimonio vſurpatur, immò de actu venereo Deut. 21. 13. & 24. 1. ac vtrumque & nomen & verbum de Sara & Abrahamo dicitur Gen. 20. 3. videturque בעל dici quaſi בא על, quæ duæ voces ad ſignificandum actum maritalem adhibentur Gen. 19. 31. & hoc ipſo cap. Eſai. 54. ℣. 1. בעולה vertente Apoſtolo eſt, ἡ ἔχουσα τὸν ἄνδρα,

XIII. Adde quod huius loci circunſtantiæ aliam interpretationem ferre non poſſunt. Quæ enim compellatur, ea primùm ſterilis fuiſſe, & ad aliquod tempus deſerta à viro dicitur ℣. 1. Id quod maritam arguit. Deinde proles ei numeroſa ac legitima promittitur ℣. 2. & 3. ſine dubio ex legitimo viro. Tum, quoniam quæ diu ſteriles fuerunt cum conceperunt, verecundia quadam timidæ eſſe ſolent, vt de Elizabetha matre Iohannis Baptiſtæ annotatum eſt à Luca cap. 1. ℣. 24. ſubjungitur ℣. 4. hæc hortatio, *Ne timeto, quia non erubeſces, & ne ignominia confuſa eſto, quia non pudebit te &c.* Ratio affertur ℣. 5. *quia*, inquit, *Maritus tuus eſt factor tuus: nomen eius eſt Dominus exercituum* &c. Itaque cauſa non eſt cur te concepiſſe & peperiſſe pudeat, nec etiam cur ſis de tam numeroſa prole educanda & inter tot ho-

stes conseruanda sollicita; nam & ex legitimo viro concepisti, & is satis diues ac potens est, vt te conjugem filiosque tuos & suos alat, deffendat, ac tandem honore & fœlicitate maxima beet.

XIV. Prætcrea subnectit, se eam ad breue tempus, vt solebat vxorem vir iratus, dereliquisse, negat autem se illi in posterum iratum fore, aut eam derelicturum. Denique pollicetur se liberos illius, vt patrem decet, edocturum ℣. 13. quæ omnia apertè significant, Deum sese hoc loco maritum eius quam compellat, hoc est, Ecclesiæ profiteri. Id quod alibi facit tam apertè, vt satis mirari non possim Socini obliuionem & incogitantiam. Fac enim isto loco vocem Bahal maritum non significare, Nonne in alijs multis locis Deus Israëlis se disertis verbis testatur esse maritum Ecclesiæ, vt Esai. 50. 1. Hos. 2. Ierem. 3. Ezech. 16. & 23? Hoc autem ad argumentum nostrum satis est. Inde enim sequitur, aut eiusdem vxoris duos esse maritos, Patrem & filium, quo nihil fingi potest absurdius; aut Patrem fuisse maritum Ecclesiæ Iudaicæ, Filium Christianæ, quod ipsum quoque absurdum est; aut denique Filium esse illum Deum Israëlis qui se maritum esse Ecclesiæ testatur. Relegatur, si placet, Disputatio nostra decima nona. Sic etiam refutata est responsio secunda.

XV. *Sed*, inquit Socinus, *tertio praterea loco responderi ad argumentum istud potest, non eandem esse rationem metaphoricarum appellationum & propriarum: nec si propriè Maritus appellatus vnus tantum alicuius vera mulieris esse potest, similiter metaphoricè appellatum maritum vnum tantùm alicuius vicem mulieris explentis esse posse, concludendum vllo modo esse.* Et paulò pòst, *Nihil vetat, quominus Ecclesia plures maritos habere possit, cum necesse sit, quemadmodum ipsa est metaphorica mulier, sic etiam quisquis eius maritus sit, eum esse ipsius metaphoricum maritum.* Sanus ne erat Socinus cum hæc scribebat? Non magis enim aduersus nos disputat, quàm aduersus ipsum Deum. Deus enim hoc idem in ista metaphorica Mariti & vxoris appellatione vrget, quod nos vrgemus. Itaque gentem Israeliticam adulterij accusat & damnat quod viro suo Deo non contenta ad alios se conuerterit. Cum igitur clamet & inculcet, non posse Ecclesiam alij adhærere quin eo ipso fiat adultera, cum se profiteatur Zelotypum esse, nec posse pati riualem, cum ad exaggeranda peccata populi sui vtatur ista mulieris similitudine adulterio se polluentis, omnino docet istam

Ref. 3. Resp.

metaphoricam appellationẽ mariti, nonminus quàm si esset propria, pluralitatem maritorum excludere, legantur loca jam citata Ier. 3. Ezech. 16. & 23. Os. 2. &c. Nam si eo sensu quo Deus se maritum Ecclesiæ vocat, possent esse eiusdem mulieris vicem explentis mariti plures, posset illa sine crimine adulterij cum pluribus maritis consuescere, & potuisset autore Socino gens Iudaica Deo eam tanquam mulierem adulteram accusanti & grauiter reprehendenti respondere, se quidem non posse absque crimine adulterij plures maritos habere propriè sic appellatos, sed maritos metaphoricè sic dictos, & quidem metaphora minus plena, quomodo Deus ipsius maritus appellatur, posse plures habere, nec propterea adulteram esse. Id enim teste Socino inter istam metaphoricam mariti & propriam appellationem discrimen intercedere, vt nullo modo concludi possit, adulteram esse quæ metaphorico illo sensu plures viros habeat. Non puto ita inuerecundos esse Aduersarios, quin eos iam huius suæ tertiæ responsionis pudeat, ipsi Deo tam repugnantis.

XVI. Quoniam autem eam Socinus illustrare conatus est vnico exemplo, quo aptius nullum reperire potuit, id quàm sit ineptum paucis ostendendum est. *Exemplum sit*, inquit, *in patris appellatione, quæ quamuis vni tantùm propriè accepta conueniat, respectu vnius: tamen metaphoricè accepta pluribus, vnius tantùm licet respectu, conuenire inuenietur.* Id docet exemplo *veritatis, quæ propriè sic dictum patrem nullum habet*, cuius ait, *vulgo patrem metaphoricè dici tempus; quod quidem intelligendum est, quatenus tantummodo illa apparet atque agnoscitur. Atqui secundum hanc ipsam rationem nemo negauerit, Deum quoque veritatis Patrem dici posse, idque multò pleniore metaphora: cum multò magis veritatis patefaciendæ auctor & causa Deus sit quàm tempus, cui nonnisi per accidens hoc idem tribui potest.* Hoc exemplum duplici de causa ineptum est. Primò quia falsum est, *patris appellationem vni tantùm propriè acceptam conuenire respectu vnius:* possunt enim esse, immò sunt, eiusdem filij plures patres propriè dicti, vnus proximus, plurimi remoti, patris nempe & matris patres, aui, proaui, abaui, ataui &c, Immò plures proximi, vnus naturalis, alter adoptiuus, tertius socer, quartus olim is defunctus cui ex vidua frater hæredem gignebat. Itaque nihil est absurdi si vnus idemque filius plures homines patres suos appellet, immò id fit

persæpè

persæpe decenter. At si mulier aliqua plures viros appellaret maritos suos siue propriè, siue metaphoricè, illa eo ipso sese vel adulteram esse profiteretur vel adulteræ similem, malèque admodum id sonaret castis auribus: quia nimirum nihil tam castitati mulierum repugnat, quàm maritorum, aut eorum qui vices mariti expleant, pluralitas; hæc enim reciprocatur cum adulterio, propriè dicta quidem cum propriè dicto, metaphoricè verò dicta cum dicto metaphoricè. Altera causa cur sit insulsum hoc exemplum est, quod Deus ipse, vt jam obseruaui, sibi istam mariti appellationem eo sensu tribuit, quo maritorum pluralitatem excludit. Alioqui accommodata non fuisset ad spiritualia Ecclesiæ Iudaicæ & Israëliticæ adulteria arguenda & exaggeranda, quem ad vsum ab ipso Deo adhibetur locis laudatis.

XVII. Videtur præterea Socinus nescio quid responsionis addere velle. *Quid plura?* inquit, *Deus ante natum hominem Christum Iesum, seipsum non obscurè maritum facit, tum Israëlis, tum Iudæ apud Ierem. cap. 3. Quanto igitur magis potuerit Deus, citra humanæ Iesu Christi naturæ considerationem, Ecclesiæ maritum se apud Esaiam vocare? Quod si ita est, quomodo quæso ex isto Esaiæ loco, etiamsi disertè ibi ille vnus Deus Israëlis se Ecclesiæ maritum appellasset, concludi posset, Christum Iesum ob eam causam, quod Ecclesiæ est maritus, esse vnum illum Deum Israëlis, cum sine vlla controuersia Christus Iesus citra suæ humanæ naturæ considerationem, non sit, nec esse possit ille Ecclesiæ maritus seu sponsus, quem ipsum esse sacra testimonia docent?* videtur potius his verbis contra argumentari quàm respondere. Vt vt sit, quod affirmat, Deum ante natum hominem Christum Iesum, se ipsum non obscurè maritum facere, tum Israëlis, tum Iudæ apud Ierem. cap. 3. verum est, & confirmat argumentum nostrum. Nam vel idem est Ecclesiæ Christianæ maritus qui fuit olim Ecclesiæ Iudaicæ; vel non. Si idem est, cum certum sit filium esse vnicum maritum Ecclesiæ Christianæ, fatendum est eundem Filium fuisse olim maritum Ecclesiæ Iudaicæ. Hunc autem constat fuisse Deum. Fatendum est igitur Filium antequam homo fieret Deum fuisse. Si non est idem, dignior fuit Ecclesia Iudaica quàm Christiana, quippe dignioris vxor, videlicet Patris: & nunc, aut in resurrectione, cuius est aut erit vxor? durat enim post mortem & resurrectionem, immò maximè viget, spirituale Filij & Ecclesiæ conjugium. Eruntne Ref. IV. Resp.

tunc duæ sponsæ, duo sponsi, & non potius ex omnibus fidelibus qui vnquam fuerunt, vna constabit Ecclesia, vna sponsa, vna cœlestis Ierusalem vni viro Domino nostro æterno fœdere juncta? Tunc dubitabile non erit, quin ipsius etiam Ecclesiæ Iudaicæ maritus sit Christus.

XVIII. Quod inde deducit Socinus, *Quanto igitur magis potuerit Deus, citra humanæ Iesu Christi naturæ considerationem, Ecclesiæ maritum se apud Esaiam vocare?* ex eo nullo modo sequitur. Deus enim appellatus non est maritus Ecclesiæ, nisi ratione fœderis cum ea initi. Nullum autem cum ea fœdus inijt citra considerationem naturæ humanæ Christi vel futuræ vel existentis.

Gal 3. 17. Nam & fœdus cum Abrahamo contractum ratum factum est, teste Apostolo, εἰς χριστὸν, & in promissionibus quæ datæ sunt Adamo & Patriarchis mentio facta est seminis contrituri caput serpentis, & in quo benedicendæ erant omnes gentes, nec est inchoatum spirituale istud matrimonium absque consensu & fide Ecclesiæ

Gal. 3 24. promissiones illas amplectentis, & ipsum fœdus legale pædago-

Rom. 10.4. gus erat ad Christum, in eumque vt in suum finem tendebat. Taceo sine expiatione peccatorum nullam esse posse hominum reconciliationem cum Deo. Nullam autem esse realem & veram peccatorum expiationem præter eam quæ facta est Christi sacrificio. Ac proinde omnem hominum peccatorum cum Deo veram reconciliationem & consociationem fundatam fuisse in sacrificio Christi vel futuro, vel exhibito, quod sine humana Christi natura nec esse, nec intelligi potuit. Adde quod non sit vllo modo verisimile, Patrem contrahere matrimonium cum gente peccatrice absque interuentu Mediatoris. Est autem Mediator vel typicus vel realis: ille Moses, hic Christus. Per mediatorem typicum non potest contrahi matrimonium nisi typicum, cuiusmodi esse non potuit matrimonium Dei Patris cum Ecclesia, ita enim vt matrimonium illud fuisset typus matrimonij Christi & Ecclesiæ Christianæ, sic Deus Pater fuisset typus Christi, & Ecclesia Israëlitica typus Ecclesiæ Christianæ. Per realem autem Mediatorem, qui alius esse non potest quàm Christus, aliud nullum spirituale matrimonium contrahi potuit quàm ipsius Christi cum Ecclesia reale & perpetuum ac prorsus indissolubile, cuius Matrimonij typus ab ipso mundi exordio adumbrari cœpit in Adami & Euæ matrimonio. Deinde additis alijs typis multis & varijs paulatim expolitus est,

& perfectus ita, vt nihil possit in matrimonio Christi & Ecclesiæ obseruari, cuius non extet aliqua in Vetere Testamento adumbratio, fiatque ex omnibus eiusmodi typis inter se collatis tam perfecta repræsentatio, vt nihil vel desit vel superfluat. Ex quo perspicuum est æternum illud matrimonium, & ad illud perficiendum necessariam naturam humanam Christi Deum ab initio mundi quoties fœdus cum Ecclesia contraxit, ob oculos habuisse.



Responsio ad objectiones quasdam Socini.

I. ABSOLVTO superiore additamento incidi in fragmenta duo Socini, quorum altero naturam Christi diuinam oppugnare, altero ad vltimum nostrum argumentum respondere conatus est. In priore legi hoc argumentum. *Si Iesus Christus Dei filius seruator noster, esset ille Iehoua vnicus Israëlitarum & Christianorum Deus, manifestè, vt omnes fatentur, consequeretur, Deum hominem fuisse factum, quod, quum ab humana ratione penitus abhorreat, id quidem disertis verbis, vt ita esse credamus, oporteret, & non in vno tantùm, sed in quàm plurimis sacrarum literarum locis scriptum extare, quod in omnibus, quæ paululum modò ad credendum difficilia sunt, factum fuisse conspicimus. &c. At vero tantùm abest, vt stupenda isthæc Dei metamorphosis à sacris auctoribus identidem nobis apertè prædicata fuerit, vt ne vno quidem loco obscurè saltem significata deprehendatur. Quo fit, vt eius assertores, non claris diuinarum literarum testimonijs, imo ne testimonijs quidem vllis, sed potius meris quibusdam consecutionibus sententiam suam adstruere conentur &c.* Quàm hoc verè ab eo affirmetur, jam, opinor, patet ex septuaginta istis testimonijs; quæ hoc & superiore libro ab Aduersariorum exceptionibus & deprauationibus Dei beneficio vindicauimus. Id etiam vti spero patebit ex ijs, quæ dante Deo laudabuntur à nobis in libro sequente, quibus omnibus cum responsum ab Aduersarijs fuerit solidè (quod nisi vehementissimè fallor, neque vnquam fiet, neque fieri potest) tum licebit eis de suo isto argumento gloriari. In quo si-

bi valdè placere videtur Socinus dilatando & perpoliendo, ac loca quædam Noui Testamenti percurrendo, non quæ à nostris citari solent (qualia sunt inter cæteros Ioh. 1. 14. & Phil 2. 6. 7. vbi disertis verbis mirabilis ista metamorphosis (si tamen eo nomine appellari potest) apertè traditur & celebratur: ex quibus locis argumenta duo duximus, quintum nimirum & sextum libri primi) sed alia quædam, in quibus pro sua sapientia, quæ sæpè à diuina longissimè abit, putat hoc mysterium debuisse ab Euangelistis & Apostolis, siquidem id credidissent, apertè doceri; vt cum Euangelistæ Matthæus & Lucas describunt natiuitatem Domini nostri, cum Petrus ad populum Hierosolymitanum, ad Seniores populi, ad Cornelium conciones habet, cum Paulus in Antiochensi Pisidiana synagoga Iudeos hortatur, Athenis in Areopago concionatur, & Cæsareæ coram Aggrippa rege & Festo præside aduersus Iudæos se defendit. Omisit callidè concionem
Act. 20. 28. Pauli quam Mileti ad Presbyteros seu episcopos Ecclesiæ Ephesinæ habuit, in qua disertis verbis dicit, *Deum Ecclesiam acquisiuisse suo sanguine* διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος.

II. Primùm autem meminisse Socinum oportebat, Euangelistas & Apostolos mysteria & dogmata religionis Christianæ non temerè & quolibet loco, & tempore, & quibuslibet profundere
1. Cor. 3. 1. 2. Heb. 5. 12. Matth 16. 20. Matth. 17. 9. sed prudenter admodum administrare, atque aliter apud Iudæos, aliter apud Græcos, aliter apud nondum conuersos, aliter apud jam conuersos, aliter apud Christianos infirmos & lactentes, aliter apud adultos & perfectos agere, exemplo Ipsius Domini, qui ad tempus mortem suam futuram celauit Apostolos suos, eisque edixit, *ne cui dicerent, ipsum esse Christum*, & suam illam in monte metamorphosin patefieri alijs discipulis suis, antequam resurrexisset, noluit. Dabunt autem nobis, opinor, Aduersarij Euangelistas & Apostolos sapientiores Socino fuisse & melius eo sciuisse, quando, & quibus, & quomodo de Christi Deitate &, vt vulgò loquuntur, incarnatione sibi dicendum esset. Satis nobis est præstantissima ista dogmata passim in Euangelijs & reliquis Noui Testamenti libris micare, eumque fulgorem emittere, quem qui non agnoscit, spontè cæcutire mihi videtur. Nos certè illa, etiam in conceptionis Christi descriptione, & concionibus quibusdam Petri & Pauli, sed præcipuè in eorum Epistolis cernere nobis videmur.

III. Hoc vno argumento tot telis partim jam à nobis confosso, partim libro sequente confodiendo, contentus Socinus ad alia transit, & conatur probare, *istam Dei ἐνσάρκωσιν nullâ ratione fieri potuisse*: agnoscit autem id demum à Deo fieri non posse, quod contradictionem implicat. Quomodo igitur demonstrat vnionem personalem naturæ humanæ cum diuina persona contradictionem implicare? *Primùm*, inquit, *si illud verum est, quod Theologi omnes passim affirmant, Deum videlicet esse immensum & substantia infinitum, certè, cum homo materialis & suis dimensionibus constet, & substantia finitus sit, rei autem finita ad infinitam, vt dicitur, nulla sit proportio, nemo non videt Deum cum materiali homine nullo pacto ita coniungi potuisse, vt ex vtroque vnum, vt vocant, suppositum factum fuerit.* Verius dixisset nemo videt, quàm *nemo non videt.* Qui enim hoc videre se putant præ illis qui non vident pauci sunt, nec profectò vident quod videre se opinantur. quis enim quod non est id possit videre? Negamus personam infinitam vnire sibi personaliter non potuisse naturam humanam finitam. Proba si potes contrarium. Hoc enim ipsum est quod nunc inter nos quæritur, vtrum potuerit persona infinita naturam finitam, videlicet humanam sibi hypostaticè vnire? Non potuisse contendis, & demonstraturum te polliceris. Quo igitur argumento vteris?

IV. Hoc fortasse. Oportet inter res vniendas esse proportionem. Atqui inter rem infinitá & rem finitam nulla est proportio. Nullo igitur modo vniri possunt res finita & infinita. Nonne vides hoc eodem argumento probari posse, primò rem finitam non posse ab infinita produci: oportet enim proportionem esse inter causam & effectum. Atqui inter causam infinitam & effectum finitũ nulla est proportio. Nullo igitur modo effectum finitum fieri potest à causa infinita. Secundò, Deum non posse à nobis cognosci: proportionem enim aliquam inter objectum & facultatem intercedere necesse est, quæ tamen inter objectum infinitum & facultatem finitam nulla est. Tertiò, nullam esse communionem fidelium cum Deo, quid dico fidelium? immò ipsius Christi: qui potest enim communio & amicitia inter eos locum habere, inter quos nulla est proportio? Quid ad hæc potest responderi, nisi hoc vnum, non esse quidem inter rem infinitam & rem finitam proportionem magnitudinis, sed hanc minimè vel ad vnionem,

vel ad creationem, vel ad cognitionem, vel ad communionem esse necessariam. Id quod vel ex eo intelligi potest, quod cum Deus sit summum bonum creaturæ rationalis, nihil magis expeti debet à creatura rationali, quàm vt vniatur cum Deo. Quod si Dei infinitas & hominis finitas, non impediunt, quominus aliqua intercedere possit inter Deum & hominem vnio, quo argumento demonstrare poterit Aduersarius, eas impedire, quominus natura humana diuinæ personæ hypostaticè vniri possit?

V. Hoc fortasse demonstrat verbis sequentibus, *oportet enim,* inquit, *vel materialem hominem immensum & substantia infinitum euasisse; vel Deum dimensionibus obnoxium & substantiâ finitum factum fuisse, quæ nemo non videt, quàm non absurda modo, verum etiam impossibilia sint.* Si intelligit hominem euadere infinitum mutata natura sua finita in infinitam, & Deum similiter euadere finitum, mutata natura sua infinita in naturam finitam, reuera id absurdum est & impossibile, sed tantum abest vt ad vnionem hypostaticam humanæ naturæ cum persona diuina sit necessarium, vt contrà cum ea consistere nullo modo possit: Id enim esset naturam humanam destruere & conuertere in diuinam non verò vnire diuinæ: Et similiter naturam diuinam destruere & conuertere in humanam non verò vnire humanæ. Hoc potest hominis exemplo illustrari, qui duabus naturis præditus est, vna immateriali, spirituali, inuisibili, immortali; altera materiali, corporea, visibili, mortali. Vniuntur duæ illæ naturæ personaliter in eodem homine, sed ita vt neque immaterialis mutetur in materialem, nec materialis in immaterialem. Retinet suas quæque natura proprietates: alioqui vnio non esset spiritus & corporis, sed alterius in alterum conuersio.

VI. Addit Socinus, ***Substantiam autem infinitam, & substantiam finitam in vnum coaluisse, aut coalescere potuisse, quis sanæ mentis vnquam dixerit, vtraque naturam & proprietatem suam retinente, quæ inuicem penitus dissident, neque vlla ratione conuenire possunt,*** Si in vnum coalescere nihil illi significat, nisi vniri, omnes aut propè omnes Christiani hoc dixerunt multis seculis constantissimè: nec tamen, opinor, nulli aut fere nulli Christiani sanæ mentis fuere. Proprietates quidem naturæ infinitæ & proprietates naturæ finitæ valdè diuersæ sunt, sed tamen inter se non pugnant: alioquin aut nullam naturam finitam infinita creasset, aut

creatam jam pridem destruxisset. Cum igitur infinita finitam producat, conseruet, augeat, ornet, amet, & vice versa finita infinitam amet, colat, & placere ei vnicè studeat, quomodo dici possunt inter se diffidere? Aut quamobrem non possunt vlla ratione conuenire? Nam assertiones quidem video Socini nostræ sententiæ oppositas, & principij, vt loquuntur, petitiones, sed demonstrationes, quas pollicitus erat, nullas prorsus video.

VII. Cæterum non existimamus personam infinitam, & naturam finitam ita vnitas fuisse vt coaluerint in vnum quoddam tertium, quomodo anima rationalis & corpus coalescunt in vnum tertium nempe hominem, qui neque est anima neque corpus, sed compositum quiddam ex vtroque. Sed sine mutatione personæ infinitæ finita natura ei veluti innata atque vnita est. Id potest illustrari exemplo personæ humanæ, cui jam existenti & completæ dens innascitur, qui profectò suppositum non est per se, sed vnitur personæ illi hypostaticè, nec tamen persona illa propterea aut desinit persona esse, aut mutatur in aliam personam, aut coalescit cum illo dente in vnum quoddam tertium, quod neq; sit illa persona, neque dens ille. Dices, persona illa non appellabitur dens aut contrà dens persona illa, cum tamen ob vnionem hypostaticam Iesum Deum appelletis hominem, & hominem Deum. In promptu est responsio. Dens non est nomen concretum sed abstractum potius: rem enim significat, non habentem illam rem. Abstracta autem nomina quâ talia de suppositis non prædicantur in casu recto. Itaque homo non dicitur dens, sed dento vel dentatus, id est, habens dentem aut dentes. Deus verò & homo nomina sunt concreta: Deus significat eum qui habet deitatem seu qui præditus est diuina natura, & homo similiter significat eum qui habet humanitatem seu qui præditus est natura humana. Itaque mirum videri non debet si persona diuina, cui personaliter humana vnita est natura, homo appellari possit & vice versa homo ille Deus.

VIII. Objiciet fortè aliquis non posse eandem personam eodem tempore infinitam & finitam dici. Fateor secundum idem, nego secundum diuersas naturas. Quid enim prohibet eam dici infinitam secundum naturam diuinam & finitam secundum naturam humanam si vtrâque naturâ prædita est? Succurrat nobis exemplum illius viri qui apparuit Abrahamo Gen. 18. & Iehoua.

septies appellatur. Num Abrahamus, si præjudicijs istis Socinianis altissimè, vt solent Aduersarij nostri, imbutus fuisset, eum vt Deum supplex orasset? Dixisset potius, tu homo es materialis & finitus, Deus autem seu Iehoua est infinitus. Tu igitur non es Deus. Impossibile est enim substantiam infinitam & substantiam finitam in vnum coalescere. Videntur certè Iudæi, degeneres
Ioh. 5. 18. Abrahami filij, id ipsum quod Socinus sensisse: aiebant enim Iesum blasphemare, quod Patrem suum dicendo Deum æqualem se
Ioh. 10. 33. faceret Deo; quodque homo cum esset, faceret seipsum Deum. Putabant enim impossibile esse, vt idem simul esset Deus & homo.

IX. Age verò hoc argumentum Socini in Aduersarios nostros retorqueamus, & quidem ea ratione vt nulla arte ictus declinari possit. Si illud verum est quod Theologi omnes passim affirmant, Deum videlicet esse immensum & substantiâ infinitum, certè, cum homo materialis, & suis dimensionibus constet, & substantiâ finitus sit, rei autem finitæ ad infinitam, vt dicitur, nulla sit proportio, nemo non videt Deo infinito hominem finitum nullo modo æqualem esse posse. Quomodo igitur volunt Aduersarij hominem Iesum, tantùm hominem, Deo immenso secundum naturam humanam materialem & finitam, (aliam enim nullam eum habere patiuntur) æqualem esse? Distinguere enim non possunt proportionem magnitudinis quæ inter rem infinitam & rem finitam nulla esse potest, à proportione necessaria ad vnionem. Cum enim æqualitas ratione magnitudinis dicatur, sublata omni proportione secundum magnitudinem omnis æqualitas tollitur, remanente ea proportione, si tamen proportio appellari debet, quæ ad vnionem requiritur, nihil autem requiritur, cum Deus sit omnipotens, nisi non-repugnantia, seu non-implicatio contradictionis. Quanquam etiam inter personam diuinam & naturam humanam ea potest obseruari proportio, quæ est inter causam & effectum, actum & potentiam: est enim natura humana respectu diuinæ personæ nihil nisi potentia. Quantum enim natura humana pati potest, tantum pati potest à persona diuina: & quantum habet entitatis tantùm accepit à persona diuina. Quid est igitur cur personæ diuinæ, hoc est, principio, & causæ suæ vniri non possit? Dicant verò nobis Aduersarij, qui ratione sua etiam ipsum Deum metiri volunt, quomodo natura humana ma-

terialis & finita naturæ diuinæ immensæ & infinitæ æqualis esse possit, cum finiti ad infinitum ne proportio quidem vlla sit? potestne æqualitas inter illas res esse, inter quas ne proportio quidem est?

X. Quo modo sese ex hoc argumento expedient Aduersarij? Objicientne, ex Christi cum Deo æqualitate sequi euersionem sententiæ nostræ: *Æquale enim semper aliam habere essentiam ab eo, cui æquale est. Alias idem sibi ipsi æquale esset: cum tamen æqualia relata, ac porrò opposita sint.* Hoc enim nos Crellius argumento oppugnat. Non reponam tritum illud, contrà argumentari non esse respondere. Dicam tantùm, nunc quidem, nihil prohibere, quominus idem sibi ipsi æquale esse dicatur. *Nihil malo,* dicebat Cæsar in quadam Epistola ad Ciceronem, *quàm & me mei similem esse, & illos sui.* Et Socrates apud Platonem in Parmenide, Marsilio Ficino interprete, *Si illi dissimilitudo ad alia competit, nonne ad seipsum similitudo conueniet?* Et paulò pòst, *Ob hanc causam oportet vni similitudinem ad seipsum adesse. Oportet.* Si potest idem sui simile dici, cur non & æquale? *Ipsi,* dicebat Apostolus, *seipsos seipsis metiuntur, & semetipsos sibimetipsis comparant.* Si potest idem sese seipso metiri, sese sibimetipsi comparare, quid est cur non possit dici sibi ipsi æqualis? Nonne similia æquè sunt relata & opposita ac æqualia? Nonne qui metitur, & quem metitur, & quo metitur itidem sunt relata & opposita? Sed quando jam philosophamur, audi rursus Socratem, *quibus consideratis dicemus, vt arbitror, nihil vnquam maius minusue fieri vel mole, vel numero, quandiu sibi ipsi æquale permanet, nonne ita? Thea. Ita prorsus.* Potest igitur teste Platone aliquid sibi ipsi æquale dici: nec mirum, *est enim* vt verbis vtar Iulij Scaligeri *æqualitas in mathematicis, quasi quædam vnitas magnitudinum. At vnitas ab vnitate non differt. Est enim quantitatum æqualitas idem quod identitas substantiarum.* Quid igitur prohibet idem sibi ipsi dici æquale? Certè audientem affirmari, non esse idem sibi ipsi æquale, subit statim cogitatio, num igitur sibi ipsi est inæquale? num se ipso majus, aut minus est? Nam si idem se ipso neque majus, neque minus est, videtur sibi ipsi esse æquale. At æqualia sunt relata ac porrò opposita. Argutiola nihili! quasi verò non possit idem ad seipsum aliquo modo referri! nonne patiens & agens, mouens & mobile, sciens & scibile, amans & amatum sunt

Cic lib. 9. Ep. ad Attic. 19.

2. Cor. 10. 12.

Plat. in Theæ. tet.

De subtilitate Exerc. 320.

relata? Attamen nihil prohibet, eundem hominem eodem tempore,& quidem sui ipsius respectu,esse patientem & agentem,motorem & mobilem, scientem & scibilem, amantem & amatum. Potest enim idem agere in seipsum, & seipsũ mouere, & cognoscere, & amare. Ipse Dominus noster Iesus Christus nonne idem fuit Sacerdos & victima, is qui obtulit, & is qui oblatus est? Miror Aduersarios in rebus tanti momenti solidius non disputare.

XI. Quid ergo tandẽ respondebunt? Non negabunt Christum, etiam antequã glorificaretur,æqualem Deo fuisse. contradicerent
Phil. 2. enim & sibi ipsis id antehac sæpe confessis,& Paulo testanti Christũ
Ioh.16. non duxisse rapinam esse æqualem Deo,& ipsi Christo affirmanti,
15. *omnia quæcunq; Pater habet sua esse*,& sic Patrem alloquenti, *omnia*
Ioh.17. *mea tua sunt, & tua mea*:qua æqualitate inter personas eiusdẽ spe-
10. ciei major nulla concipi solet,aut potest. Multò verò minus negabunt Filium post glorificationẽ suam Patri esse æqualem. Sepositâ enim originis consideratione,à qua Patris & Filij distinctio pẽdet, quæ potest nunc inter Patrem & Filium inæqualitas obseruari? vterque vitam habet in seipso, vterque scrutatur corda & renes, vterque viuificat mortuos quoscunque vult, vterque habet omnem potestatem in cœlo & in terra, vtrumque adorare tenentur omnes creaturæ, etiam angelicæ, vterque regnat cum summa autoritate. Si Pater est infinitus & Filius tantùm finitus, & finiti ad infinitum proportio nulla est, quomodo tanta est inter Patrem & Filium proportio immò æqualitas? Num mutata est natura Filij finita in infinitam? Non igitur amplius natura humana est sed merè diuina, nec est Filius amplius homo sed Deus tantùm: quænam enim natura seu essentia infinita est aut esse potest præter diuinam? Hoc igitur non dicent Aduersarij, quod & cum suo dogmate pugnaret, & naturam humanam Christi destrueret, & naturæ infinitæ creationem & multiplicationem induceret, quod cum recta ratione pugnat, vt quod maximè. Quid ergo dicturi sunt? Si quid conjicio, Insuper habito Socini argumento eó deuenient, vt negent Deum esse immensum & infinitum. id quod meâ sententiâ est Deum negare esse Deum. Si aliter, Lector, sentis,lege si placet duas nostras disputationes de Deo immenso,& vide an argumentis quibus Deum esse infinitum probamus, aut etiam demonstramus, respondere solidè possis.

XII. Pergit argumentari Socinus, *Deinde*, inquit, *eum esse*

Deum, eamque ipsius substantiam, omnes & Philosophi & Theologi pro comperto habent, cui nihil vnquam accidere possit, alioqui nec primus solus, & sempiternus motor, nec omnis prorsus alterationis (illorum voce vtimur) & corruptionis expers suapte natura foret, denique summus omnium rerum princeps Deus non esset. At verò mortalem hominem ita vel induisse, vel assumpsisse, vt vnà cum eo in tertium aliquid euaserit, non solùm esset aliquid ei, eiusque substantiæ accidisse, sed maximi momenti rem accidisse. nam & de eius substantia id nunc verè prædicari posset, quod antea nullo modo poterat, videlicet illi hominis substantiam inhærere, & ei homo, hoc est, res quæ sui natura à Deo quàm longissimè abest, indiuiduè coniunctus fuisset. Primùm laborat hoc argumentum ignoratione Elenchi. Quid enim eo concludi potest? nihil profectò nisi hoc vnum, *Deum mortalem hominem ita vel induisse, vel assumpsisse, vt vnà cum eo in tertium aliquid euaserit, falsum esse.* Quæ conclusio saluâ sententiâ nostrâ à nobis concedi potest. Nolumus enim Deum induisse vel assumpsisse hominem, sed humanam naturam. Nolumus Deum cum humana natura, quam sibi vniuit, in tertium aliquid euasisse: eiusmodi enim tertium propriè neque Deus neque homo esset. id quod à sententia nostra vehementissimè abhorret. *At de eius substantia id nunc verè prædicari posset, quod antea nullo modo poterat.* Quid tum? quis nescit multa de Deo nunc verè prædicari, quæ ante conditum mundum prædicari non poterant, actiones nimirum multas, &, quæ in actionibus fundantur, relationes?

XII. Quid porrò de illius substantia, hoc est, persona nunc verè prædicari posset, quod antea non poterat? *videlicet,* inquit, *illi hominis substantiam inhærere.* Si inhærere intelligit, quo sensu accidens inhærere subjecto suo dicitur, negamus personæ diuinæ humanam inhærere substantiam: nam neque hæc accidens, neque illa subjectum inhæsionis esse potest. Si verò inhærere nihil illi significat hoc loco, nisi personæ diuinæ ita vnitam esse humanam substantiam seu naturam, vt hæc ab illa sustentetur, & vi illius subsistat, id confitemur, & negamus esse absurdum. Addit Socinus, *& ei homo,* (rectius dixisset humana natura) *hoc est, res, quæ sui naturâ à Deo quàm longissimè abest, indiuiduè coniunctus fuisset.* Hoc rursus nego absurdum esse. Quid enim absurdi est, si dicatur natura humana Deo, hoc est, Dei Filio in-

diuiduè conjuncta? Est-ne in eo aliquid quod Dei sapientiæ, potentiæ, iustitiæ, bonitati repugnet, aut quod non sit ipsi illi naturæ humanæ, immò toti generi humano honorificentissimum? At illa à Deo quàm longissimè abest. Locone? Contrarium docet Apostolus Act. 17. 27. 28. & Dauid Ps. 139. voluntate? Illa cum Deo, ipsis Aduersarijs testibus, vnum est voluntate. Similitudine? Nulla creatura Deo similior est, aut esse potest. quomodo igitur longissimè abest à Deo, cum, ipsis Aduersarijs fatentibus, Deo sit conjunctissima, tantùm negant illi conjunctam esse personaliter? Si longissimè abesse nihil significat Socino, nisi diuersitatem qua natura finita à persona infinita distinguitur, recurrit perpetuò quæstio, cur finita natura humana vniri non potuerit infinitæ personæ, hoc est, principio & fonti, vnde ipsa manauit, & fini cui vehementissimo amore, qui est affectus seu appetitus vnionis, agglutinatur?

XIII. Fortasse illud nobis aliquis reponet, Deo nihil vnquam accidere posse: Accidisse autem aliquid, si ei humana vnita fuit natura. Respondeo, reuera nullum accidens propriè dictum naturæ diuinæ inhærere, aut ei de nouo accidere posse: Deumque omnis prorsus alterationis, & corruptionis, expertem esse: Nihil etiam eius respectu accidere posse non ab ipso præuisum & prædecretum, multumque absumus ab opinione Aduersariorum Deum existimantium vno tempore aliquid determinatè nescire, alio scire, eiusque scientiam augeri quotidie, & quædam interdum ab eo non præscita euenire, quibus cognitis mutet quædam sua decreta. Sed si nihil vnquam accidere posse Deo, vsurpatur pro nullam naturam finitam ei vnquam vniri potuisse, hæc objectio putida quædam petitio est, vt loquuntur, principij. Nam, & natura humana accidens aut qualitas non est, & non video cur illa Deo vniri non potuerit absque vlla naturæ diuinæ mutatione, alteratione, aut corruptione: sese enim Deus ad illam vnionem producendam actiuè tantùm habuit. Si magnes potest ferrum ad se trahere & sibi conjungere, non se, sed ferrum mouendo, quid est, cur Deus infinita sapientia & potentia præditus non potuerit naturam quandam humanam sibi iungere, non se, sed naturam illam producendo & afficiendo, atque adeo ei ab ipso ortu propensionem quandam naturalem ad se multò majorem & fortiorem, quàm ea sit quâ grauia feruntur in centrum, eique

quàm possunt arctissimè adhærent, inserendo, sic vt natura illa omnem suam existētiam, vitam, motus, & actiones, à diuina illa persona eam intimè, tanquam organum sibi natum, omni ex parte penetrante, conseruante, mouente, regente, viuificante à principio existentiæ suæ in omnem æternitatem accipiat. factum est enim ea ratione, vt natura illa sit perpetuum symbolum præsentiæ personæ illius diuinæ, & organum naturaliter, immò essentialiter (loquor de propria naturæ illius, quatenus est talis, essentia) illi conjunctum & accommodatum, multò perfectiùs, quàm membra corporis nostri sunt organa naturaliter animæ adjūcta & aptata. Itaq; quicquid natura illa humana vel agit, vel patitur, id persona illa diuina meritò agere & pati dicitur. Quid est quæso in hac nostra sententia, quod videri debeat impossibile, aut sese ipsum contradictione implicare, aut cum Dei immutabilitate pugnare?

XIV. Subjungit Socinus aliud argumentum. *Adde quod*, inquit, *isthac conjunctio, vel inanis penitus & superuacanea fuit, id quod mox planum faciemus, vel illud effecit, quod etiam cogitare horremus, Deum scilicet verè & reipsa, non autem imaginariè, vt ita dicam, & per idiomatum communicationem passum fuisse, & humanas miserias mortemque ipsam expertum esse.* Prius illud, istam conjunctionem esse penitus superuacaneam falsissimum est. Posterius verò, Deum scilicet verè & reipsa & non imaginariè passum fuisse, videlicet secundum naturam humanam sibi conjunctam, nos quidem certè firmiter credimus & cum summa diuinæ sapientiæ & misericordiæ admiratione confitemur. Cur enim ab ea locutione abhorreremus cum Socino, à qua Apostolus non abhorruit? *Deus*, inquit, *Ecclesiam sibi suo sanguine acquisiuit, διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος per proprium sanguinem.* Ne ipse Deus quidem ab ea abhorruit Zach. 12. 10. *aspicient*, inquit, *ad me quem transfixerunt.* ex quo loco ductum est Argumentum huius libri septimum. Verba etiam illa Apostoli 1. Cor. 2. 8. *nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*, idem mihi sonare videntur ac si dixisset, nunquam Deum crucifixissent. Act. 20. 28.

XV. Quod verò sequitur apud Socinum legens cohorrui. *Quod si*, inquit, *Christianorum Deus is est, cui hæc accidere possint, minimè mirandum videtur, si & Turcæ à Deo defecerunt, & Iudæi adhuc ei obfirmatis animis reluctantur atque obedire recusant. Nos autem, qui ipsius Christi verbis indubitatam fidem adhibemus, illi-*

quæ nomen dedimus, omnium miserrimi sumus, quorum salus & vita, inter tot mala, totque mortis genera, quæ subire coacti sumus, non aliunde, quàm ab eiusmodi Deo pendeat, qui verè non secus ac nos & affligi & mori potuerit. Quid audio? Non credidit igitur Socinus Christum esse verè & propriè loquendo Deum? Non credidit à Christo salutem suam pendere? Ego verò beatos nos esse prædico, quorum salus & vita, inter tot mala, non aliunde quàm ab eiusmodi Deo, nempe Christo, pendet, qui verè, τὸ κατὰ σάρκα, non secus ac nos & afflictari & mori potuerit, atque adeo mortuus fuit pro nobis. tantùm enim abest vt propterea minus ad nos seruandos Deus ille noster sit potens, vt salus nostra tota sit in eius morte fundata. tantùm abest vt mors eius nobis videatur justum argumentum scandali Iudæis aut Turcis præbere, vt contrà nobis videatur veritatis Euangelij argumentum esse certissimum.

XVI. His paucis argumentis, (si tamen argumenta dici merentur, quæ nihil nisi principij petitiones fuerunt) contentus Socinus, quasi re fœliciter confecta, triumphum agit. *Satis*, inquit, *demonstratum esse videtur, (multa enim, quæ ad idem comprobandum afferri possent, ne nimium philosophari videamur, consultò omittimus) quam Dei cum homine, siue substantia diuina cum humana coniunctionem in Iesu Christo factam fuisse asserunt, inter ea recenseri debere, quæ fieri omnino non possunt.* Si validiora omisit, desidero in eo judicium. Si minus valida, cum tam debilia fuerint quæ attulit, quid de omissis illis judicandum sit nemo non videt.

XVII. Interim tamen ita triumphat, vt præ suis istis, tam nullis, demõstrationibus verbi Dei testimonia nullo loco habeat. Sic enim ille ratiocinatur. *Quemadmodũ enim nec pœnitere Deum, nec contristare sese, nec irasci, nec descendere, nec accedere, nec recedere verè & propriè dicere audemus, licet horum omnium & satis frequentia, & apertissima extent sacra testimonia, nempe quod nihil eorum in Deum cadere posse persuasi rationibus & argumentis sumus, sed diuina verba, in quibus hæc vel ijs similia clarissimè exprimi videntur, ita interpretamur, vt commodior sensus, quàm quem ipsa præ se ferunt, inde eliciatur, eáque propterea ab vsitata, & magis propria significatione deflectere non veremur, sic etiam si aliqua in diuinis monumentis loca reperiantur, vbi disertè scriptum extaret, Deum*

hominem factum fuisse, aut humanam carnem induisse, vel assumpsisse, quod tamen, vt diximus, nunquam in eis traditum reperies, non statim ita, vt sonant, verba accipienda essent, cum id diuina maiestati prorsus repugnet, sed ea ratione exponi deberent, vt per figuras a loquendi vsu non penitus abhorrentes, & aptior sententia nobis constaret, & ipsa natura funditus non euerteretur.

XVIII. Hoc argumentum æquè ac superiora leue est. Non enim eadem est ratio locorum quæ Deum pœnitere, irasci, descendere &c dicunt, & eorum quibus probamus eundem Christum esse Deum & hominem. Primùm enim, sunt argumenta necessaria, quibus probari potest, Deum propriè loquendo neque perturbationibus iræ, tristitiæ, pœnitentiæ &c esse obnoxium, neque loco moueri. Ego verò contendo nulla esse argumenta quæ probent, Deum non potuisse hominibus apparere in vera forma seu natura humana, quam in eum finem produxerit, & sibi accommodarit. vertant se in omnes partes Aduersarii, id nunquam demonstrabunt esse impossibile. Deinde alijs locis Scriptura testatur disertis verbis, Deum non pœnitere, Deum non mutari vllo modo, Deum esse immensum & replere cœlum & terram. Itaque cum verbum Dei secum non pugnet, necesse est figuratè ea loca accipere, quæ eum pœnituisse, descendisse, ascendisse &c dicunt. At nulla prorsus extant loca Scripturæ, quæ vel disertis verbis, vel per consequentias doceant, Deum non potuisse sumpta vera hominis forma hominibus ad eos docendos & seruandos apparere. Sunt contrà quæ id doceant valdè multa, & Deus ei rei ne putaretur aut impossibilis, aut minus majestatem suam decere, multis apparitionibus olim, vt ita dicam, prælusit. Præterea, quæ locis illis accommodari solet expositio eiusmodi est, quæ neque locorum illorum circunstantijs, neque alijs locis Scripturæ, neque rationi, neque fidei analogiæ vllo modo repugnet: cum expositiones locorum pro diuinitate Domini nostri & eius incarnatione laudatorum, quas Aduersarij commenti sunt, pugnent sæpenumero & cum illorum ipsorum locorum circunstantijs, & cum alijs locis Scripturæ, & cum recta ratione, & cum analogia fidei. Ego jam aliquoties affirmaui, & iterum affirmo, sententiam Aduersariorum de Domino nostro Iesu Christo, si quis eam penitus introspiciat, non posse vllo modo cum recta ratione conciliari: cuius rei specimen quoddam in hac ipsa responsione ostendi.

XIX. His etiam illud accedit, quod cur verba pœnitendi, irascendi, descendendi, ascendendi, &c vsurpentur de Deo, causa est in promptu, sunt enim hæ locutiones sumptæ de medio vsu vitæ humanæ. Deus alloquens homines simplices & rudes demittit sese ad eorum captum, & quasi homo esset humanos affectus & motus sibi accommodat, vt tantò magis eos afficiat, & illi effecta Dei illis planè similia, quæ ab huiusmodi humanis perturbationibus & motibus proficisci solent, facilius percipiant animo. sic soliti sunt qui puerulos alloquuntur sese ad eorum captum accommodare. Alioqui si Deus homines verbis diuinis, modo diuino, phrasibus ad suam naturam, non autem ad infirmitatem humanam accommodatis alloquutus fuisset, quis eum intellexisset? Profectò vix possibile est aliter homines de Deo loqui, quàm vsurpando de eo verba humana, quæ Deo tributa ἀνθρωποπαθῶς, quantum pati potest humana infirmitas, intelligi debent θεοπρεπῶς. Id quod & Christiani omnes, & ipsi etiam Iudæi confitentur. Horum verò locorum, quæ pro diuinitate aut incarnatione Christi citamus, longè alia est ratio. Non possunt exponi per ἀνθρωποπάθειαν. Non exigebat humana infirmitas, vt sic loca illa conciperentur. Non sunt ab hominibus mutuatæ illæ locutiones quas vrgemus; quinetiam ab eorum vsu abhorrent nonnunquam. Nec intelligi potest quem vsum habeant, aut cur sint vsurpatæ, si vera non est nostra de diuina Christi natura sententia. Denique omnium illorum locorum, in quibus Deo pœnitentia, tristitia, ira, descensus, ascensus, &c tribuitur, eadem est expositio omnibus illis egregiè congruens. Locorum verò, quæ nos citamus, expositiones excogitarunt pro ingenio suo Aduersarij admodum varias, & nonnunquam inter se pugnantes, easque sæpe coactas, & vim verbis diuinis apertè inferentes. id quod est Scripturas, vt loquitur Apostolus Petrus, ad suam perniciem στρεβλοῦν. Cauerat Deus eiusmodi locorum & multitudine & varietate, ne possent facilè aliò detorqueri: Sed homines ingeniosi omne suum studium, omnem operam in illis inflectendis & contorquendis consumpserunt, nec tamen res illis successit ex voto.

XX. Cæterum, vt loca jam laudata & vindicata taceam, conjunctas esse in Christo naturam diuinam & naturam humanam, Nouum Testamentum passim docet apertè. Vocatur enim Christus homo, & vocatur etiam Deus: appellatur sæpe filius hominis,

hominis, appellatur etiam, & quidem sæpius, filius Dei; tribuitur illi forma hominis & tribuitur forma Dei; tribuuntur illi proprietates humanæ, & proprietates etiam diuinæ; actiones humanæ & actiones etiam diuinæ; infirmitates humanæ, & virtutes diuinæ; opera humana & opera planè diuina; perpessiones humanæ, & gloria ac majestas prorsus diuina; mors humana & vita diuina viuificans mortuos; denique ignominia humana, & cultus verè diuinus; vt quibus argumentis eum esse hominem mihi persuasum est, iisdem mihi persuadeatur, eum etiam esse Deum. Hæc nostra persuasio seu fides frustrà ridetur à Socino, & stultitia non sine blasphemia appellatur. Certè si stultitia est, ei stultitia est qui non capit ea quæ sunt Spiritus Dei. Si stultitia est, Dei stultitia est, quæ sapientior est quàm homines. Nos autem de tali stultitia gloriamur in Domino. Sed pergamus. 1. Cor. 2. 14. 1. Cor. 1. 25.

XXI. Conatur deinceps Socinus hanc admirabilem Dei incarnationem *omnino supernacaneam fuisse ostendere.* Quo argumento? *Certè*, inquit, *si velimus istam substantiæ diuinæ cum humana coniunctionem frustra omnino factam non fuisse, fateri oportet, per eam aliquid effectum fuisse in alterutra, siue vtraque earum substantiarum: sed quia in humana nihil hac ratione effectum est, vt statim demonstrabitur, sequitur, vt in diuina hoc contigisse dicamus.* Primò negamus consequentiam. finis enim huius conjunctionis fuit non ipsa diuina aut humana natura, vt aliquid in vtraque vel alterutra produceretur, sed, vt Christus omnes Mediatoris functiones ad salutem & redemptionem nostram necessarias, vel vtiles obire posset. Sic hominis functiones, quarum aliæ per animã, aliæ per corpus fieri debent, finis sunt conjunctionis animæ & corporis. Deinde potest etiam negari minor. Nihil quidem prorsus in ipsa diuina natura conjunctione illa productum est. tantùm eâ factum est, vt persona diuina quæ antea sola natura diuina prædita erat, prædita fuerit etiam natura humana, sibi ad opus redemptionis nostræ peragendum necessariâ. Sed pergat Socinus.

XXII. *Illud verò*, inquit, *aliud esse non potest, quàm humana substantiæ siue naturæ qualitates eam suscepisse, adeò vt saltem aliqua ex parte vel alterari, vel corrumpi potuerit, quod quidem, vti supra diximus horribile planè est.* Negamus naturam diuinam humanæ qualitates suscepisse, aut potuisse alterari, vel corrumpi.

id nullo modo ex vnione naturæ humanæ cum persona diuina consequitur, sed hoc tantùm, de persona illa diuina prædicari naturam humanam, vt loquuntur, in concreto, &, secundum illam naturam humanam, omnes illius qualitates actiones & passiones. id quod negamus vllo modo absurdum esse. Itaque non potuit diuina illa persona alterari vllo modo aut corrumpi secundum naturam suam diuinam, potuit tamen alterari & mori secundum naturam suam humanam. suas vtrique naturæ sine vlla confusione conseruamus proprietates. Redeamus ad Socinum.

XXIII. *In humana*, inquit, *substantia siue natura, nihil per coniunctionem istam cum diuina effectum fuisse ex eo manifestè apparet, quod in homine illo Iesu Christo, nihil, excellentissimum licet & diuinissimum, & humanam naturam longè transgrediens, reperiri potest, quod ab ipsius patre, cuius personam minime ea ratione cum homine coniunctam fuisse, omnes fatentur, illi datum non legamus.* Quid sibi vult istis verbis Socinus? Num sic colligit, Nihil habet Iesus Christus, quod non ei sit à Patre datum. Ergo nihil in natura eius humana per ipsius cum diuina coniunctionem effectum est? Hoccine est eius argumentum? prorsus, si quid video. Nego igitur consequentiam. Quis enim ferat sic ratiocinantē, Ego nihil vnquam boni habui, quod mihi datum à Deo non fuerit. Ergo nihil in corpore meo effectum est per eius cum anima mea conjunctionem. Ridiculus mihi ipse videar si sic colligam. Notum illud est tritum in scholis, *subordinata non pugnant*. Non loquitur Scriptura de Christo Deo & Christo homine tanquam de duabus personis, quarum ista ab illa præstantiam suam acceperit; sed tanquam de vnica persona, quæ, quia Filius est Dei, Patri, vt Filium decebat, (præsertim eum, qui sumpta forma serui sese vltrò exinaniuisset, vt Patris legatum in terris ageret, & gloriam eius quæreret) omnia sua refert accepta. id quod non impediuit, quominus vim naturæ suæ diuinæ in natura sua humana quatenus
Ioh. 5. opus fuit, exereret. Adde quod *quicquid facit Pater, id facit Fi-*
19. *lius similiter*: & *quicquid est Patris, est etiam Filij*. itaque cum Filius accepit de eo quod est Patris, accepit de suo, vt ipse satis apertè docet Ioh. 16. 15.

XXIV. At inquit Socinus, *Nemo in se ipso aliquid efficere, vel sibi ipsi quicquam dare potest.* Itane? Non potest aliquis in anima sua & actiones immanentes & habitus efficere? Non potest

ſibi ipſi, ſi velit, mœrorem, laborem, dolorem, immò mortem dare, & corpori ſuo manus violentas inferre? Non poteſt, ſi peritus ſit medicinæ, ſemetipſum ſanare? Nihil accipit corpus ab anima, aut etiam anima à corpore? quid enim attinet cum Seneca diſputare, an poſſit aliquis ſibi ipſi beneficium dare, & gratiam referre? appella quocunque nomine volueris, ſatis mihi eſt multa ab anima in corpore, & à quolibet homine in ſemetipſo effici poſſe. Lib. 4. De Benef. Cap 7.

XXV. Vtitur Socinus alia quadam ratione. *Accedit eò,* inquit, *quòd fruſtrà id fieri, & ſuperuacaneum eſſe rectè id dicitur, ex quo nihil efficitur, quod commodiore & magis compendiaria quadam via effici non potuerit.* Hoc verum eſt. Pergat. *Quare licet hominem illum Ieſum Chriſtum, ſeu mauis eius humanam naturam atque ſubſtantiam, à diuina ſibi incredibili illo modo copulata, omnia præſtantiora quæ habet accipere potuiſſe, conſtaret, cum tamen ex ſola diuina virtute ac potentia, ſanctique ſpiritus operatione idem fieri potuiſſet (id quod vel ex eo, quod factum fuiſſe probauimus, ſatis cuilibet patere poteſt) quid opus fuerat, Deum ipſum ineffabili quadam ratione illi coniunctum eſſe, & ſuæ ipſius quodammodo maieſtatis & gloriæ oblitum, ſeu potius prodigum & deſertorem, humanam naturam deſpectam atque contemptam, infinitiſque malis obnoxiam induere?* Nego ſola diuina virtute abſque vnione naturæ humanæ cum perſona diuina, quicquid effectum eſt effici potuiſſe, nedum vt commodiore & magis compendiaria quadam via effici potuerit. Verbi gratia abſque illa vnione effici non potuit vt homo ille idem eſſet Deus, Filius Dei (quo ſenſu hoc ei nomen tribui ſolet) Seruator mundi, propria virtute mortuos viuificans, corda & renes ſcrutans, æqualis Deo Patri, ſumma cum poteſtate quicquid vult in cœlo & terra faciens &c. Oſtendant Aduerſarij abſque iſta admirabili conjunctione, loca Scripturæ quæcunque laudauimus, & quæcunque laudaturi ſumus, commodum ſenſum habere poſſe, ac noſtras omnes rationes ſolidè diluant, quibus probauimus, &, Deo benè fauente, probaturi ſumus, Filium Dei eſſe reuera Deum præditum eſſentia diuina, ac tum certè probauerint abſque illa vnione quicquid effectum eſt effici potuiſſe. Alioqui argutando operam perdent ſuam. Cæterum quod Dei Filius, cum eſſet in forma Dei, Deo æqualis, *exinaniuit ſeipſum formam ſerui accipiens, in ſimilitudine hominum* Phil. 2. 6.

factus, & figura inuentus vt homo humiliauit seipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, id, cum ab infinita quadam bonitate profectum, & Deo gloriosissimum, ac nobis summè necessarium & salutare fuerit, summis laudibus, vt gratos decet, celebrare debemus. Nam si suæ majestatis & gloriæ, vt loquitur irreuerenter Socinus, oblitus, prodigus, desertor fuit, in gratiam Patris & nostri id fecit, ea virtute, quam Angeli & homines satis admirari nequeunt, & quâ nulla major animo concipi potest.

XXVI. Progreditur in ista sua ingratitudine & impietate longiùs Socinus, & *ad rem ipsam*, vt loquitur, *propius accedens*, conatur probare, *nominatim ad salutem generis humani hypostaticam illam diuinæ humanæque substantiæ coniunctionem non inanem tantùmmodo, verùm etiam planè inutilem futuram*. Quomodo id præstat? refutando argumentum, quo illius conjunctionis necessitas demonstratur, petitum à satisfactione, quam, & ad expiationem peccatorum necessariam fuisse & absque hypostatica naturæ diuinæ & humanæ conjunctione fieri non potuisse firmiter credimus. At multas etiam alias ob causas necessaria fuit illa conjunctio, quas Socinus alto silentio præterit. Vin' tibi illarum specimen aliquod exhibeamus? Est Christus, ipsis Aduersarijs confitentibus, summus noster Propheta, & Sacerdos, & Rex. Ad Propheticum munus quod attinet. Is est doctor noster vnicus, Matth. 23. 10. adeoque perfectissimus. opus autem fuit natura humana vt homines doceret & verbo perquàm familiariter ac suauiter & exemplo. Is enim demum perfectè docet qui docet vtroque illo modo. Opus etiam fuit vt doctor noster præditus esset natura diuina, primùm in genere, vt esset omnium doctorum præstantissimus. quis enim doctor sicut Deus? Omnium autem præstantissima docendi ratio est, cum Deus sumptâ formâ humana homines dignatur familiari colloquio, & cum eis prandendo, ambulando &c se illis & audiendum & contemplandum præbet: quomodo olim docuisse legitur Patriarcham Abrahamum. nihil potuit accidere hominibus aut vtilius, aut honorificentius. Hanc igitur docendi rationem eum fuisse tum secutum credibile est, cum perfectiore modo, quàm vnquam antea, Ecclesiam suam docuit.

XXVII. Deinde in Christi munere prophetico consideranda sunt præcipuè hæc quatuor, quid docuit, quomodo docuit, qui-

bus argumentis confirmauit doctrinam suam, quomodo eam accepit à Patre. Prædicauit Christus, sed præcipuè semetipsum. reuelauit & ostendit Deum, sed reuelando & ostendendo semetipsum. vocauit homines, sed ad seipsum. Iussit credere, sed in seipsum. Pollicitus est vitam æternam, sed quam ipse daturus esset in seipsum credentibus. Salutem miseris peccatoribus annunciauit, sed in se vno repositam. Metum incussit judicij futuri, sed quod ipse vnus exerceret. Remissionem peccatorum obtulit, sed credentibus in seipsum, & quam pro sua autoritate indulgeret. Promisit resurrectionem mortuorum, sed quam ipse vi sua effecturus esset; & regnum cœlorum, sed quod ijs ipse daturus esset qui ipsius ratione habuissent. Nonne eum vt sic doceret Deum esse oportuit? Nonne merus homo homines à se ad Deum amandasset, & cauisset diligenter, ne quam vel minimam diuinæ gloriæ particulam ad se transferret. Sic enim sese reliqui omnes & Prophetæ, & Apostoli, & fideles doctores gesserunt.

XXVIII. Hoc ipsum verò quomodo docuit? Cum duplex sit ratio docendi: vna humana, quæ fit ore humano, & voce extrinsecus aures pulsante, altera merè diuina, quæ fit mentem ipsam auditoris aperiendo & intus afficiendo. Vtramque Christus adhibuit. quàm autem ad illam necessaria fuit natura humana, tam ad istam necessaria fuit diuina. vt enim illa humano ore, humanis organis fieri debuit, sic ista alia vi fieri non potuit quàm merè diuina. Quàm autem organa humana absque natura humana esse non possunt, tam vis diuina absque diuina natura esse non potest. Hanc docendi facultatem agnouerunt Apostoli, *Domine*, inquiunt, *adauge nobis fidem*, quam orationem Dominus non improbauit, nec respondit vt olim Iacobus, qui petenti Racheli vt sibi daret liberos, ita excanduit, & respondit, *Num pro Deo ego sum* &c? Itaque Dominus postquam à mortuis resurrexit, *aperuit illis mentem vt intelligerent Scripturas*. Idem *aperuit cor Lydiæ, vt attenderet his quæ dicebantur à Paulo*: ac è summo cœlo die Pentecostes Spiritum sanctum in Apostolos suos insufflauit, eosque diuinissima ratione docuit; atque ita non è monte contrectabili Sina, sed è monte Sion, non è terra sed è cœlo, vt Deum decebat, in Apostolis suis loquens, & prædicationem eorum efficacia sua prosequens Ecclesiam suam vbique locorum docuit.

Luc. 17. 5.
Gen. 30. 1.
Luc. 24. 45.
Act. 16. 14.
Heb. 12. 25.

XXIX. Ad doctrinam autem suam persuadendam vsus est miraculis & plurimis & maximis, quæ, non aliena virtute vt Prophetæ & Apostoli, sed suâ ipsius edidit, id quod vt crederent ab hominibus exegit, *creditis*, inquiebat, *me posse hoc facere?* Dicant mihi Aduersarij, vis illa infinita qua hominum cogitationes videbat, omnis generis morbos puncto temporis sanabat, cæcorum oculos aperiebat, mortuos viuificabat, diabolos abigebat &c; quonam in subjecto hærebat? In eius corpore seu carne? Erat igitur & finita, & materialis saltem aliquo modo, & quo modo ex eadem carne non expellebat imbecillitatem & mortalitatem? quomodo etiam, carne Christi absente, & procul ab illa sese nonnunquam exerebat? In eius anima? vtrum igitur in intellectu, in voluntate, in phantasia, in appetitu sensitiuo, in facultate locomotrice, an immediatè in ipsa animæ rationalis essentia? vbicunque locetur, fuisset anima Christi admodum diuersa ab animabus aliorum hominum, & haud satis conueniens inter subjectum & suum accidens proportio, & quomodo egressum fuisset accidens illud ex anima Christi, vt procul ab ipsa in aliorum hominum corporibus sese exereret? quanquam cur accidens vocem nescio. qui potuit enim tanta facere merum accidens? Quod si fuit substantia, duæ fuerunt in Christo substantiæ, humana vna, & altera multò quàm humana, immò angelica, potentior; atque adeo planè diuina. Hæc tantùm obiter hoc loco attingo, alio loco, Deo dante, diligentius expendenda.

Matth. 9. 28.

XXX. Dominus autem, quemadmodum decebat eum, qui sese voluntariè maniuisset sumptâ serui formâ vt seruum & legatum Patris ageret, doctrinam suam Patri ascribit. Sed quomodo eam à Patre accepit? Legiturne aliquando, verbum Dei ad illum factum fuisse? aut Deum illi apparuisse? Notaturne ab aliquo Euangelistarum aut Apostolorum tempus, aut modus, aut sermo, quo Deus cum eo egerit? Nullo modo. Cur id factum non est, si Dominus nihil nisi creatura, nihil nisi homo fuit? Ipsa Dei consilia & decreta intima Dominus reuelauit, & quidem tanquam illorum perfectè conscius, & testis αὐτόπτης. quomodo autem & quando fuerint ei à Patre reuelata non exprimitur: Cur quæso, si nihil nisi homo fuisset, id tacitum fuisset, quod ad fidem eius testimonio conciliandam plurimùm valuisset? Nam si nihil nisi homo fuit, Deus se illi patefecit certo quodam & tempore, & lo-

co, & modo, & sermone. quæ omnia notari & literis mandari potuerunt. At si persona diuina fuit eâdem cum patre essentiâ prædita, ea Patris decreta & consilia perpetuò nota habuit & vidit immediatè, nec vlla eiusmodi inter eam & Patrem vel communicatio, vel communicationis circunstantia obseruari potuit. Eadem per humanas suas facultates & organa omnia illa, prout expediebat, cum discipulis suis communicauit, cuius communicationis circunstantias omnes, Euangelistæ, vti par erat, annotarunt satis diligenter.

XXXI. Venio ad Sacerdotium Christi. Ei necessaria fuit natura humana ob eas causas, quas commemorat autor Ep. ad Heb. cap. 2. ℣. 14. & 17. necnon natura diuina, vt typo Melchisedeci responderet, qui *absque initio dierum & fine vitæ* fuisse dicitur Sacerdos æternus Heb. 7. 3. typus æterni Filij Dei, facti Sacerdotis *secundum potentiam vitæ indissolubilis* ℣. 16. ac propterea hominibus infirmis oppositi ℣. 28. Ei etiam ad sacrificium suum opus fuit, & corpore quod offerret semel, & *spiritu æterno* per quem offerret. Heb. 9. 14. Non fuisset victima si homo non fuisset sanctus & immaculatus, nec Sacerdos si Deus non fuisset, qui pro sua sapientia & potentia omnia quæcunque fuerunt ad ipsius immolationem necessaria administraret, & adhiberet, & regeret, instrumentis ad eam rem vtens prudenter. Est enim victimæ pati, Sacerdotis agere. Præterea si homo non fuisset, non habuisset sanguinem quem funderet, & fusum inferret in sanctum sanctorum cœleste. Et rursus si Deus non fuisset, non potuisset vi sua, vt Sacerdotem decebat, immolatâ victimâ in atrio tabernaculi (alibi enim nefas erat sacrificare) eius sanguinem in locum sanctissimum inferre, hoc est, in supremum cœlum ascendere, omnibus alijs cœlis trajectis. Quid enim absurdius, quàm cogitare Summum Sacerdotem, qui vi sua in tabernaculum suum ingredi non possit?

Heb. 10. 10.

Heb. 9. 24.

XXXII. Dicam aliquid amplius. Idem Christus qui est summus Sacerdos, est mediator noui fœderis. Iam autem tabernaculum opus est Mediatoris. Vt enim se habuit Mediator typicus ad tabernaculum typicum, sic se habere debuit Mediator verus ad tabernaculum verum. Atqui Mediator typicus, hoc est, Moses, construxit tabernaculum typicum Exod. 26. 1. illudque erexit Exod. 40. 16. Mediator igitur verus suum tabernaculum facere

& erigere debuit. Id quod Apostolus conferens Dominum cum Mose qui fecit tabernaculum Heb. 3.3. 4. & cum Aarone qui illud figebat Heb. 8. 2. apertè docet. Itaque non dubitauit idem au-
Heb. 1. 2. tor affirmare, & *per eum facta esse secula*, & *cœlos* (sunt autem cœli tabernaculum noui fœderis) *esse opera manuum eius*. Et
Heb. 1. 10. quomodo per eum non esset factum tabernaculum Noui Testa-
Joh. 1. 3. 10. menti per quem facta sunt omnia, & per quem sunt omnia, & per quem quæcunque sunt in illo tabernaculo, facta & creata
1. Cor. 8. 6. sunt? Mediatori igitur & summo sacerdoti nostro necessaria fuit natura diuina, vt vi sua non modo ingrederetur tabernaculum
Col. 1. 16. suum, sed etiam vt illud construeret, & figeret. Itaque vt priùs fuit Mediator Moses & Sacerdos Aaron quàm esset tabernaculum ita priùs etiam Filius fuit quàm tabernaculum cœleste; Et, vt Sacerdotes & Leuitæ tabernaculum cum opus erat, detrahebant, & eius aulæa circumuoluebant; Sic, cum opus erit, Sacerdos noster *cœlos* tabernaculi sui aulæa *velut amictum*, *circumuoluet*, teste eodem auctore Heb. 1. 12. ipso interim permanente, sicut permanebant Sacerdotes tabernaculo dissoluto.

XXXIII. Sacerdotis est expiare peccata oblatione victimæ, quæ loco peccatoris mortem perpetiatur, & ita Dei iustitiæ pro peccatoribus satisfacere. id quod omnibus sacrificijs expiatorijs adumbratum est sub lege. Itaque Sacerdos est fœderis ἔγγυος, & tenetur portare iniquitatem populi. Hinc ducitur argumentum inuictum, Oportuit Sacerdotem nostrum pro nobis apud Deum satisfacere, alioqui nequaquam seruandis. Non potuisset autem verè & reipsa pro peccatis nostris satisfacere, nisi simul Deus & homo fuisset. Oportuit igitur eum simul & Deum & hominem esse. Hoc vnum argumentum Socinus delegit, quo soluendo ostenderet conjunctionem naturæ diuinæ & humanæ in Christo esse prorsus superuacaneam. Quid igitur Respondet? Negatne necessitatem satisfactionis? Negat quidem, sed quoniam res illa, *vt in clarissimam lucem proferretur longiorem disputationem requireret &c*, *eam*, inquit, *illis in præsentia demus*. Subjungit tamen statim, nos eam *miserè deceptos*, *diuinis oraculis licet vndique reclamantibus*, *ipsaque ratione penitus abhorrente*, *confinxisse*. quo certè nihil dici potuit falsius. Eam enim & Scriptura multis locis inculcat, & ratio agnoscit & probat, & nihil est in Scriptura, quod reclamet, aut in recta ratione quod ab ea abhorreat. Sed decep-

tus

tus Socinus ratiocinijs quibusdam falsis, vt opinationem suam tueretur, multis Scripturæ locis vim apertam intulit. Omittamus igitur, nunc quidem, quando ita visum est Socino hoc loco, prolixam illam disputationem, & accipiamus quod dat, quanquam id dat fide sublesta: statim enim aufferre conatur quod dedit.

XXXIV. *Oportuit igitur, vt ipsi aiunt*, inquit, *diuina iustitia de hominis sceleribus cumulatè satisfieri. Quid tum? An ipsemet Deus eas pœnas persoluere debuit?* Non debuit certè quidem, sed tamen solus potuit. Itaque necesse fuit, vt aut ipsi periremus, aut ille earum persoluendarum onus in se susciperet, iuxta illud *Dominus prouidebit.* id quod aliundè quàm ab infinita misericordia proficisci non potuit. At inquit, *Primùm id fieri nullo pacto potuit.* Nullo igitur, inquam, pacto fieri potuit vt seruaremur. Hoc enim consequitur positâ necessitate satisfactionis, quam nobis Socinus hoc loco dedit. *Deus enim*, addit, *neque dolore affici, neque perpessiones aliquas experiri potest.* nempe quâ Deus, seu secundum naturam diuinam. Atque hæc causa est cur oportuerit eum sibi vnire naturam humanam patibilem & mortalem. Id quod nos Auctor Ep. ad Heb. cap. 2. ℣. 14. docuit, *Quoniam igitur*, inquit, *pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter particeps factus est eorumdem, vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum.* Quomodo mori potuisset, si tantùm Deus fuisset? aut per mortem destruere diabolum qui mortis robur tenebat, si tantùm caro seu homo infirmus & mortalis fuisset? fortiorem enim eum esse oportuit diabolis omnibus.

XXXV. *Verùm*, inquit Socinus, *eodem reuolui videntur; nam neque adhæsio ista aliquid momenti allatura fuit, si humana tantùm natura verè pati poterat, cuius cruciatus omnes, vtcunque eos consideres, finitos prorsus ac terminatos esse oporteret, quum infinitatis cuiusdam, vt ipsimet apertè profitentur, pœnas, quæ infinitæ diuinæ iustitiæ satisfaciendi caussa persoluuntur, necesse sit esse participes.* Distinguo. Pœnæ, quas Dominus secundum naturam suam humanam perpessus est, quasque diuinæ iustitiæ satisfaciendi caussâ persoluit, duobus modis considerari possunt. Primò Physicè seu Metaphysicè, ratione entitatis quam habuerunt. Sic finitæ fuerunt, nec esse infinitæ potuerunt, aut debuerunt. Secundò forensi ratione seu æstimatione, quo modo esse infinitæ & debue-

runt, & reuera fuerunt. Cum enim de satisfactione forensi disputemus, finitas vel infinitas pœnarum intelligenda est secundum æstimationem forensem, quæ nullam habet rationem entitatis, vt patet in peccato, quod interdum nullam entitatem habet, neque formaliter, neque materialiter (cogor vti vocibus vsitatis in schola) vt, verbi gratia, omissio officij; & tamen in foro magni æstimatur, immò, cum de officio erga Deum infinitum agitur, aliquomodo infinitè. Quo enim major est eius qui offenditur dignitas, eo pluris æstimatur offensa: eo enim minus offendi debuerat, plusque adeò est in offensa indignitatis.

XXXVI. Quamuis igitur pœnæ, quas Dominus noster in natura sua humana perpessus est, si entitatem earum spectes, finitæ fuerint, tamen reuera infinitæ fuerunt æstimatione forensi propter vnionem illam personalem naturæ humanæ cum diuina persona. Quo enim major est eius qui punitur dignitas, eo pluris æstimatur pœna quam perpetitur. eo enim minus puniri debuerat. plusque adeò est in pœna indignitatis. Iam autem personæ diuina essentia præditæ dignitas est infinita. Si igitur in forma visibili seu natura assumpta puniatur, pœna erit forensi æstimatione infinita. Entitas Estheræ, cum Assuero nupsit, aucta non est, sed aucta est tamen & multiplicata mirum in modum eius dignitas: & tamen eius cum Assuero conjunctio, nec personalis, nec ei naturalis, nec indissolubilis fuit. Quis igitur dubitare possit, quin naturæ humanæ dignitas aucta & multiplicata fuerit in immensum, cum est vnita Personæ dignitatis prorsus infinitæ, vnione, qua nulla cogitari potest major & perfectior, personali, & indissolubili, ac perpetua, & ipsi illi naturæ naturali? possent igitur perpessiones Christi ob istam naturæ eius humanæ dignitatem tantam aliquo modo infinitæ æstimari, sed tamen in æstimandis perpessionibus seu pœnis ferè tantùm dignitatis personæ quæ patitur aut punitur ratio haberi solet & debet, potius quàm naturæ aut partis secundum quam persona patitur aut punitur. Actiones enim & passiones, vt vulgò dicunt, sunt suppositorum, non autem naturarum.

XXXVII. Quo autem pluris fieri debuerunt perpessiones, cruciatus, ignominia, mors denique maledicta quam Christus pro nobis passus est, eo pluris etiam fieri debuit charitas Patris, qui filio suo proprio & vnigenito pro nobis non pepercit, & Fi-

lij, qui posuit animam suam pro nobis & peccata nostra in corpore suo portauit. itaque ea nobis in Scriptura tanquam summa & infinita & *omni notitia supereminentior* vehementissimè commendatur. Eo etiam majoris fieri debuit exinanitio & obedientia Chri- Ioh. 3.
sti. Itaque eam Apostolus vt immensam, & infinitam, & sum- 16. Rom 5.
mam describit Phil. 2. 6. institutâ inter illius, vt ita loquar, ter- 8 & 8.
minum à quo & terminum ad quem comparatione & oppositione. 32.
Quo enim major erat dignitas eius qui se demisit & obediuit, eo Eph 5.
major fuit eius demissio & obedientia. Erat autem summa & infi- 19.
nita dignitas Christi. Nam quæ potest forma dignior esse formâ Ioh. 15.
Dei? Atqui Christus erat in forma Dei. quæ dignitas major di- 13.
gnitate Dei? Atqui Christus erat æqualis ἴσα τῷ Θεῷ *æqualitates*, prorsus æqualis, Deo. Is autem sese vsque eò exinaniuit, vt oppositam formam sumpserit, scilicet serui; nec eo gradu exinanitionis contentus infra eum sese ad eam obedientiam demisit, quam nemo exigat à seruo, luitque vltrò attrocissimum & ignominiosissimum & lege Dei maledictum supplicium crucis, vt Patri obediret & nos redimeret à maledictione legis. Itaque nihil ad infinitam pœnæ æstimationem desiderari iure potuit.

XXXVIII. Pergit Socinus, *neque*, inquit, *vt delictorum conscientia humanos animos amplius non excruciet, propter satisfactionem istam, in qua salutis suæ spem positam habeant, Deum ipsum cui satisfaciendum erat, ad eam peragendam aut absoluendam propriâ personâ vlla ratione concurrisse dicendum est. necesse est enim omnino satisfacientis personam, ab eius, cui satisfit, disiungi ac separari, alioqui veram satisfactionem factam fuisse, nemo sibi ipsi penitus persuadere poterit.* Fallitur vehementer Socinus. Contrà enim prorsus res se habet. Seposita enim ista satisfactione non videmus quî possit sedari æstus conscientiæ. Obuersatur enim animo & recurrit cogitatio iustitiæ Dei, qui cum sit Iudex mundi iustissimus, omnis iusti iudicis exemplar perfectissimum, intelligi non potest, quî id faciat, quod, & pugnat cum officio iusti iudicis, & Deo abominationi esse Spiritus Sanctus testatur, & ipse Deus seuerè prohibuit, hoc est, quî absoluat impios & injustos & sceleratos absque vlla legi & iustitiæ satisfactione, non quidem per ipsos (id enim illis erat prorsus impossibile) sed per aliquem vadem pro ipsis præstitâ. Hanc cogitationem altera acuit diuinæ veritatis. Quoties enim peccator cogitat legis comminationes

diuinas, vniuersales, absolutas, verissimas, fieri non potest quin trepidet, nisi succurrat alia cogitatio, illis esse pro nobis à sponsore seu vade nostro satisfactum plenissimè.

XXXIX. Quod enim aiunt, de suo quemque iure, quantum velit, cedere posse, id de eo iure, quod in officio positum est, verum non est. Non enim potest Iudex de eo iure, quod habet violatorem legis conuictum puniendi, aut legis obsequentem remunerandi, cedere pro arbitrio. Vt enim lex violatur, cum is, cuius est mandatum legis exequi, id non exequitur, aut facit oppositum; sic etiam lex violatur, cum is, cuius est legis comminationes & promissiones executioni mandare, id non facit, sed oppositum potius. Vt enim lex mandatis obligat ad obedientiam eos qui legi subjecti sunt, sic comminationibus & promissionibus obligat ad earum executionem Iudices. Inde enim tota pendet eius autoritas & majestas. Et quemadmodum eorum qui legi subjiciuntur iustitia posita est in actionum cum mandatis legis conformitate, sic iustitia Iudicis quatenus iudex est, consistit in conformitate actionum eius cum comminationibus & promissionibus legis, ad quas, tanquam ad normam, sententiam suam & sententiæ executionem exigere tenetur. alioqui & legis & legislatoris veritatem & Majestatem, quæ ipsi sacrosanctæ esse debebant, violat, & abolet.

XL. At ex altera parte, inquiet fortè aliquis, securas de sua iustificatione conscientias satis reddunt promissiones diuinæ. Certè, sed quandiu inter comminationes maledictionis & promissiones benedictionis, inter iustitiam Dei & eius misericordiam, inter officium Iudicis mundi & eius clementiam tanta pugna apparet, vt nulla ratione conciliari posse videantur, fluctuare necesse est conscientiam, & inter saxum & sacrum, vt dicitur, stare. Cuius enim comminationes inanes esse videntur, eius promissiones minus firmæ & ratæ esse facilè creduntur. Omnis verò dubitatio tollitur & conscientiæ eiusmodi æstus sedatur, cum intelligitur legis comminationi plenissimè satisfactum fuisse ab homine fidelium vade & capite, qui mortem maledictam, quam lex omnibus peccatoribus comminabatur, pro omnibus luit & vicit. Eo enim vno
2. Cor. 5. 14. pro omnibus mortuo, omnes mortui sunt. Qui autem mortuus
est, hoc est, qui pœnam lege denunciatam in vade & capite suo
Rom. 6. 7. luit, is iustificatus est à peccato, nec potest amplius lege damnari.

Itaque nulla est condemnatio ijs qui sunt in Iesu Christo, eo per fidem induti, in eius mortem per baptismum consepulti; cuius rei argumentum certissimum est eorum à seruitute peccati per Christi resurrectionem virtute spiritus eius viuificantis liberatio. Rom. 8. 1.

XLI. At fortasse dubitationem & anxietatem aliquam affert hæc cogitatio, ad istam satisfactionem peragendam personam diuinam aliquid contulisse. Contrà est. Nam si ab homine tantùm homine peracta diceretur, non haberet eam infinitatem æstimationis & valoris, quam ad satisfactionem pro tot hominibus & peccatis nemo non videt fuisse necessariam. Nunc verò, cum ad infirmitatem humanam ad patiendum necessariam infinitam personæ diuinæ dignitatem & potentiam accessisse videamus, quid est quamobrem de perfectione, &, vt ita loquar, sufficientia illius satisfactionis amplius dubitemus?

XLII. At, inquit Socinus, *necesse est omnino satisfacientis personam, ab eius, cui satisfit, distingui ac separari, alioqui veram satisfactionem factam fuisse, nemo sibi ipsi penitus persuadere poterit.* Equidem sum in sententia diuersa. Quo enim satisfacientis persona ei cui satisfit conjunctior est, eo mihi facilius persuadeo, satisfactionem ab eo cui satisfit non repudiatum iri. At non erit vera satisfactio. Cur? quia oportet *satisfacientis personam ab eius cui satisfit distingui & separari.* Hoc quis dicit? Deus? vbi? Socinus? illi non credo. modò enim id fiat quod lex exigit ab eo qui sustinet peccatoris personam, siue is sit à judice disjunctus & separatus siue non, satisfactum est legi, & quia legi, etiam judici. id quod satis est. Non enim agitur de solutione pecuniæ, aut reparatione damni, aut priuata satisfactione, sed de ea duntaxat, qua legis comminationi & Iudicis officio satisfit. Nihil enim prohibet, quominus transgressor legis impunè abeat, & peccatum ei condonetur, præter legis comminationem, quam sine injustitia violare iudex non potest.

XLIII. At, inquiet, fortè aliquis, Iudex est Deus, autor & Dominus legis. Tanto, inquam, minus violabit legem à se latam. Vt enim creaturas obligauit ad exequenda mandata sua, sic se iudicem obligauit ad exequendas promissiones & comminationes suas: non enim illæ falsæ & inanes fuerunt, & vana quædam terricula, seu μορμολυκεῖα. Annon apud Deum Iudicem sacrosancta esse debet Dei legislatoris veritas, autoritas, majestas,

Nonne Deus sui ipsius summam rationem habere debet? At potest abrogare legem quam tulit. non, opinor, naturalem illam quæ sine euersione ipsius naturæ aboleri non potest, quandiu naturam vult conseruatam. Sit tamen ita. at quandiu lex viget fieri non potest, quin qui eam violat in pœnam lege denunciatam incurrat. Itaque non potest Iudex, nisi aliqua ratione pro eo legi satisfiat, eum absoluere. Alioqui faceret injuriam Legislatori, cuius autoritatem vel non agnosceret, vel contemneret.

XLIV. Verùm, inquit Socinus, Nemo potest sibi ipsi satisfacere. Primùm satisfecit pro nobis, non eadem persona sibi, sed Filius Patri, & quidem Filius non præcisè quâ Deus, sed potius quâ homo, humani generis membrum, & caput, & vas. Sed hic homo, quia idem Deus fuit infinita dignitate & virtute præditus, tantum pondus atroci & maledictæ morti, quam perpessus est, dignitate infinita personæ suæ conciliauit, vt plus fuerit eum ad breue tempus pati, quàm si omnes homines in æternum passi fuissent. Quod enim ad dignitatem attinet, nulla inter eum ab omnibus hominibus & Angelis adorandum & homines peccatores est proportio. Idem etiam infinitâ sua virtute mortem, ad quam traditus fuerat, deuicit, partaque de morte & diabolo victoria, acceptis mortis & inferni clauibus, resurrexit & triumphauit.

XLV. Cauillatur Socinus nos sic respondendo, *quærere diuerticula. Nonne*, inquit, *& filij persona iuxta illorum doctrinam satisfaciendum erat, in quam non minus quam in personam Patris homines peccauerant?* Non intellexit Socinus, de satisfactione à nobis agi, non qua satisfit personæ offensæ quâ persona offensa est, sed qua satisfit comminationi legis atque adeo Iudici quâ Iudex est, siue is sit pars offensa, siue non. Potest enim pars offensa, quâ talis cedere de iure suo & offensas condonare, sed iudex legis violationem remittere, reumve conuictum absoluere, sine injustitia non potest. Quandoquidem igitur Patris & Filij personæ distinctæ sunt, opus non fuit alia persona quàm Patris ad sustinendam Iudicis personam, nec aliâ quàm Filij facti hominis ad sustinendam hominum reorum personam.

Rom. 2. 14. XLVI. Deinde quid est, cur hoc genere satisfactionis non
1. Cor. 6. 18. possit sibi ipsi aliquis satisfacere? Nonne potest aliquis *sibi ipsi lex esse, se accusare, de se iudicare, in se peccare*, se condemnare, im-
1. Ioh. 3. 20. 21. mò seipsum punire, vt ille apud Terentium ἑαυτὸν τιμωρούμενος?

Cur igitur non poteſt ſibi ipſi ſatisfacere? videtur certè poſſe, & quidem etiam cum de reparando damno agitur; vt, exempli gratia, ſi quis vel negligentiâ, vel infœlici alea damno aliquo ſe affecerit, poteſt ſibi multam dicere, vel ieiunium, vel parciorem & viliorem cibum, vel laborem cum alioqui ſe quieti daturus fuiſſet, vel laboris conduplicationem, donec damnum ſit ea ratione reſarcitum & reparatum. Poteſt etiam aliquis vt ſe à praua aliqua conſuetudine abſtrahat, verbi gratia, iurandi, ſe, quoties iuraſſe contigerit, aliqua pecunia multare, vel in pauperes eroganda, vel in publicos vſus. Sic ſibi, vt priuatus iudici, ipſe ſatisfaciet. Quid? nonne poteſt contingere, vt iudex ipſe reus fiat legis violatæ? Fac igitur eum alioqui ita iuſtum eſſe, vt ſemetipſum damnet, tunc certè ipſe ſibi, tanquam reus iudici, reuera ſatisfaciet. *Nemo*, inquit Socinus, *ſibi ipſi aliquid ſoluit.* Eſto: non enim agitur hoc loco de pecunia ſoluenda, ſed de pœna luenda. Quid eſt autem cur non poſſit aliquis vt legis comminationi & iudicis officio ſatisfaciat, ſibi ipſi pœnam lege denunciatam vel per ſe vel per alios infligere, aut vltrò ſeſe verberandum vel interficiendum hoſtibus tradere? Cum Attilius Regulus Carthaginem rediit, & ad exquiſita ſupplicia vltrò profectus eſt, is fidei ſuæ, iurijurando ſuo, ſibique adeo ipſi profectò ſatisfecit. Sed nimium fortè immoror in refutanda ratione, aut potius affirmatione Socini, quam ille neque probauit, neque probare conatus eſt, ac propterea æquè ſimpliciter à nobis negari, ac ab illo affirmari, potuit.

XLVII. Sed, inquit Socinus, *dum Ieſu Chriſti perſonam adeò ſublimem atque excelſam effingere ſtudent, vt ſui ſanguinis fuſione tantum æs alienum omnium noſtrum nomine diſſoluere potuerit, non animaduertunt, ſe illum, qui debitor potius quàm creditor eſſe potuiſſet (poteſt enim debitor, ſi ſoluendo ſit, & pro ſe & pro alijs ſatisfacere) ipſummet creditorem facere, qui ex perſona ſua nonniſi gratuita condonatione debitores liberare poteſt, gratuita inquam; quòd non ſolum ab iiſdemmet debitoribus nihil repetat. verum etiam quòd neminem pro illis quidquam ſibi ſoluere velit. Nam ſi alium ſibi ſolutionem facere vel poſtulet, vel patiatur, non quidem ex perſona ſua, ſed ex aliena eos liberabit.* Varia continentur in hac accuſatione ſeu reprehenſione, quibus ordine reſpondendum eſt. Primum illud eſt; quod ait, nos Chriſtum facere ipſummet creditorem. At ſi

Christus teste auctore Ep. ad Heb. est *mediator Noui Testamenti*, Heb. 8. 6. & 9. 15. & 12. 24. & *vas* Heb. 7. 22. & *testator* Heb. 9. 16. Quid est cur non possit diuerso respectu & vas debitorum & creditor esse? Ipse certè non obscurè innuit se creditorem esse Luc. 7. ℣. 41. & seqq. Matth. 25. 14. &c. Nec mirum: nam si eius sunt quæcunque sunt Patris, etiam quæ Patri debentur, ei debentur. Adde quod qui soluit pro alio, is creditoris ius in debitorem sibi acquirit. Itaque Christus etiam dum ageret in terris pro sua auctoritate peccata remisit. id quod vnius Dei proprium esse cum Scribæ & Pharisæi credebant, tum ipse Dominus non negauit, tantùm affirmauit & probauit se ea autoritate præditum esse. Luc. 5 ℣. 20. & seqq.

XLVIII. Alterum est, quod Socinus pro confesso ponere videtur, inter peccata & debita nihil interesse, cum tamen plurimum intersit. Possunt enim peccata referri vel ad partem offensam præcisè consideratam, vel ad legis comminationem & iudicem. Respectu partis offensæ præcisè consideratæ eandem ferè rationem habent quam debita respectu creditoris, sed ad istam veluti priuatam relationem accedit publica, quatenus sunt legis violationes, cuius veritas & majestas tam comminationes quàm promissiones exequendo iudex tueri debet, etiamsi pars offensa, quatenus eius, quâ talis, interest, offensam condonauerit. Dispar est ratio debitorum propriè dictorum: cum enim violationes legis non sint, non prohibet legis comminatio, quominus remittantur debitoribus absque vlla satisfactione.

XLIX. Tertium quod Socinus affirmat est, creditorem, *si alium sibi solutionem facere vel postulet, vel patiatur, non quidem ex persona sua, sed ex aliena debitores liberaturum.* Id quod verum est si duo ponas: vnum agi de creditore & debitis propriè dictis: alterum, alium istum qui solutionem facit totâ essentia disjunctum esse à creditore. Nos autem hoc loco de peccatis agimus, vt jam monui, non relatè ad partem offensam præcisè spectatam, quo respectu debitis similia sunt; sed relatè ad comminationem legis & officium Iudicis, quo respectu à debitis differunt. Deinde is qui satisfecit legis cõminationi pro nobis & Dei filius est & Deus, idque fecit Patre mittente iubente & vehementissimè probante. Itaque quod nobis remittuntur peccata *in nomine Filij* 1. Cor. 6. 11. *per nomen Filij* Act. 10. 43. *propter nomen Filij* 1. Ioh.

2. 12.

2. 12. charitati & gloriæ Patris nullo modo officit. Tantum autem abest vt hæc satisfactio misericordiam Dei obscuret, aut remissionem peccatorum efficiat minus gratuitam, vt immensum in modum eam commendet. Cum enim Deus duas veluti personas in hoc negotio sustineret, vnam partis offensæ, alteram Iudicis, is, quatenus pars est offensa, odium, iram, cupiditatem vindictæ omnino deposuit, versaque in misericordiam irâ, quoniam quominus peccatores resipiscentes iustificarentur impediebat legis comminatio & officium Iudicis, quod posita lege necessarium est, constituit hoc impedimentum tollere. quod, cum aliter fieri non posset quàm transferendo pœnam lege denunciatam in Filium suum vnigenitum, tanquam in hominum peccatorum vadem, id potius elegit quàm homines peccatores punire. Potuitne major animo concipi clementia & misericordia erga homines? Itaque in ea prædicanda & celebranda vix sibi satisfaciunt sacri autores. Magnum est partem offensam non odisse eum à quo offensa sit grauissimè, Maius est illum amare, illius misereri, Maximum magnis beneficijs illum afficere, sed multo adhuc majus est, vt à morte maledicta redimatur, cum aliter legi satisfieri non possit, filium vnigenitum & dilectissimum, vel etiam semetipsum, ad mortem, & quidem talem, tradere. Hic summus est amoris & misericordiæ partis offensæ erga eos à quibus offensa est gradus, omnem humanum longè superans. Ita cum summa iudicis iustistitia summa partis offensæ misericordia erga genus humanum conciliata est mirabiliter & facta est Dei iustitia misericors erga credentes & misericordia iusta. Nam alioqui misericordia, quæ legis comminationem & officium iudicis euertit, in vitio ponitur, & ab ipso Deo damnatur Deut. 13. 8. & 19. 13. 21. & 25. 12.

Ioh 3. 16. Rom 5. 8 & 8. 32.

L. Sic reprehensis nobis Socinus deinceps consulit. *Itaque*, inquit, *præstabat à veritate non omnino discedentes, Iesum Christum non ipsummet vnicum Deum nostrum opinari, sed diuinissimum hominem agnoscere, tanta dignitate pollentem, vt tantum onus subire meritò potuisset. neque enim vt ea, quæ humanæ naturæ deerant, supplerentur, si modo, quod ad propositum attinet, suppleri poterant, necesse erat Deum hominem fieri, sed satis fuisset, diuina potentia atque virtute, cui omnia sunt in manu, & cui nihil difficile est, eam penitus perpurgari, ac numeris omnibus absolutam reddi, eique infinitam vim, cuius participes omnes eius operationes forent, communi-*

cari. atque eo casu, quemadmodum si quis ab alio ita ditatus fuerit, vt ea, quorum illius benignitate plenam possessionem & dominium habet, summam illi à cæteris quibuscunque debitam, æstimatione vel æquent, vel etiam superent, posset is profectò, si vellet, cunctorum debitorum nomine de suo eidem illi verè ac plenè satisfacere sic etiam homo Christus Iesus, ipsimet Deo, à quo hanc facultatem dono accepisset, quicquid ei cæteri homines debent, persoluere potuisset, id quod nequaquam fieri potuit, si Deus facultatem hanc Christo homini plenè largitus non est, sed eam, vel eius saltem partem aliquam solus ita retinuit, vt ad solutionem perficiendam ipsius persona omnino opus fuisse dicamus, cum nullus creditor de pecunia sua, quam nemini donauit, sibi ipsi debitorum nomine satisfacere aliqua ratione queat.

LI. Hoc consilium Socino dignum est, hoc est, eo qui non satis quid dicat attendit. Nam prætérquam quod ita perpetuò loquitur, ac si de reparatione damni & solutione pecuniæ ageretur, (id quod est peccare ignorantiâ elenchi) quid per vim infinitam intelligit, cum vult *natura humanæ infinitam vim, cuius participes omnes eius operationes forent, communicari?* Intelligitne illam ipsam vim infinitam eandem numero, quæ in Deo est, an diuersam, creatam scilicet? Si prius eligitur, Primùm quomodo potest ipsa vis infinita Dei eadem numero communicari naturæ humanæ non communicatâ essentiâ diuinâ, à qua vis illa, si quid intelligo, nihil differt, & quidem ita communicari, vt illius *plenam possessionem ac dominium habeat?* Deinde quî potest ipsa Dei vis infinita, quæ in ipso est & quam retinet, ad aliquid necessaria esse & concurrere, ad quod ipsa Dei persona necessaria non sit, nec concurrat? Hoc enim est vim naturæ diuinæ essentialem à natura diuina, potentiam naturalem personæ à persona separare. id quod, nisi vehementer fallor, contradictionem implicat. Si posterius placet, Primùm ponetur vis infinita creata. id quod mihi videtur prorsus impossibile. Deinde cur non æquè multiplicari poterit natura infinita ac vis infinita? poterunt igitur esse plures naturæ diuinæ, plures dij; si duo, cur non tres, quatuor, quinque, & ita in infinitum. Tum, si potest creari & multiplicari vis infinita, ea vtique abstrahi potest ab existentia, & conuenit cum vi, quæ Deo inest, specie, differt numero. Ex quo sequitur vim infinitam essentialiter siue à se ipsa non existere, nec implicari

contradictionem si Deus negetur esse. quo posito sequitur, Deum non esse.

LII. Præterea est ne vis illa infinita substantia, an accidens? Si est substantia, duæ erunt in Christo substantiæ, vna infinita, altera finita. id quod negant Aduersarij. porro substantia infinita necessariò est intelligens & completa, ac propterea persona. vis enim infinita non est, quæ intelligere, quæ velle, quæ per se existere non potest. Si est accidens, primùm non est infinita: potest enim vis infinita creare substantias finitas, & quidem in instanti. itaque neque ipsa, neque eius actio subjecto, cui inhæreat, indiget. Quod si ita imbecilla sit, vt ipsa per se existere seseque conseruare, & veluti sustentare non possit, quomodo vis infinita esse dicitur? vis infinita est ens infinitum, omnem entis perfectionem in sese formaliter vel eminenter continens, nullaque est actio siue substantialis, siue accidentalis, finita, quam producere non possit: alioqui vis infinita non est, sed finita & limitata. Adde intelligi non posse, quomodo vis infinita communicari possit & inhærere subjecto finito, cum quo nullam habet proportionem. vt enim mare vniuersum contineri non potest in exiguo vasculo, sic vis infinitæ capax non est subjectum finitum. Proportionem enim aliquam esse oportet inter capacitatem subjecti & id quod subjectum recipit, quodque illi inhæret. Personam quidem infinitam vnire sibi potuisse humanam naturam finitam pro mea tenuitate vtcunq; intelligere mihi videor. vim verò infinitam communicari potuisse naturæ humanæ finitæ tanquam subjecto cui inhæreat, equidem intelligere non possum. Non capio etiam quomodo in eodem subjecto & parte subjecti simul esse potuerit vis finita & infinita, vis limitata & vis illimitata. Nos quidem fatemur, eandem personam, eodem tempore, vim habere infinitam & finitam, infinitam secundum naturam diuinam, finitam secundum naturam humanam. Sed eandem personam, eodem tempore, & secundum eandem naturam, immo naturæ partem, vim habere finitam & infinitam, adeoque finitam & infinitam esse, id nobis apparet impossibile. Hæc veluti obiter & cursim attingo, vt, vel ex hoc exiguo specimine, intelligant Aduersarij minus secum, quam putant, rectam concordare rationem.

LIII. Nam, vt aliquid etiam de munere Christi Regio dicam, quomodo, quæso, id absque vi infinita exerceri potest? Primùm

Iudici & Regi nostro vincendi fuerunt omnes hostes nostri, mundus, peccatum, mors, diabolus; quam ad rem quanta vi opus fuerit nemo non videt. deinde opus ei fuit vi intelligendi planè infinita. Quid enim est in cœlo & in terra, quod eius oculis non pateat, qui scrutatur corda & renes? Tum opus etiam ei fuit vi agendi prorsus infinita, qua omnia sibi subjicere, omnes mortuos ad vitam reuocare, miracula quælibet patrare, fideles vbique terrarum regere, & protegere, ijs omni loco & tempore adesse, opem ferre &c, denique omnia quæcunque vult in cœlo & in terra facere possit. Quæ enim est vis infinita, si hæc non est? Quid potest Pater, quod Filius non possit? Quid facit Pater, quod Filius non faciat similiter? Est ne aliquod opus tantum, vt fieri à Filio non possit? Accedit ad hæc autoritas & majestas infinita, & cultus consentaneus. Oportuit igitur Regem nostrum esse infinitum. Quomodo autem infinitus est, si natura non est præditus nisi finita? aut quomodo potuit natura eius finita fieri infinita, absque eius mutatione & conuersione in aliam naturam? Est enim natura illa sine dubio infinita, quæ prædita est infinita vi intelligendi, volendi, agendi. Natura autem infinita plusquàm genere differt à finita. Quod si ponatur ita infinita euasisse vt permanserit finita, illa eodem tempore, & secundum eandem partem, multo major erit se ipsâ, immò ad semetipsam nullam habebit proportionem. quæ si concoquunt Aduersarij, cur rejiciunt vnionem personæ infinitæ cum natura humana finita, multò magis & Scripturæ & rationi consentientem? Satis ex his, opinor, liquet, naturæ diuinæ & humanæ in Christo conjunctionem non esse superuacaneam. Nonnihil addit Socinus de Mediatore, quod reprehensionem quidem meretur, sed hoc loco minimè necessariam.



ADDENDA

Ad Arg. XXXVII. Ex Gen. Cap. 1. vſ. 26. & ſimilibus locis petitum.

I. IN poſteriore Fragmento Socinus reſpondere conatur ad argumentum ex Gen. 1. 26. & 3. 22. & locis conſimilibus petitum, quod eſt in hoc libro XXXVII. Orditur autem à reſponſione, quam, quia apud eum, aliosue eius ſequaces nondum legere contigerat, non refutaui. Certè à VVolkelio & Schlichtingio prætermiſſa eſt ob nimiam eius, vt ego arbitror, infirmitatem. Ea eſt, *non minùs ex locis illis concludi poſſe, Dei perſonam vnam numero eſſe, eſſentias verò plures, quàm vnam numero eſſentiam, plures verò perſonas.* Id quod mihi videtur ab eo dictum, vt alia multa, valdè inconſideratè. Nam ſi verba Scripturæ ſpectes, ſeu ducatur argumentum à nominibus pluralis numeri, quale eſt Elohim, nomina illa, cum ſint, vt loquuntur ſcholaſtici, concreta, ſubjecta ſeu ſuppoſita ſignificant, non præcisè naturas. Seu ducatur à verbis pluralis numeri, *Faciamus, deſcendamus, inerunt dij* &c, cum actiones non ſint naturarum ſed, ſuppoſitorum ſeu perſonarum, pluralitas perſonarum ijs ſignificatur, non verò naturarum. Significatur enim pluralitas eorum, quorum ſunt illæ actiones. Seu ducatur à pronominibus pluralis numeri, *in imagine noſtra, ſecundum ſimilitudinem noſtram*, quis neſcit, pronomina perſonas ſignificare, non autem præcisè naturas? loqui perſonas, non autem præcisè naturas? Seu denique ducatur ab illis verbis, *Ecce Adam factus eſt ſicut vnus ex nobis*, mente captum eſſe oporteat, qui non intelligat vocibus *vnus ex nobis* plures perſonas ſignificari. Vertant ſe in quaſcunque voluerint partes Aduerſarij, non aliàm pluralitatem ex verbis illis elicient, quàm perſonarum.

II. Itaque inepta eſt ratio quam Socinus ſubjungit, *Neque*

enim, inquit, *minus absurdum est, vbi vna numero essentia est, plures personas, quàm vbi vna numero est persona, plures essentias constituere.* Nos enim argumentamur, non à re ipsa in se spectata, sed à verbis Scripturæ, quæ si pluralitatem aliquam significant (significant autem certè) personarum vtique pluralitatem significant. Si igitur quod ad rem ipsam, aut ad rationem attinet, nihil interest, vtrum plures sint personæ vna essentia, an plures essentiæ vna persona, prius potius, cum sit verbis Scripturæ consentaneum, eligi debet, quàm posterius, quod ab illis abhorret.

III. Cæterum absolutè loquendo neutrum putamus esse impossibile: nam & tres personas diuinas confitemur eadem essentia seu natura diuina præditas, & vnam personam duabus præditam naturis, diuina scilicet & humana; sed tamen facilius pluralitatem personarum diuinarum cum vnitate essentiæ diuinæ conciliamus, quàm pluralitatem naturarum diuinarum cum vnitate personæ diuinæ. Subjicit quidem Socinus, *à se in superiore libro probatum fuisse fieri non posse, vt in vna numero essentia plures distincta suis proprietatibus persona inueniantur.* Sed si per superiorem librum superius fragmentum intelligit, quod cum isto in vnum volumen compingi solet, in eo probatio illa tota desideratur. Sin alium aliquem librũ, is ad meas manus nondum peruenit. Id quidem probare conatus est Crellius lib. II. de vno Deo Patre, Sect. 1. corrasis vndecunq; potuit aliquot argumentis, Sed ea, cum nihil ferè nisi sophismata sint, nec difficile est soluere, & soluentur à nobis, Deo dante, in alio libro. Decet enim nos priùs Deum in Scripturis loquentem consulere, quàm rationem humanam, quæ Deo subjici debet, non autem opponi, &, si credimus Aristoteli, *se habet ad ea quæ sunt naturâ omnium manifestissima, sicut oculi vespertilionum ad lumen diurnum.* (lib. II. metaph cap. 1.)

IV. Necesse est vt credamus, aut vnam personam diuinam & plures naturas, aut vnam personam & vnam naturam, aut plures personas & plures naturas, aut plures personas & vnam naturam. Quominus primum credamus obstant Primò omnia illa argumenta, quibus plures esse personas diuinas euincimus. Deinde illa omnia, quibus pluralitas naturarum seu essentiarum diuinarum refelli potest. denique illa etiam omnia, quibus probari potest, Deum propriè loquendo non esse compositum, & plures essentias completas naturaliter constituere plures personas.

V. Quominus ſecundum amplectamur impediunt omnia illa teſtimonia & argumenta, quæ pluralitatem ſeu trinitatem perſonarum diuinarum demonſtrant. Poſſunt autem illa reuocari ad tres claſſes. Prima locos Scripturæ continet, in quibus de Deo, tanquam de pluribus perſonis, loquitur, tribuens ei nomina, pronomina, epitheta, verba, pluralis numeri. Secunda claſſis continet illa Scripturæ teſtimonia & argumenta, quibus probamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſſe diuina natura præditum. Cum enim conſtet Patrem & Filium eſſe duas perſonas, & Patrem eſſe Deum, hoc ipſo quod probamus Filium eſſe Deum diuina eſſentia præditum, probamus etiam duas eſſe perſonas diuinas. Huiuſmodi autem teſtimonijs & argumentis ſcatet & micat tota Scriptura, vt partim ex hoc & ſuperiore libro jam patet, partim ex ſequenti aut ſequentibus fiet manifeſtum. Tertia continet ea Scripturæ loca & argumenta, quibus probamus, Spiritum Sanctum eſſe perſonam à Patre & Filio diſtinctam, eundemque diuina præditum eſſe natura.

VI. Quominus tertium admittamus, obſtant illa argumenta, quibus vnitas naturæ ſeu eſſentiæ diuinæ demonſtrari poteſt. Petuntur autem illa partim è Scriptura, partim è Philoſophia. Nam, & Scriptura vnitatem Dei multis locis inculcat, & Philoſophia eam neceſſarijs argumentis demonſtrat, & nihil eſt, vel in Scriptura, vel in Philoſophia, quod ei poſſit opponi, præter pluralitatem perſonarum diuinarum, quæ videtur cum vnitate eſſentiæ diuinæ conſiſtere non poſſe. Sed cum, & conſtet inter nos, & multis ijſque neceſſarijs argumentis demonſtrari poſſit, Scripturam eſſe diuinitùs inſpiratam, eaque plurimis locis & pluralitatem perſonarum diuinarum & vnitatem diuinæ naturæ doceat & inculcet, omnino fatendum eſt, pluralitatem illam vnitatem iſtam nequaquam euertere. Non enim ſibi Deus contradicit vnquam, nedum tam ſæpè. Ex quo ſequitur, omnia illa argumenta, quibus pluralitatem perſonarum diuinarum repugnare vnitati naturæ diuinæ probare ſtudent Aduerſarij, falſa eſſe, nec niſi ſuâ ipſorum culpâ, illis vera videri poſſe.

VII. *At verò*, inquit Socinus, *cum non perſona eſſentiane tantùm ratione res aliqua vna eſſe dici poſſit, ſi omnino ſtatuere velimus pluralitatem perſonarum in Deo, quid prohibet, quominus, cum ſacræ literæ Deum vnum eſſe dicunt, id non ad eſſentiam, ſed ad vo-*

luntatem pertinere existimemus, ita vt non vnam numero in Deo essentiam, sed vnicam voluntatem, id est, in illis pluribus diuinis personis, summam indissolubilemque consensionem atque concordiam, esse agnoscamus? Absurdum quidem esse statuimus pluralitatem diuinarum essentiarum inducere, at impossibile plané est, vbi plures sint personæ, ibi vnam numero essentiam esse. Prohibent primò sacræ illæ literæ, quæ Deum vnum esse dicunt. Nam, vt cætera nunc omittam, quis mentis compos, cum legit illa verba, *non est Deus nisi vnus*, vel, *Ego sum Deus & non est amplius*, & similia, solam voluntatum plurium consensionem significari intelligit? Deinde prohibent ea omnia, quibus vnitas naturæ diuinæ demonstrari potest. Denique ista ipsa voluntatis vnitas essentiæ vnitatem vel arguit vel facit. Quomodo enim naturaliter & essentialiter erit vna voluntas, si vna natura seu essentia non est? Quod si non est essentialiter vna voluntas, non implicabitur contradictio, si non sit vna, hoc est, si ponantur esse plures naturæ diuinæ, plures dij discordes, ac inter se pugnantes contrarijs voluntatibus. quo nihil potest fingi absurdius. Rursus, suntne personæ illæ diuinæ finitæ an infinitæ? si finitæ, quomodo sunt præditæ natura diuina? hæc enim certè infinita est. si sunt infinitæ, sese igitur aliæ alias penetrant: sese etiam aliæ alias & cognoscunt & amant perfectissimè, immò infinitè. est autem amor appetitus vnionis. vniuntur igitur quàm possunt perfectissimè. Præterea, vel vnus scit aliquid quod alius nescit, aut amat aliquid quod alius non amat, aut potest aliquid quod alius non potest, vel non. Si prius, quomodo sunt dij? Deus enim omnia scit, omnia potest. Si posterius, non modo eorum est vna voluntas, sed etiam vna mens, vna potentia, vna eademque scientia, vnus amor. Nunc cogita plures naturas eiusdem rationis sese mutuò penetrantes, ac summa quadam eâque æternâ propensione sese complectentes & vnientes, ita vt, & nulla ratione à se inuicem disiungi possint, & sit earum eadem cogitatio, voluntas, actio, nonne eo ipso intelliges, illas in vnam euasisse naturam, nec vllum amplius superesse discrimen, nisi fortè positum in modis existendi, qui, quia, quatenus tales, se totis diuersi sunt, confundi non potuerunt? Vides nos vnitatem voluntatis ad vnitatem essentiæ deduxisse. id quod mirandum non est: non enim voluntas diuina res est ab eius natura seu essentia diuersa.

VIII.

VIII. At, inquit, *impossibile planè est; vbi plures sint personæ ibi vnam numero essentiam esse.* Ego verò multò magis impossibile esse duco, plures numero diuinas essentias esse. Inde enim sequerentur absurda multa, verbi gratia, plures Deos esse, plura infinita, plures omnipotētes, plures sūmos, plures causas primas, plures fines vltimos. quid dico plures? immò infinitos. Item, posse Deum Deo repugnare: cur enim necesse sit, quod eorum deorum quilibet pro sua libertate velit, id reliquos omnes velle? Itē, Deum esse compositum Metaphysicis compositionibus ex genere & differentia, aut saltem ex specie & differentia indiuiduali, ex esse & essentia &c. Item, Deum non esse à se, non esse necessariò: non enim vlla esset necessaria connexio inter essentiam diuinam & hanc huius Dei differentiam indiuidualem & existentiam. hâc enim negatâ non continuò negaretur essentia diuina, quippe quæ absque illa differentia & existentia in alijs indiuiduis seu dijs conseruaretur. Item sequeretur, Deum non esse omnipotentem: plus enim plures dij possent quàm vnus. Item Deum posse pati: quid enim prohiberet eiusmodi Deos naturis diuersos in se inuicem agere? mitto reliqua.

IX. Sit, inquiet fortè aliquis, pluralitas naturarum diuinarum planè impossibilis. Eam Dei beneficio nemo nostrûm credit. At quandiu illud fixum manet, itidem *impossibile planè esse; vbi plures sint personæ, ibi vnam numero essentiam esse*, fieri non potest, quin hanc quoque pluralitatem personarum rejiciamus. At inquam, vnde habes hoc esse planè impossibile? è Scriptura? Id ex ea nulla arte elici potest? è Philosophia, vel ratione? Quomodo ea potest certò iudicare de eo quod non capit? aut quomodo ita insanit, vt putet se cum sit finita infinitum, cum sit exigua immensum capere posse, & suo tam curto pede metiri? Innumera sunt in natura, quæ esse certò scimus, quomodo sint nescimus, quæ miramur magis quam capimus, quæ si attentius introspicere conamur & penetrare, retunditur acies mentis nostræ, quæ si explicare volumus, hæret nobis aqua, spinisque difficultatum omni ex parte constringimur. Vocabula personæ, essentiæ, vnitatis numericæ, distinctionis realis, vix satis percipimus cum de hominibus dicuntur. Quomodo igitur illa perfectè caperemus, cum ab hominibus ad Deum, à rebus finitis ad infinitum translata & accommodata, modo, non amplius humano, sed diuino infinito

que, ac propterea nobis ignoto accipi debeant? Nos pueri sumus,
1. Cor. immò lactentes τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα ἐπιποθοῦντες, & de mysterijs
13. 11. istis tam sublimibus, quæ nunc per speculum in ænigmate cerni-
12. mus, pro nostro pucrili captu & modo loquimur. itaque mirum
1. Pet. videri non debet, si in modo concipiendi & loquendi nostro ali-
2. 2. quid sit imperfectionis, quod rationi nostræ facessit negotium. Quod non ideò à me dicitur, quòd aut minimè aut admodum difficulter solui posse videantur subtilitates illæ Aduersariorum, quibus sacrosanctam Trinitatem oppugnant: sunt enim illæ, vt jam aliquoties monui, vitro similes, quod leui ictu frangitur. Sed ideo à me dicitur, ne humanæ rationi, præsertim cum de Deo agitur, qui à nobis vti in se est cognosci nequit, nedum comprehendi, plus tribuamus quàm ipsi Deo in Scripturis loquenti, vt facere videntur Aduersarij qui falsis ratiocinijs fidentes audent contorquere verbum Dei.

X. Præmissa hac responsione tanquam velite, Socinus sese ad alias conuertit, & ad argumentum ductum ex plurali numero nominis Elohim Respondet, *apud Hebræos vsitatum esse, in nominibus pluralem numerum pro singulari vsurpare, præsertim verò in ijs, quæ imperium, dominationem, potentiam, gubernationemué aliquam declarant, vt patet in nominibus,* Adon & Baal, *quorum prius Dominum aut sustentatorem, alterum verò & dominum, & possessorem, & virum seu maritum significat. Quæ nomina licet planè appellatina, & in sacris literis frequentius hominibus, quàm Deo tributa, numero tamen plurali, præsertim verò prius, sæpissimè efferuntur, tunc etiam cum de vno homine est sermo.* Primùm autem id non fit nisi in duobus istis nominibus *Adon & Baal*, Deinde id raro fit cum de hominibus agitur, & cum id fit, potest ferè semper cur id fiat ratio reddi.

XI. Attulit Socinus pluralis *Adonim* in statu absoluto pro singulari positi exempla tria. 1. Reg. 22. ℣. 17. *Lo Adonim Laelleh*, Ad verbum, *Non domini illis*, id est inquit, *Non habent dominum.* At cur Deus eo loco pluralem numerum vsurparit causa erat grauis, quam quia non obseruarunt interpretes putarunt pluralem numerum positum fuisse pro singulari. Nimirum eo plurali significare voluit, nullum illis dominum esse vel fore qui exercitum in officio contineat & bellum inceptum persequatur: nam & statim extinctum iri regem, & nullum fore vel à rege con-

ſtitutum, vel ab exercitu electum ducem, qui rege extincto exercitum regat, & obſidionem Ramoth Galaad continuet. Itaque futurum eſſe vt abſque omni domino ſeu duce populus reuertatur, vt quiſque poterit, in domum ſuam.

XII. Eſai 19. 4. *Et tradam Ægyptum in manum Adonim Kaſchah*, id eſt, *dominorum duri*, *pro Domini*, inquit Socinus, *Dominorum dictum eſt*. At cur ſic Deus loquutus ſit cauſa eſt in promptu. Voluit enim innuere ſe traditurum Ægyptum in varias factiones diuiſam in manus plurium dominorum, qui ita numero plures erunt vt tamen duritie vnum ſint. contingit enim nonnunquam vt regis miniſtri, & qui ab eo prouincijs & vrbibus præficiuntur ſint duri cum ipſe rex ſit mollis & clemens, aut contrà vt rex durus ſit, molles præfecti: ſed cum & rex, & præfecti, & miniſtri regis omnes pariter duri ſunt & intractabiles, tum extrema eſt populi ſeruitus & miſeria, id autem eſt quod Deus Ægypto comminatur & prædicit eo loco Eſaiæ.

XIII. Malach. 1. 6. *Filius honorat Patrem, & ſeruus* Adonau *Dominos ſuos. Si ergo Pater ego* ſum, *vbi honor meus? ſi etiam* Adonim *Domini ego* ſum, *vbi eſt timor mei? In vno*, inquit Socinus, *& eodem verſu, & cum affixo, & in ſtatu abſoluto habetur idem nomen in numero plurali pro ſingulari*. Verùm quod Deus ſe plurali numero Dominos appellat, id argumentum noſtrum confirmat. Quod autem ſeruum dixit honorare dominos ſuos potius quàm dominum ſuum, factum eſt ab eo prudenter, vt vim augeret argumenti ſui. Erant enim ſæpiſſimè, vt obſeruatum eſt ſup. p. 324. §. 5. eiuſdem ſerui plures domini, paterfamilias, materfamilias, filius, & nonnunquam alius ſeruus. Omnes honorabat & timebat ſeruus. Si igitur, inquit Deus, ſeruus honorat & timet dominos ſuos herum, heri filium, heri vxorem, præfectum ſibi ab hero ſeruum &c, nullo excepto, Ego autem ſum Dominus, imò quicquid habetis dominorum, vbi eſt timor mei?

XIV. Verùm quicquid ſit de illis locis & ſimilibus, (nolim enim ea de re cum quoquam acrius contendere) illud negari non poteſt quod jam notaui, idem in alijs nominibus vſu non venire. Deinde ſi nomen *Adon* plurali numero vicies in Scriptura de vno homine dicitur, id pluſquam centies & vicies eodem numero vſurpatur de Deo. Immò plurale *Adonai* vnum eſt è nominibus Dei maximè proprijs. id quod mirabile eſt, ſi Deus nonniſi vnica eſt

persona, eum sibi aptasse, tanquam propria, nomina pluralis numeri, eoque numero magis quàm singulari delectatum fuisse. Subesse certè ea in re mysterij aliquid oportet, idque memorabile, quod tam frequenti pluralium istorum nominum *Elohim* & *Adonai* repetitione tam sæpe Deus ob oculos lectoris reponit. Id enim præ se fert aliquid veluti peregrinum, & à loquendi vsu aliquomodo abhorrens. Nulla enim alia vna, vel res, vel persona plurali nomine, tanquam proprio, gaudet. Mirum est profectò singularia *Eloah* & *Adon* de Deo rarò vsurpari, cum de eo pluralia Elohim & Adonai frequentissimè vsurpentur seu ipse de se, seu homines de eo, vel ad eum loquantur.

XV. Sed, inquit Socinus, Eloah, *quod est singulare nominis pluralis* Elohim, *quamuis* κατ' ἐξοχὴν *summi illius rerum omnium moderatoris potentissimi, quodammodo proprium factum sit, appellatinum tamen vere est nomen, non secus atque* Θεὸς *apud Græcos, & Deus apud Latinos, & iudicem siue gubernatorem, potentemque significat.* Vnde hoc habet? legitne alicubi in Scriptura singulare illud *Eloah* de iudice, gubernatore, aut potente homine vsurpatum? Quomodo igitur audet id affirmare, quod ne vno quidem exemplo firmari potest? Fortasse plurale Elohim de iudicibus seu gubernatoribus, potentibusque frequenter dicitur. Dicitur fortasse de illis, non quibuslibet, sed in terris supremis, quinquies aut sexies, cum plusquam vicies centies de Deo vsurpetur. Vtrum igitur ex quinque aut sex locis propria illius nominis significatio æstimari potius debet, quàm ex duobus locorum millibus, aut etiam pluribus, in quibus aliud significat? Quis ex eo quod nonnunquam leo pro forti & generoso, vulpes pro astuto & callido ponitur, concludat, duorum illorum nominum alterum fortem & generosum, alterum astutum & callidum propriè significare?

Ps. 18. 32. Esai. 44. 6. 9. XVI. Quod si vel singulare Eloah, vel plurale Elohim, iudices, gubernatores, aut potentes propriè significaret, Num illud vtrumque Deo Israëlis, tanquam proprium, vendicaretur in Scriptura, negareturque disertè, & sæpe vlli alij conuenire? Cum Deus primo Decalogi mandato populum suum vetat alios habere Deos, vetatne alios habere iudices, gubernatores, potentes? Nonne si ea esset propria nominis illius significatio, propriè loquendo iudices, præcipuè autem reges, Elohim, hoc est, dij appellari possent? Nemo tamen iudicum aut Regum Israëlis vel Iu-

dæ Deus appellatur in Scriptura, Nemo poteſt appellari ſine ſcelere. Si Iudices dicuntur dij in duobus aut tribus locis Scripturæ, id fit communiter non autem diſtributiuè, attributiuè, vt loquuntur, non ſubjectiuè, figuratè non propriè, ob quandam poteſtatis & autoritatis ſimilitudinem, vel etiam quia Deus cenſetur ſedere in medio eorum, & illi tanquam eius aſſeſſores, aut potius organa, eius nomine & cum eo iudicare; vt totus ille conſeſſus, quia Elohim in medio ſui habet, ab eo, quod eſt in eo præſtantiſſimum, Elohim appelletur: qua cogitatione nulla eſt aptior ad iudices, cum iudicant metu Dei implendos, & ad iuſtè iudicandum abſque vlla προσωποληψία animandos. Si nomina θεὸς apud Græcos & Deus apud Latinos appellatiua ſunt, id aliunde profectum non eſt, quàm à Græcorum & Latinorum errore putantium plures eſſe Deos, quo errore ſublato, tam propria euadunt quàm quæ maximè: quippe cum plures dii nec ſint, nec eſſe poſſint.

Pſ 81.
2. Chr. 19.6.7.

XVII. Hoc jacto fundamento tam debili Socinus aliam reſponſionem ſuperſtruit. *Quod ſi*, inquit, *pluralitatem aliquam propter pluralem numerum omnino ſignificari velimus, non perſonarum quidem, ſed gubernationum, & potentiarum pluralitatem, quæ in Deo animaduerti poſſunt, nomen* Elohim *ſignificabit. & quamuis vnus prorſus ſit, tamen quaſi eſſent plures potentes gubernatores, honoris gratia Deus eo nomine appellatus dicetur.* At primùm aliud eſt gubernator aliud gubernatio. Ponitur quidem nonnunquam abſtractum pro concreto, ſed concretum pro abſtracto vſurpatum legere me non memini. Qui dicit plures gubernatores dicit plures perſonas, plures verò gubernationes non dicit, niſi quatenus pluralitas gubernationum conſequens quoddam eſt pluralitatis perſonarum. Contingere autem poteſt vt ſint plures gubernatores potentes, cum tamen non ſit niſi vna gubernatio, vt videre eſt in regimine Ariſtocratico. Si igitur Deus pluralitatem gubernationum, & potentiarum præcisè, minimè verò gubernatorum & potentium, ſeu perſonarum, nomine aliquo pluralis numeri ſignificare voluiſſet, is vſus fuiſſet nomine aliquo abſtracto gubernationes & potentias, non autem concreto gubernatores & potentes, ſignificante.

XVIII. Taceo iſtum hominem videri gubernationes & potentias pro eadem re ponere, cum tamen & nominibus & re valdè

inter se differant. Illa enim ad modum actionis, hæc ad modum qualitatis concipitur, nec possunt ambæ vno communi nomine comprehendi. Illud tacere non possum, cum potentia quæ in Deo est sit ipsa essentia diuina, aut saltem cum ea reciprocetur, intelligere me non posse, quomodo multiplicari possit potentia diuina, non multiplicatâ naturâ diuinâ. Si dixeris, potentiam Dei cum sit infinita, æquipollere multis potentijs, idem de eius essentia, deque eius persona dici pariter potest. sunt enim non minus infinitæ quàm potentia. Quod si potentiam propter pluralitatem effectuum ad modum plurium potentiarum concipias, hæc pluralitas in mente tua erit, in Deo nullo modo, nihilque prohibebit quominus similiter Deum pro varietate eius actionum & relationum ad creaturas ad modum plurium personarum concipias, eiusque intellectum ad modum plurium intellectuum, voluntatem ad modum plurium voluntatum &c, & sic multæ erunt pluralitates, sed, vt dixi, in mente tua non in Deo, nec causa est idonea, quamobrem Deus ob eiusmodi pluralitatem appellari se voluisset nominibus pluralis numeri.

XIX. Hic Socinus obuiam ire conatur argumento, quod nos breuitatis studio vix attigimus. *Nec verò est*, inquit, *quod quis adhuc vrgeat, nomen numeri pluralis* Elohim, *de summo illo Deo simpliciter pro numeri singularis nomine vsurpatum non fuisse, quia aut verbis, aut adiectiuis nominibus pluralis numeri nonnunquam iunctum reperiatur. Verbis, vt Gen.* 20. 13. Hithu O hi Elohim, *Ad verbum* Errare me fecerunt dij &c. *Nominibus adiectiuis, vt Iosue* 24. 19. Non poteritis seruire Iehouæ, quoniam Elohim Kedoschim hu, *id est, dij sancti ipse. Animaduertendum enim est in istis, & si qui similes sunt loci, habitam fuisse rationem terminationis nominis* Elohim, *qua est numeri pluralis, & quamuis de vno tantùm sit sermo, nomina quoque & verba illi adiuncta fuisse pluralis numeri amplioris adhuc honoris gratiâ, quem præter modum Deo tribui nunquam contingere potest.* Primùm, quis credat habitam esse rationem terminationis potius quàm significationis, literarum quàm vis nominis, soni quàm rei? Deinde, cum eadem sit nominis illius pluralis terminatio vbicunque vsurpatum est, quî factum est, vt alibi nulla habita sit illius terminationis ratio? vbi enim eadem ratio fuit, cur nomini *Elohim* verba & adjectiua pluralis numeri adjungerentur, ibi quoque adjungenda illi fuerunt

ſiquidem ratio illa & bona eſt, & ſufficit. Cum certum ſit, Deum tantâ ſapientiâ Scripturam contexuiſſe, vt etiam Apoſtolus non dubitauerit argumentum ducere à conſtantia Dei in vſurpando numero ſingulari quoties de ſemine Abrahami in promiſſionibus ſuis loquitur, eſtne locus dubitandi, quin ſi voluiſſet, vt nomen illud Elohim crederemus ſola terminatione plurale eſſe, ſignificatione verò ſingulare, conſtans fuiſſet in adjungendis ei verbis & adjectiuis ſingularis numeri? Cur enim ab illa ſua conſuetudine in his locis, & ſimilibus quibuſdam diſceſſit, niſi vt ne ab ea poſſemus argumentum ducere, quo probaremus, Elohim, cum de Deo vſurpatur, non eſſe pluraliter accipiendum? Confirmauit enim nominis illius pluralitatem adjunctis verbis & adjectiuis pluralis numeri, quæ conſtat ſemper pluraliter in Scriptura accipi, quorumque cum terminatione ſignificatio conſpirat, quominuſque ſingulariter accipiatur nomen Elohim conjunctim reſiſtit. Gal 3. 16.

XX. Præterea meritò quæri poterit, cur Deus voluerit inter nominis ſui terminationem & ſignificationem intercedere repugnantiam? Nam ſi voluit nominis ſui ſignificationem eſſe ſingularem, cur non ei formam & terminationem dedit conſentaneam? quis huius diſſonantiæ vſus eſſe poteſt? Nonne ſuppetebat nomen ***Eloah*** ſingularis numeri, quo vti potuiſſet, necnon ***El***, ***Schaddai***, & ſimilia? Cur iſta ſignificationis & terminationis diſcordia ita delectatus fuiſſet, vt eâ totam ferè Scripturam Veteris Teſtamenti reſperſam eſſe voluiſſet? Cur eam etiam auxiſſet appoſitis verbis & adjectiuis, in quibus eiuſmodi pugna prorſus inſolens eſſet, quæque externa forma & terminatione aliud præ ſe ferrent, quàm quod reuera ſignificare deberent? Quis enim huius rei vſus eſſe potuiſſet, niſi ad decipiendos lectores, aut certè illos torquendos admiratione primùm, deinde inquiſitione cauſæ, quâ inuentâ nullum eſſet operæ pretium. nempe in plurali illo Elohim nihil reperirent præter inanem terminationem pluralem vacuam ſignificatione conſentanea, in pluralibus verò verbis & adjectiuis adjunctis nihil, niſi habitam eſſe rationem inanis illius terminationis nominis Elohim. En ſcilicet egregium operæ fructum! Dehoneſtant profectò iſti homines ea ratione Scripturam Dei, mirabili ſapientia vbique ſplendeſcentem.

XXI. Sed id fit, inquit Socinus, *amplioris honoris gratia.*

Egregius ſcilicet honor, in ſola plurali terminatione vocabulorum, prorſus inani, ſitus! Hunc ſcilicet honorem Deus expetit, poſitum in ſyllabis! Itaque, ne nimius videretur quàm vt poſſet conuenire Deo, Socinus addit, *quem præter modum Deo tribui nunquam contingere poteſt*. Hic ſcilicet honoris eſt exceſſus quidam & ſummus gradus qui, ſi poſſet honos tribui Deo præter modum, nimius eſſet. Non pudet eos qui profitentur religionem Chriſtianam ſic ſentire de Dei honore? Si honorificum eſt Deo vnicam eſſe perſonam, nec poſſe plures eſſe, quo id apertius ſignificatur ſiue nominibus, ſiue verbis, eo magis honoratur: quia id exprimitur in quo ſita eſt eius gloria. minùs vero honorari videtur, cum id quod ei gloriæ opponitur, ei in ſpeciem tribuitur nominibus & verbis numeri pluralis. Tum etiam ab hominibus afficitur honore, cum & de eo rectè ſentiunt, & fidei internæ verba externa conueniunt, eamque apertiùs exprimunt. Si igitur piorum ea fides & fuit & debet eſſe, vnicam eſſe diuinam perſonam, non plures vllo modo, majori honore afficitur Deus, cum nominibus & verbis ſingularis numeri fidem iſtam ſuam profitentur, & conuenienter exprimunt, quàm cum vtuntur nominibus & verbis ſuæ iſti fidei in ſpeciem repugnantibus, pluralitatemque perſonarum in Diuinitate innuentibus.

XXII. Cum etiam controuerſia eſſet maximi momenti illis temporibus inter fideles & idololatras, vtrum eſſent plures dij, necne? negarentq; fideles, affirmarent idololatræ, non eſt exiſtimandum, Deum eo modo loquendi magis honoratum fuiſſe qui ad errorem idololatrarum magis accommodatus videri poſſet, quàm ad veram fidem. Non potuiſſet enim Abrahamus loqui magis ad errorem Gentium accommodatè, quàm fecit, cum dixit, *cum dij errare me fecerunt à domo patris mei*. Conſilium igitur ſacri autoris, cum ſic ſe expreſſit, non fuit, vſurpare pluralem de Deo numerum amplioris honoris gratia, ſed inſtinctu Spiritus ſancti id fecit, vt notam quandam ibi poneret, vnde ſuo tempore agnoſci poſſet Veteris Teſtamenti cum nouo in aſſerendo dogmate de Trinitate conſpiratio.

XXIII. Obſeruat Socinus non deeſſe, *qui prius illud teſtimonium Gen.* 20. 13. *de Angelis interpretentur, quorum miniſterio Deus, in alloquendo atque è paterna domo educendo Abrahamo, vſus fuiſſet. Cui ſimile eſt illud eodem libro cap.* 35. ℣. 7. Nam ibi apparuerant

ruerant

ruerant ei dij *&c. quem locum non pauci de angelis loqui affirmant.* Quod autem ad prius illud testimonium attinet, quicunque illi sint qui ita sentiunt, falli mihi videntur. Primùm enim causa nulla est, cur per Elohim eo loco Angelos intelligamus: vsurpantur enim alibi verba pluralis numeri de ipso Deo. Deinde cur Deum ipsum intelligamus causæ sunt idoneæ. Primò consensio horum Abrahami verborum cum eius ipsius historia, in qua qui ei apparuit, qui iussit è domo paterna egredi, qui eum errare fecit in terra Canaam, & modo ad Aquilonem, modo ad meridem, modò ad ortum, modò ad occasum progredi, is perpetuò Dominus seu Iehoua appellatur, idemque est qui fœdus cum eo ferit, & semen benedictum promittit. Deinde, cum certum sit ipsum Deum errare fecisse Abrahamum per terram Canaam, non sit verissimile, Abrahamum maluisse id, angelis quàm Deo ascribere, aut Deo adjunxisse Angelos, tanquam qui, & eiusdem speciei essent cum Deo, & cum eo eius è domo paterna errationis autores.

XXIV. Adde quod constat ex Gen. 22. 11. 12. reuera duas personas autores fuisse Abrahamo, vt sic per Canaam erraret, quarum vna appellatur simpliciter Iehoua, altera, vt ab illa distinguatur, Angelus Iehouæ, sed tamen ita Angelus, vt idem fuisse Deus seu Iehoua non obscurè significetur. *Ecce*, inquit Moses, *Angelus Domini de cœlo clamauit ad eum dicens, Abraham, Abraham. Qui respondit, Adsum. & ille ait, ne mittas manum tuam in puerum, neque facias illi quicquam, quia iam cognoui quod tu timeas Deum, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me.* dicendo *propter me* significat se illum fuisse qui hoc præceperat Abrahamo, & cui voluit Abrahamus filium suum immolando obedire, & rem gratam facere. Is autem sine dubio est Deus. Non enim existimandum est, Abrahamum voluisse vnigenitum suum immolare in honorem meri angeli, aut vsque adeò amauisse certum quendam angelũ creatum, vt propter eum non pepercerit filio dilecto suo, aut commendari hoc loco eius amorem erga angelum, & non potius erga Deum in quem crediderat, & quem sciebat posse mortuos suscitare. Heb. 11. 19.

XXV. Ad alterum verò locum Gen. 35. V. 7. quod spectat, *Nam ibi apparuerant* (vel potius *reuelati fuerant*: est enim Heb. נגלו) *ei dij* &c. per *Elohim, deos*, non esse intelligendos angelos

multa suadent. Primò, quod Angeli quidem apparuerant ibi Iacobo, sed tantummodo vt nuntij Dei, non verò sub ea forma ob quam Elohim appellari possint. Sic enim reuelatio illa narratur Gen. 28. 12. *Et somniauit, & Ecce scala stans in terram, & summitas eius pertingebat ad cœlum, & ecce angeli Dei ascendebant & & descendebant per eam, & ecce Dominus stabat super eam, & dixit, Ego Dominus, Deus,* (heb. Elohe, dij) *Abrahami patris tui* &c. Scala illa fuit Christus, eodem Christo teste Ioh. 1. 52. *Ab hoc tempore videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis.* hoc est, vos re ipsa videbitis id ipsum quod Patriarcha Iacobus vidit per somnium. Ego sum illa scala quæ cœlum iungit terræ. Ego is sum cuius beneficio communicatio est inter Deum & homines, & cuius vi Angeli seu nuntij Dei descendunt ad homines & ab his remeant ad Deum. Absque me foret, nulla esset inter cœlum & terram, Deum & homines pax, communio, commercium. Non enim vult significare Dominus à se nuntios seu angelos ad Deum mitti, & à Deo ad se: Intercedit enim inter Patrem & Filium immediata prorsus communicatio, neque opus habet Filius, vt veniant ad se à Deo nuntij: ita enim in terra erat, sicut ista scala quam Iacobus vidit, vt simul esset in cœlo, quemadmodum ipse testatur disertis verbis Ioh. 3. 13. Erat ipse in Patre & Pater in ipso, & quidem ita, vt alter absque altero videri non posset, essentque vnum. Itaque scala illa non erat terminus à quo, vel ad quem ascensionis & descensionis Angelorum, sed medium & causa, & id quo omnis illa communicatio nitebatur, habebatque in vna extremitate Iacobum dormientem, & in altera Deum loquentem ac promissione beneuolentiam suam testificantem. nempe Christus quatenus eiusmodi est scala habet in vna sui veluti extremitate se hominem verum Iacobum duodecim patriarcharum Ecclesiæ Christianæ parentem, somno mortis sepultum in terra, & in altera se verum Deum loquentem ac promittentem è cœlo hæreditatem cœlestis Canaam illis, qui per fidem in eius mortem cum eo consepulti sunt, & cum eo resurgunt, vt in nouitate vitæ ambulent à domo paterna exulantes, & versus patriam cœlestem fugientes. ac propterea non considerantur hoc loco Angeli vt dij, sed simpliciter vt angeli, hoc est, nuntij, qui ascendunt ad cœlum & descendunt de cœlo beneficio scalæ, quâ nituntur, quæque eos su-

stinet, & sine qua ipsi, vt ita loquar, caderent propria infirmitate, nec angelorum seu nunciorum functiones obire possent inter cœlum & terram, seu Deum & homines.

XXVI. Sed redeamus ad locum Gen. 35. 7. is sic habet, *Et ædificauit ibi altare, & vocauit locum El Beth-El, quoniam ibi ei reuelati fuerant dij, cum fugeret à facie fratris sui.* Primùm igitur Iacobus extruxit altare: solent autem altaria extrui ad cultum, non Angelorum, sed Dei. Deinde nomen imposuit loco *El Beth-El*, id est, *Deus Domus Dei*: potest autem domus vel nominatiui casus esse per appositionem, vel genitiui. Idem locus eodem capite ℣. 15. ab eodem Iacobo appellatur simpliciter Beth-El, id est, Domus Dei. Quomodo potuit locus ille Domus Dei esse & Deus, nisi typicè? Cuius autem rei fuit typus? Annon illius, quæ simul & templum seu domus Dei est, & Deus, in qua est scala terram cum cœlo iungens, & altare super quo Deus colitur? Ea autem alia esse non potest quàm Christus, qui idem est templum seu domus in qua corporaliter habitat omnis plenitudo Deitatis, & scala cœlum copulans cum terra, & altare absque quo frustrà colitur Deus, & Deus, verè, inquam, & propriè Deus, immò Deus domus Dei, hoc est, Ecclesiæ suæ, necnon cœli. Sic paulò antè Gen. 33. ℣. 20. idem Iacobus erexerat altare, illudque vocauerat *El Elohe Israël*, id est, *Deus, Deus Israël*, cuius typi veritas alibi quæri non debet quàm in Christo, qui solus est verum altare. id quod Deo patri conuenire non potest. Non me fugit esse qui hunc postremum locum vertant aliter, nempe sic, *& inuocauit ibi Deum fortem Israëlis*, sed primùm לו in verbis ויקרא לו non potest significare *ibi*: est enim sine dubio datiuus singularis pronominis tertiæ personæ הוא. Verbum autem קרא sequente datiuo non significat inuocare, sed vocare, appellare. Deinde si seponas illud לו, supererunt verba ויקרא אל אלהי ישראל quæ nihil poterunt significare, nisi vocauit Deum Deum Israelis. Qui sensus non est appositus.

XXVII. Cur autem ibi Iacobus altare ædificauerit, & locum appellauerit El beth-el, id est, Deum, Domum Dei, ratio redditur verbis sequentibus, *Nam ibi apparuerant ei dij, cum fugeret fratrem suum.* Quæ ratio, si per Elohim qui illi apparuerant Deus intelligitur, optima est, vti quilibet videt; si vero intelliguntur Angeli, minus est apposita. Vocauit locum Domum Dei. Quid

ita? Quia ibi Angeli Dei ipsi apparuerant. Ratio videtur minùs firma: possunt enim Angeli in eo loco apparere, qui non sit domus Dei. At apparuerunt ascendentes & descendentes per scalam, id quod domum arguit, nec alius quàm Dei. Itaque cum euigilasset exclamauit Iacobus, *Quàm terribilis est locus iste? Iste nihil est nisi Domus Dei, & ista est porta cœli.* Fateor sic quidem rectè colligi: sed hoc pacto considerabuntur Angeli Dei, non vt dij, aut vt domini domus, sed tantùm vt famuli. Quo respectu non videntur appellandi fuisse Elohim seu dij. Hoc primum. Deinde sic ratio nulla reddetur, cur locum appellauerit non modo Domum Dei, sed Deum Domus Dei, vel Domum Dei: Nam quæ hæc est ratio, locum appellauit Deum, Domum Dei: quia ibi ei apparuerant Angeli Dei? Ea vero optima est, vocauit locum Deum, Domum Dei, quia ibi personæ diuinæ ei reuelatæ fuerant; sic nimirum, vt earum vna esset simul & Deus, & Domus Dei, & scala cœlum cum terra iungens: quam rem non potuit Iacobus conuenientiore nomine notare, nec cur sic notata fuerit, conuenientiorem rationem Moses reddere.

XXVIII. Huc accedit, quod necesse est per Deos qui apparuerant Iacobo, vel Deum Israelis, vel Angelos, vel simul Deum Israelis & Angelos eius intelligere. Primum si dicitur, id ipsum est quod nunc probatum volumus. Secundum dici non potest: primò quia ibi non solùm Angeli Dei, sed ipse etiam Deus Iacobo apparuerat: qui eò minùs prætermitti hoc loco debuit, quòd, & ei altare illud Iacobus extruxerat, & nomen *El* singulari numero de eo solo vsurpatur in Scriptura, & Deum quàm Angelos apparere multo majus est beneficium, & nomen Elohim de eo sine vlla comparatione frequentiùs dicitur, quàm de Angelis. Tertium pugnat cum versione, *Nam ibi ei apparuerant Angeli.* Deum enim Angelorum nomine, quasi de eorum numero esset, comprehendere non est rationi consentaneum. Sed neque etiam confundi Deus debet cum Angelis, ipsum eosque simul vno isto Deorum nomine, tanquam eodem sensu communi, intelligendo. Id enim est Angelos Deo aliquomodo æquare, & opinioni de pluribus Dijs non obscurè fauere. Non igitur verti debent ista verba, נגלו אליו האלהים *apparuerant ei Angeli*, sed, vt vertit ipse Vatablus, *apparuerat ei Deus.* Quæ versio cum eius annotatione ad marginem, *apparuerant ei Angeli*, (siquidem interpretatio est, &

non potiùs additio, etiam Angelos ei apparuisse) pugnat apertè.

XXIX. Objicit nobis Socinus, Elohim, quamuis de vno tantùm sermo esset, prolatum tamen fuisse numero multitudinis ab ijs, qui veri Dei cognitionem non habebant, quique pluralitatem aliquam personarum in vno Deo ne somniabant quidem. Nempe illi secuti sunt morem loquendi Hebræorum, qui nomen illud Elohim numero multitudinis de Deo Israelis, quem vnum esse profitebantur, vsurpare soliti erant, ipso Deo autore & comprobante. Quid hoc obest argumento nostro, quod non ducitur ab autoritate, aut cogitatione hominum nomen Elohim vsurpantium, sed Dei ipsius, qui non sine graui causa nomen pluralis numeri sibi ipse imposuit, eoque magis, quàm alijs nominibus delectatus est?

XXX. Objicit etiam nobis Caluinum, qui in explicatione horum verborum, *In principio creauit Deus*, &c. parùm solidam sibi videri tantæ rei probationem, quæ ex nomine Elohim pluralis numeri duci solet, apertè significat. Quæ obiectio primùm aliena est ab hac controuersia, in qua Aduersarij nullam admittunt autoritatem præter diuinam sacrarum literarum, ac propterea etiam nos ab omni aliorum librorum laudatione abstinuimus. Magno quidem est in pretio apud nos Caluinus merito suo, sed tamen in eius verba non iurauimus. Vnicus est doctor noster Christus, qui per Apostolos suos doctrinam suam perscribi curauit, & per Spiritum suum, eam cui, & quando, & quantum vult reuelat. Deinde (quod fortasse prima fronte mirum lectori nostro videbitur) idem sentimus cum Caluino. Non enim ex eo quod nomen Elohim est pluralis numeri colligi posse arbitramur, vbicunque vsurpatur de Deo, siue in primo capite Geneseos, siue alibi, id perpetuò tres personas notare. Fatemur enim vltrò, id modò Patrem, modò Filium, modò Spiritum sanctum, pro locorum circunstantijs, significare.

XXXI. Quod ergo, inquiet aliquis, est tuum ex hoc nomine argumentum? Aut quomodo potes ex eo plurali personarum diuinarum pluralitatem colligere, quod de vnica persona vsurpari potuit, & reuera vsurpatur nonnunquam? Id quidem initio Disp. XXXVII. exposui, sed vereor ne breuis esse laborans obscurus fuerim. Explicabo igitur quod tum dixi paulò clarius & vberius.

Argumentum sic concipi potest. Si plurale nomen Elohim diuinitus impositum est Deo ob pluralitatem personarum diuinarum, necesse est esse plures personas diuinas. Non enim Deus illud nomen sibi ipse imposuit ob rationem falsam & absurdam. Atqui plurale nomen Elohim diuinitus impositum est Deo ob pluralitatem personarum diuinarum. Ergo necesse est esse plures personas diuinas. Negabunt sine dubio Aduersarij minorem. Ea igitur probanda nobis incumbit.

XXXII. Primùm autem non negabunt, plurale illud nomen impositum fuisse Deo significando. Id enim Deus in Scriptura sibi tribuit frequētissimè, immò priùs & frequentius, quàm vllum aliud ex suis nominibus, quorum nullum, præter plurale istud & eius singulare Eloah, (sine vlla comparatione minus vsitatum quàm plurale) Deum, quatenus talis est, si mihi ita loqui liceat, species Entis, significat: El enim interpretantur Fortem, Schaddai Omnipotentem, Adonai Dominum, Eljon supremum vel excelsum, Hu Ipsum, Ehjeh propriè est Ero, Iehouah Erit, Iah est Iehouah contractum, solum plurale istud Elohim & eius singulare Eloah propriè est Deus. Quod enim affirmauit Socinus hoc nomen significare potentes, gubernatores, iudices, id ab eo sine vlla prorsus ratione dictum est. Nullum certè nomen est quo melius exprimatur apud Græcos quàm θεὸς & apud Latinos quàm Deus.

XXXIII. Non negabunt etiam, opinor, plurale istud nomen Deo impositum fuisse ab ipso Deo, non autem ab hominibus. Primùm enim lingua Hebræa omnium linguarum prima est, confessione omnium Iudæorum & Christianorum, id quod nomina imposita à Deo diei, nocti, cœlis, terræ, mari, Adamo, &c, ab Adamo Euæ, ab Eua Caino & Setho, ab alijs Patriarchis filijs suis, abundè testantur. Ac propterea Deum habet singulari quadam ratione autorem. Quanquam etiamsi prima non fuisset, sed vna ex illis, quas Deus tunc creauit, cum hominum turrim Babel extruentium linguam confudit, tamen non posset alij, quàm Deo, autori ascribi. Itaque siue prima lingua sit, siue non sit, Deus huius suæ nominationis autor fuit. Deinde impositio nominum argumentum est autoritatis eius qui imponit in eas res quibus imponit. Qua propter Deus voluit Adamum nomina imponere cum Euæ vxori, tum alijs animalibus quorum dominum eum constituerat: præcipuis verò huius mundi partibus cœlo, terræ, mari, luci, te-

nebris, noluit Deus nomina imponi ab Adamo, ſed ipſe has partes ſibi reſeruauit, vt intelligeret Adamus, non ſe, ſed Deum mundi dominum eſſe. Quis igitur credat Deum voluiſſe ſibi Adami & totius mundi domino nomen ab Adamo pro illius arbitrio imponi?

XXXIV. Fortaſſe, inquiet aliquis, Deus ſibi nomen impoſuit Eloah ſingulari numero, cuius plurale Elohim non tam diuina impoſitione quàm hominum conſuetudine, præſertim eorum qui plures Deos eſſe putabant, paulatim vſurpari cœptum eſt de Deo. Quominus ita ſentiamus obſtat Moſes, vel potius Deus, qui mundi creationem deſcribens, & colloquium Euæ cùm ſerpente, necnon varios ſermones primorum Patriarcharum referens plurali Elohim & primùm & frequentiſſimè vtitur, ſingulari Eloah nunquam. Hoc enim ſingulare non comparet in quatuor primis libris Moſis, nec in quinto ſeu vltimo extat, niſi verſus finem, ac bis tantummodo; Et, ſi Iobi librum excipias, in quo legitur quadragies, vix in tota Scriptura vicies occurrit. Ex quo intelligi poteſt, rarum fuiſſe apud Iſraelitas ſingularis illius vſum, & iam ab initio mundi à primis parentibus vſurpatum fuiſſe plurale Elohim Deo ſine dubio autore, qui non tam ſeſe & ipſe nominauit, & ab hominibus nominari voluit ſingulari numero Eloah, quàm plurali Elohim. Non eſt autem quod quis reponat, Deum ſe nominaſſe potius Iehouam. Primùm enim id non obſtat quominus ab initio ſeſe & ipſe appellarit, & ab hominibus appellari voluerit, & appellatus fuerit, Elohim. Deinde nomen Iehouah non ſignificat Deum: alioqui quicunque Deus diceretur, diceretur etiam Iehouah: ſed eſt proprium nomen Dei Iſraelis, quo ab omnibus alijs dijs diſtingui voluit; ac propterea, quamuis omnes dij gentium dij appellarentur, tamen eorum nemo Iehouah vocabatur. Cum enim Gentium dij propria nomina haberent, quibus à ſe inuicem diſcernerentur, voluit etiam Deus ſeſe à dijs gentium proprio nomine diſcerni, quod nomen vulgò legunt Iehouam. Itaque Moſes, cum Deus ſeſe Elohim appellaſſet, intelligens nomen Elohim tanquam commune, Gentium dijs tribui ſolere, proprium nomen ſcire voluit, quo Deus Iſraelis ab Ægyptiorum dijs internoſci poſſet, Exod. 3.13. Ex dictis, vt ego arbitror, ſatis manifeſtum eſt, plurale iſtud Elohim diuinitus Deo ſignificando impoſitum fuiſſe.

XXXV. Impoſitum eſt autem ſine dubio non temerè & ſine ratione, ſed prudenter admodum, & ob rationem aliquam memo-

rabilem. Id quod etiam ab Aduersarijs negatum iri non puto. Cum enim homines rei singulari nomen pluralis numeri imponere non soleant, præsertim cum res est vna per se & simplex, causam subesse oportet grauem, cur Deo qui naturâ sua maximè singularis est, & vnus, & simplex, nomen impositum fuerit pluralis numeri. Videbatur enim vnitati naturæ diuinæ conuenire magis numerus singularis quàm pluralis. Cur igitur in nominando Deo pluralis numerus antepositus sit singulari, & quidem ab ipso Deo, causam aliquam esse necesse est dignam nostra inquisitione. Non enim id potuit Deo excidisse imprudenti.

XXXVI. Accedat lector ad legendam Scripturam vt Dei cognitionem adipiscatur, qua nihil potest esse optabilius homini. Occurret ei statim in primo capite, in primo versu plurale istud Elohim. Putabit autem sine dubio hoc nomen sibi ante omnia expendendum esse. Non nihil enim ad rei nominatæ cognitionem conferre solet nominis prudenter impositi consideratio. Agnoscet igitur statim, & mirabitur, nomen esse pluralis numeri, huiusque rei causam inquiret. Animaduertet etiam nomen illud plurale construi cum uerbo singulari, quam anomaliam mirabitur esse tam frequentem, plusquam enim tricies recurrit in primo capite Scripturæ. Vbi autem ad secundum accesserit, augebit admirationem huius nominis pluralis cum singulari Iehouah frequens coniunctio. Ita enim duæ res quæ simul consistere non posse videntur simul copulantur, vnitas & multitudo, singularitas & pluralitas. Fit autem ad istam admirationem accessio aliqua ex rei huius insolentia. Quæ enim alia res, vna per se cum sit, gaudet nomine plurali? Quæ alia res solet significari nomine plurali ferè perpetuò constructo cum verbo numeri pluralis? Quæ alia res solet duobus nominibus coniunctis appellari, quorum vnum sit numeri singularis, alterum pluralis? Quis credat diuino auctori ista excidisse temerè & sine ratione? Quis non agnoscat ea in re aliquid mysterij latere?

XXXVII. Noli mihi objicere pluralia, Adonim, & Baalim. Illa enim non sunt nomina vni alicui rei singulari imposita. Illa significant formaliter relationes, quæ sunt in vno homine non rarò plures, quæque respectu eiusdem serui potuerunt esse, & diuisæ inter plures dominos, & veluti collectæ & multiplicatæ in vno. Illa non solent ferè semper construi cum verbo singularis numeri.

Illa

Illa non iunguntur cum nomine singularis numeri, vt duobus eiusmodi nominibus, vno singulari altero plurali, tanquam nomine proprio, res aliqua singularis significetur. Illa non dicuntur de vno homine frequenter,& modò sine modò cum affixis; sed,& rarò, & non sine affixis; ac nisi plures essent domini, pluralia illa in rerum natura non extitissent. Illa denique pluralia nemo de seipso, aut de eo quem alloquitur vsurpat in Scriptura, sed tantùm de tertio.

XXXVIII. Cùm igitur id factum non sit nisi ob grauem aliquam causam, in eam diligenter inquirendum est. Non enim id frustrà Deus nobis ob oculos constituit,& quidem tam sæpè. Id factum fuisse dicunt Aduersarij honoris causa. Afferunt-ne probationem aliquam? nullam prorsus. Iudæos ea in re sequuntur malè sentientes. Id jam à nobis,& quidem bis, refutatum est. Nec potest firmari exemplo modernarum linguarum, non modò quia ex illis æstimari non debet antiqua illa, & iam inde ab initio mundi vsurpata lingua Hebræa, sed etiam quia nihil est simile. Agitur enim de nomine plurali Deo, & quidem ante omnia alia nomina imposito. Est-ne in vlla lingua mos vni rei singulari nomen plurale imponendi honoris causa? tantum abest vt id fiat, vt ne quidem quisquam honoris gratia appellari soleat nomine plurali. Omnis iste honos in verbis & pronominibus poni solet, nunquam in nomine, quo compellatur,nisi fortè cum vtimur nomine abstracto. Hîc autem contrà est. Verba & pronomina sunt ferè semper singularis numeri, nomen pluralis. Deinde vtimur plurali numero aut de nobis ipsis, aut de eo quem compellamus, aut de tertio. De nobis numero multitudinis loquimur, non honoris, sed modestiæ causa. Etiam reges, (qui nunquam se nomine pluralis numeri appellant) cum verba de se & pronomina pluralia vsurpant modestiùs loqui videntur, duriùs & majori cum ostentatione auctoritatis cum vsurpant singularia. Alios verò compellamus verbis & pronominibus numeri pluralis honorandi eos gratia: At cum de illis in tertia persona loquimur, nunquam vtimur plurali. Hîc verò fit aliter: nam quicunque loquuntur, seu Deus de semetipso, seu homines de Deo, vel ad Deum, illi in Scriptura plurali nomine Elohim vti solent constructo cum verbis & pronominibus singularis numeri. Id quod ab earum linguarum, quæ hodie obtinent, consuetudine valdè abhorret. Nomina etiam Adon & Baal,

vt iam obseruaui, non vsurpantur numero multitudinis de vno homine nisi in tertia persona. Nemo alium hominem nominibus illis compellat numero plurali. Solus Deus nomine plurali Adonai compellatur in Scriptura. Id eius proprium est. Adiunguntur autem illi plurali verba & pronomina singularis numeri.

XXXIX. Denique in hodiernis linguis vernaculis, quos honoris causa compellamus, adhibitis, non iam nominibus, (id enim per absurdum haberetur.) Sed verbis & pronominibus pluralis numeri, eos perpetuò eodem modo compellamus. Si igitur honoris causa & nomina, & verba & adiectiua & pronomina vsurparentur de Deo numero plurali, id semper fieret, aut saltem frequentissimè: semper enim honorandus est Deus, loquendumque & de eo, & ad eum admodum honorificè. Nam si eiusmodi pluralibus honore afficitur Deus, priuatur is profectò debito honore, cum de eo, vel ad eum loquimur vsurpato solo singulari numero, & mirum est eiusmodi honore eum fuisse in Nouo Testamento à Christo, ab Apostolis & Euangelistis, à tota Ecclesia primis post promulgatum Euangelium seculis omnino priuatum. Non est autem quod quis hoc argumentum existimet in nos ipsos posse retorqueri, hoc pacto. Si nomina, verba, pronomina & adiectiua, ob pluralitatem personarum diuinarum plurali numero vsurpantur de Deo, ea eodem illo numero vsurpanda fuerunt de Deo aut semper, aut sæpissimè ob eandem illam causam: quoniam semper pluralitas personarum conuenit Deo. Non enim par est ratio. Nam honorandus est Deus semper. Nunquam de eo loquendum est aliter quàm honorificentissimè. Nunquam homines eum alloqui debent nisi cum summa reuerentia, summo honore. At non fuit necesse dogma de Trinitate personarum diuinarum vbique inculcari. Satis fuit illud certis locis modò apertiùs doceri, modò obscuriùs insinuari, prout visum fuit sapientiæ diuinæ mysteria religionis Christianæ in Veteris Testamenti varijs locis variè reuelare.

XL. Iam igitur, opinor, constat, Deo nomen Elohim plurali potius quàm singulari numero tributum fuisse, non simpliciter honoris causa, sed ob aliam causam, quæ alia esse non potest quàm pluralitas quædam. Quid enim aliud significari possit numero plurali quàm pluralitas? Non enim differt à singulari nisi pluralitate. Dent nobis Aduersarij si possunt aliam causam, ob quam plu-

ralis numerus potius quàm ſingularis tribuendus Deo fuerit. Nulla profectò alia animo concipi poteſt. Ob quam igitur pluralitatem Deus plurali numero appellari potuit & debuit Elohim? Profectò ſic appellari non potuit ob aliam cauſam, quàm ob pluralitatem perſonarum.

XLI. Primùm enim alia nulla pluralitas idonea cauſa eſſe potuit huius appellationis. Non pluralitas relationum. Relationem enim nomen Elohim non ſignificat. Alioqui Deus non fuiſſet ab æterno Elohim, id eſt, Deus. Antecedit etiam iſta Dei appellatio in Scriptura omnem creaturæ ad quam Deus referri potuiſſet mentionem. vocatur quidem Deus Abrahami, Iſaaci, & Iacobi, Deus Iſraëlis, Deus exercituum, ſed quemadmodum nemo inde colliget, Abrahamum, Iſaacum, Iacobum &c, propriè loquendo eſſe correlata, ſic nemo colligere poterit, Elohim ſeu Deum eſſe relatum. Sic cum aliquis in Scriptura dicitur homo Dei, ineptus eſſet, qui inde confici poſſe putaret, hominem ſignificare relationem. Adde quod nemo vnquam ob pluralitatem relationum plurali nomine appellatur. Erant Dauidi plures filij filiæque, Salomoni plures vxores, Regi Perſarum plura regna, num propterea vocati ſunt plurali numero Dauid patres, Salomon mariti, rex perſarum reges? Nimirum patres, mariti, reges, aliaque relationum nomina, vt loquuntur, concreta, pluralitatem ſignificant non relationum, ſed perſonarum in quibus relationes inſunt.

XLII. Idem dicendum eſt de multitudine operationum. Nam neque nomen Elohim formaliter operationē ſignificat, neq; multitudo operationū efficere poteſt, vt plurali nomine quiſquam vnus & ſingularis aut appelletur, aut appellari poſſit. Itaq; nemo ob multitudinē creationū Deum appellauerit creatores, aut ob multitudinem iudiciorum iudices, aut ob multitudinem actionum cauſas vel agentes. Nimirū nomina illa & ſimilia non ſignificant pluralitatem operationum, ſed eorum, vnde operationes proficiſcuntur.

XLIII Idem etiam exiſtimandum eſt de multitudine potentiarum aut proprietatum. Non puto Elohim formaliter ſignificare potentiam, ſed deitatem: ſic enim apud Græcos nomen θεὸς ſignificat θεότητα, & apud Latinos nomen Deus ſignificat deitatem. ſed fac ſignificare potentiam, vt loquuntur, in concreto, quemadmodum qui potentem dicit ſingulari numero, perſonam

dicit præditam potentia; sic qui potentes dicit plurali numero, personas dicit præditas potentia. Perpetuò eiusmodi nomina, cum numero multitudinis efferuntur, multitudinem seu pluralitatem significant suppositorum seu personarum. Itaque Deus sibi potius abstractum nomen indidisset quàm concretum, si eius plurali pluralitatem potentiarum, aut actionum, aut relationum significare voluisset.

XLIV. Deinde hoc ipsum sic potest confirmari. Quam rem nomen aliquod in singulari numero significat, eius rei pluralitatem idem nomen in plurali numero significare necesse est, siquidem retinet nomen plurale singularis sui significationem. Atqui nomen Eloah in singulari numero significat personam diuinam. Ergo idem nomen in plurali numero significare necesse est pluralitatem personarum diuinarum. retinet enim sui singularis significationem, nihilque ei addit præter pluralitatem. Eodem, inquiet aliquis, argumento probabo plurale Elohim significare pluralitatem Deorum. Nam si singulare significat Deum, certè plurale significat Deos. Prius autem est verum. Ergò & posterius. Quid autem, inquam, intelligis per Deum? Nonne personam diuinam? personam præditam natura diuina? Ergo per Deos intelligis personas diuinas, personas præditas natura diuina. Hactenus igitur objectio ab argumento nostro nihil differt. Iam autem personæ diuinæ seu diuina natura præditæ duobus modis concipi possunt: vno tanquam præditæ diuersis naturis: altero, tanquam præditæ eadem natura. Cum de dijs gentium agitur, quoniam illi tanquam personæ diuersis naturis præditæ concipiebantur, significat singulare Eloah, Deum, hoc est, personam ab omni alia persona diuina diuersam naturâ, ac propterea plurale Elohim significat plures personas diuinas naturis diuersas, id est, plures Deos. At cum de personis verè diuinis agitur, quoniam illæ concipi debent tanquam præditæ eadem natura diuina, significat singulare Eloah Deum, hoc est, personam præditam diuina natura, non diuersâ ab ea, qua præditæ sunt aliæ personæ diuinæ, sed eâdem, ac propterea plurale Elohim significat plures personas eadem diuina natura præditas. id quod non est significare plures deos, sed plures personas quæ sint vnus Deus. Illud igitur negari non potest, nomen Elohim plurali numero aliam pluralitatem significare non posse quàm personarum,

siue personæ illæ naturis diuersis præditæ sint, siue eâdem. Plures autem duabus personas illas esse necesse est: Elohim enim duale non est, sed plurale.

XLV. Accedit ad superiora hoc quoque argumentum, quod cum hoc nomine res ipsa conspirat. Apparent enim in Scriptura plures personæ diuinæ, & quidem in ipso primo libro Mosis. Non reponam hoc loco ea loca & argumenta quæ jam laudaui. Gen. cap. 16. ℣. 10. *Dixit ad eam Angelus Domini: multiplicando multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine.* Hîc duæ apparent personæ distinctæ. vna vocatur Dominus, vulgò Iehoua. altera Angelus Domini. Prior sine dubio est persona diuina. Posteriorem etiam personam diuinam esse probant; Primò eius verba, *multiplicando multiplicabo semen tuum.* quis enim ita loqui verè possit, præter vnum Deum naturæ & gratiæ authorem? Deinde verba Agaris ℣. 13. *Et vocauit nomen Domini* (Iehouæ) *loquentis cum ea Tu Deus* (Heb. *El*) *vides me.* Qui igitur cum ea loquebatur idem Angelus Domini erat & Dominus ac Deus. Sunt ergo plures personæ communi nomine Domini & Dei præditæ.

XLVI. Confugient-ne iterum Aduersarij ad suam illam responsionem iam aliquoties à nobis refutatam, Angelum illum sustinuisse personam Dei, itaque & Deum & Dominum appellatum fuisse; necnon ita locutum, ac si reuera fuisset Deus. At quid erit tam disertum tamque perspicuum quod non possit ea ratione eludi? Aut quo argumento poterit persona aliqua probari diuina esse, si tam, vt loquuntur, formalia & expressa testimonia non sufficiunt? Ecquis non videt personas illas tam apertè distingui, vt confundi non debeant? Cum dicitur *Angelus Domini dixit ad eam, multiplicando multiplicabo*, &c, persona Angeli distinguitur apertè à persona Domini cuius fuit Angelus, quis ergo credat Angelum illum loqui non tanquam Angelum Domini, sed tanquam illam ipsam personam cuius dicitur Angelus? Quis credat eum deposita Angeli Domini persona, assumptaque Domini illius persona cuius angelus appellatur, id dixisse quod dixit? Quis credat cum vocatur Dominus & Deus, per Dominum & Deum eandem personam intelligi cuius dicitur Angelus? Quæ hæc esset personæ missæ & mittentis confusio? Quid? cum Angelus inducitur dicens, Ego sum Iehoua, Ego sum Deus Abrahami &c, vt sit non-

Gen. 31. nunquam, nūm sensus est, Ego sum illa persona cuius dicor An-
11. 13. gelus, Ego is sum à quo sum missus, & à quo venio nuntius?
Exod. 3. Ita Scriptura non sine aperta falsitatis & contradictionis specie
2. 6. personas relatiuè oppositas tribueret eidem eodem tempore. Cur Scriptura sic loquitur. *Et dixit Angelus Domini ad eam: multiplicando multiplicabo semen tuum*, nisi vt doceat verba illa, *multiplicando multiplicabo* &c, esse verba Angeli Domini? & cur docet esse verba Angeli Domini, nisi vt doceat Angelum Domini eum esse qui multiplicando multiplicaturus erat semen Agaris? Quod si hoc docere noluit Spiritus Sanctus, cur igitur non dixit simpliciter, *Et dixit Dominus ad eam*? Cur illius qui hoc dicit *multiplicando multiplicabo* &c personam describit, si is ex sua illa persona, quæ describitur, hoc non dicit? Quorsum enim illa descriptio personæ hoc dicentis ad Agarem pertinuisset, nisi vt videretur falsò sibi tribuere id quod sibi non conueniebat? Nam si hoc non dicit ex persona Angeli Domini, sed ex persona illius ipsius Domini cuius appellatur Angelus, quis non videt inter descriptionem personæ quæ hoc dicit & eius verba pugnam quandam intercedere, miniméque seruari decorum personæ, quæ loquens inducitur?

XLVII. Objiciet mihi forsitan aliquis exemplum Mosis, qui Deut. 11. 14. 15. loquitur quasi esset Deus. *Dabo*, inquit, *pluuiam terræ vestræ in tempore suo* &c. *Dabo quoque herbam in agro tuo* &c. versio Græca & vulgata Latina habent in tertia persona *Dabit*, sed in textu hebræo est ונתתי *Et dabo*. Si Moses eo loco assumpsit personam Dei, & loquutus est vt Deus, cur non potuit similiter Angelus Domini assumere personam Domini & loqui vt Dominus? Hanc objectionem in libris Aduersariorum non legi, sed, vt alibi dixi, veritatis causâ scribo non victoriæ. Non dicam subaudiri verba, *dicit Dominus*, calore dicendi, vt ita dicam, absumpta. Dicam hoc ipsum confirmare fidem nostram de diuina Domini nostri natura. Eius enim Moses insignis typus fuit. Typo autem nonnunquam id tribuitur quod ei non conuenit, sed rei tantùm significatæ, vt patet ex 2. Sam. 7. 13. 14. Psal. 45. alijsque multis locis. Qualis igitur Moses fuit typicè talis esse debuit Christus reapse, qualis ille fuit vmbratiliter talis hic fuit corporaliter. Concurrerunt quidem duo genera typorum ad eum mediatorem Dei & hominum adumbrandum Angeli & Homines, in-

primis Moses. Illi eum adumbrarunt secundum eius naturam diuinam, hi secundum eius naturam humanam potissimùm. vt autem duarum illarum naturarum vnio personalis, quoad eius fieri potuit, etiam in Mose adumbraretur, Primùm iubetur sic dicere filijs Israëlis Exod. 3. 14. *Ero misit me ad vos*, primam & tertiam personam simul copulans, vt innueret se illum qui futurus erat aliquomodo & esse & non esse: esse typicè & non esse reipsa: Illum autem, qui futurus erat, Deum Israëlis esse. Deinde Exod. 4. 16. *Tu*, dicit ei Deus, *eris ei*, nempe Aaroni, *in Deum*, & Exod. 7. 1. *Ecce constitui te Deum Pharaoni, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Denique hoc loco ipse Moses, quasi is esset quem adumbrabat, *dabo*, inquit, *vobis pluuiam in tempore.* sic in hoc Christi veri mediatoris typo nota quædam diuinitatis, sed, vt vmbram decuit, obscura & vmbratilis micuit.

XLVIII. Vtar alio exemplo ex eadem Genesi petito cap. XIX. ℣. 24. *Et Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham ignem & sulphur à Domino è cœlo.* In his verbis persona quæ pluit distinguitur à persona à qua pluit, gaudetque vtraque communi Domini seu Iehouæ nomine. Si negas, doce igitur quare sit hoc additum, *à Iehoua.* Nonne enim verbis illis, *Iehoua pluit*, satis significatum fuerat, pluuiam illam profectam fuisse à Iehoua? Cur igitur non contentus dixisse *Iehoua pluit*, subjunxit *à Iehoua*? frustràne hoc additum est hoc loco quod alibi non legitur additum, quodque adeò cum sit rarissimum non potest non afficere lectorem? solent enim quæ sunt admodum rara diligentiùs considerari & majore in pretio haberi, quàm quæ minùs rara sunt. Significat, Inquies, Iehouam pluisse à seipso. scilicet verendum erat, ne putaretur Iehoua pluisse ab alio quàm à Iehoua! Seposita distinctione personarum diuinarum quorsum hæc obseruatio pertinere possit non intelligo. Dices eò pertinere, vt innuatur, Iehouam pluisse à seipso immediatè. Dixisset igitur, inquam, potius *per Iehouam* quàm *à Iehoua.* hæc enim locutio non est comparata ad excludendas causas instrumentales, nihilque prohibet, quominus Deus dicatur facere aliquid à seipso per angelos aut homines. Ioh. 10. 18. *Pono*, inquit Dominus, *animam meam à me ipso.* Hocne dicit vt excludat causas instrumentales, Iudæos & Romanos? 2. Chron. XI. 4. *à me facta est hæc res*, quæ tamen facta fuerat per decem tribus Israëlis. Ac ne alia.

exempla conquiramus, non est credibile sacrum historicum ministerium eorum Angelorum excludere uoluisse, qui se missos profitentur à Domino ad perdendam Sodomam hoc ipso cap. Gen. 19. ℣. 13. Omnino quoquo se vertant Aduersarij idoneam rationem afferre non poterunt, cur sit additum מאת יהוה παρὰ κυρίου, *à Domino*, Gallicè *de la part du Seigneur*. Fatendum est igitur duas personas diuinas innui, quarum vna pluit ignem & sulphur ab altera. Distinguntur efficiendi modo & loco. Pluit enim vna ab altera, atque adeò hæc per illam siue mediante illa. Pluit illa apparens in terra aut iuxta terram, hæc verò sedens in cœlo. Nam ex tribus illis viris qui Abrahamo apparuerant, ille qui, & Dominus appellatur, & loquitur tanquam iudex mundi, non legitur cum duobus alijs ingressus esse Sodomam & exceptus hospitio à Lotho, sed videtur Lotho è Sodoma educto apparuisse, atque eum fuisse quem Lothus precatur ℣. 19. & 20. quique, vt Dominum decebat, eum exaudit ℣. 21. Hoc autem totum sic prudentissimè scriptum est, vt extaret in ea historia typus vel specimen, vel, vt loquitur Iudas, δεῖγμα, aut, vt ait Petrus, ὑπόδειγμα futuri impiorum iudicij. Descendet enim è cœlo Filius, cui Pater omne iudicium dedit, isque à Patre suo destruet omnes impios igne æterno ac sulphure. vt igitur hac quoque in parte typus & res adumbrata, aut si mauis specimen & id cuius est specimen sibi mutuò, vt par erat, responderent, duæ personæ inducendæ fuerunt, quarum altera iudicium illud exerceret ab altera, Filius nempe à Patre.

Iud. 7. 2. Pet. 2. 6.

XLIX. Subiungam & tertium locum ex eodem libro Gen. XI. vbi Dominus, de quo vsurpata fuerant verba singularis numeri, *Descendit, videret, dixit*, vers. 5. & 6. inducitur vers. 7. sic se & alias personas diuinas cohortans, *Agite, descendamus, & confundamus ibi labium eorum.* Ad hunc locum respondet Socinus in hoc eodem fragmento his verbis, *Obseruandum est hoc loco, paullò superiùs ab hominibus illis vrbem & turrim construere volentibus dictum fuisse*, Venite faciamus lateres, &c. *& iterum*, venite faciamus nobis ciuitatem, & turrim. *Vnde* κατὰ μίμησιν *quandam, ea verba à Deo, qui simul eos irridere, & eorum inceptum atque conatus irritos se facturum dicere volebat, prolata fuisse planè verissimile est, adeò vt etiamsi secum ipsum, & de seipso tantùm loquutum Deum fuisse statuamus, nullam tamen pluralitatem in ipso per numerum illum

lum pluralem significari appareat. Primùm, Est-ne mimesis cum alio tempore, ad alias personas, alia verba seriò pronunciantur, seriòque executioni mandantur, sic, vt nihil sit simile præter genus sermonis qui vtrobique hortatorius est, & verborum numerum pluralem? Illi homines diu antè dixerant, *venite faciamus lateres*,&c. *Venite & faciamus nobis ciuitatem & turrim*,&c. Deus alio tẽpore ad alios dicit, *Venite descendamus, & confundamus labium eorum.* Quid est simile nisi illud *venite* heb. הבה interiectio hortantis E*ia, Age, Agite*? Fuitne in plurali numero, quo se alij alios, quia reuera plures erant, cohortati fuerant, aliquid, aut falsi, aut inepti, quamobrem ficta pluralis numeri imitatione, propterea quod vsi essent numero plurali, deridendi essent? Erat-ne tanti apud Deum eiusmodi Mimesis, vt eam qualemcunque mallet, quàm personæ suæ & ædificationi Ecclesiæ conuenienter loqui? Loquantur sanè κατὰ μίμησιν aliter quàm oportet, illi, quorum consilium est aut fallere, aut delectare tantùm. Qui seriò aut historias scribunt, aut docent hos veritatis potius rationem habere decet quàm eiusmodi figuræ sermonis, quæ minùs, & veritati orationis conueniat, & grauitati loquentis.

L. Adde quod iam Deus sese fuerat plurali numero cohortatus, *faciamus hominem ad imaginem nostram* &c, nec tamen κατὰ μίμησιν. Iam se plures esse personas apertè & disertè docuerat dicendo, *Ecce Adam factus est sicut vnus ex nobis*, nec tamen in eius illis verbis vlla fuerat Mimesis. Quod igitur pluralem de se numerum vsurpat, id non est ascribendum studio homines illos imitandi, eorumque verba effingendi, deque sese vno sic loquendi quemadmodum illi de se pluribus loquuti fuerant. Quanquam etiamsi aliqua in verbis illis esset Mimesis, ea tamen figura impedire non deberet, quin quàm appositè de se pluralem numerum homines illi vsurpauerant, tam etiam appositè & verè Deus de se pluralem vsurparet numerum. An enim quia de pluribus pluraliter loquuti fuerant, vt eorum Deus imitaretur sermonem, ei fuit loquendum pluraliter de vnica persona singulari? Num tanto studio eos homines imitandi flagrabat Deus, vt suæ ipsius singularitatis obliuisceretur? Num ita tenebatur studio inanem quandam syllabarum similitudinem aucupandi, vt propterea sensum negligeret, pluraliterque efferret quod nollet accipi pluraliter? Num voluit lectores in eo plurali expendendo operam suam in-

vtiliter collocare, vt post multam disquisitionem nihil inuenirent, nisi pluralem illum esse inanem & vacuum sensu, studio imitandi pluralem illum numerum quo turris Babel extructores vsi fuerant, à Deo (adeò impensè huiusmodi imitatione delectabatur) sine vllo alio vsu effictum? Captatne Deus sine vllo fructu tales leuiculas figuras, quibus delectari solent homines irrisores? Decetne nos ita versari licenter in verbis ipsius Dei interpretandis, ac si alicuius hominis essent? Quanquam nescio an eiusmodi Mimesis, qualis ista foret, cadere possit in auctorem prudentem & grauem.

LI. Præter superiorem responsionem huius loci propriam, duas alias adhibet veluti subsidiarias Socinus, quas locis Gen. 1, 16. & 3. 22. jam aptauerat nosque à VVolkelio, & Schlichtingio propositas iam refutauimus. Earum responsionum prima est, Deum sese & Angelos suos compellare verbis illis, *Venite descendamus, & confundamus linguam eorum. Id quod,* inquit, *hîc tantò rectiùs dici potest, quantò in confundenda lingua coram hominum verisimilius est, Deum angelorum opera vsum fuisse, quàm in homine condendo, cum nulla hîc prorsus suspicio sacrilegij futura sit, si eius operis, linguam scilicet hominum confundendi, angelos participes faciamus per quos multò præstantiora opera Deum sæpiùs patrasse compertum est.* Non repetam argumenta, quibus hoc commentum iam refutaui ad Arg. XXXVII. § 27.28.29.30. 46.47.48.49.50. 51. Retorquebo illud ipsum quod Socinus hoc loco vrget. Quid enim est hoc loco confundere linguam? Nonne in instanti maternam linguam ex animo delere, & nouam in illius loco creare? Tantumne igitur possunt in hominum mentes Angeli? Num Scriptura tale quiddam illis alicubi tribuit?

LII. Certé hoc loco altum est de Angelis silentium. Qui loquitur, qui exequitur Dominus seu, vt vulgò pronunciant, Iehoua appellatur, quod nomen ei non est cum angelis commune. Quos autem secum cohortatur, eos, veluti socios & sibi naturâ æquales, compellat, ac tanquam secum eiusdem descensus participes, & confusionis linguarum autores. id quod est eos sibi æquare. Quorsum igitur id pertineret si angelos alloqueretur, nisi vt insinuaret, secum angelos diuisum habere mundi imperium, esseque suos in genere humano creando & gubernando socios, sibi propterea in cultu ab hominibus exhibendo adiungen-

dos? Fac ergo Deum angelorum opera ad confundendam linguam hominum & nouas linguas in eorum animis creandas vsum fuisse. vsus ne est eorum opera tanquam seruorum suorum, an tanquam sociorum? tanquam seruorum, opinor. Cur igitur non dixit potius in imperatiuo, Agite, descendite, confundite linguam eorum? Cur se non tanquam Dominum, sed tanquam socium illis adjunxit? Cur hæc linguæ confusio, &, quæ ea ratione facta est, hominum dispersio in sequentibus versibus soli Domino tribuitur, & quidem ter, adhibitis verbis singularis numeri, neque ei in eo opere adjunguntur angeli? Cur dixit *Descendamus*, quasi eodem sensu de suo & eorum quos secum alloquebatur descensu verbum illud vsurparetur, cum certum sit longè alio sensu Deum, alio angelos dici descendere? Ille enim duntaxat figuratè, hi verò propriè descendere dicuntur. Cur denique dixit, *& confundamus*, quasi ipse per sese immediatè vna cum illis personis, quas alloquebatur, rem illam mandaturus esset executioni? Nam si vsus est opera seu ministerio angelorum, partes eius fuerunt imperare, angelorum exequi.

LIII. Alteram responsionem Socinus his paucis verbis proponit. *Quod verò*, inquit, *de numero plurali singularis loco vsurpato diximus, hîc plausibilius multò videri potest, cum Deus hoc loco manifestè, tanquam imperium & auctoritatem habens, loquatur.* Hoc quoque ipsum retorqueo. Cum enim homines illi *dicerent, quisque ad proximum suum, venite faciamus lateres* &c, *venite faciamus ciuitatem* &c, num loquebantur tanquam imperium & auctoritatem habentes alij in alios? Contrà est potius. Loquebantur tanquàm socij ad socios. Cum igitur Deus dicit similiter, *Venite descendamus, confundamus*, non loquitur tanquam imperium & auctoritatem habens in eos quos secum alloquitur, sed contrà potius, tanquam qui vnus sit de eorum numero, & qui velit cum illis manum operi illi admouere, immò quasi non minùs ab illis quàm ab ipso pendeat operis illius effectio, quasique non possit ab ipso fieri, nisi illis consentientibus ac concurrentibus. itaque non minus se, sibi sine dubio æqualem, quàm eos, verbis illis compellat & cohortatur, ac propterea nullam præ se ferunt verba illa autoritatem, nullum imperium. Ex quo intelligitur, nec Angelos compellari, nec Deum de se ipso numerum pluralem vsurpare honoris causa, aut auctoritatis ostendendæ gratia.

LIV. Addam & quartum locum ex Pf. xcv. ℣ſ. 7. *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, &c. Nonne hîc duæ apparent perſonæ, vna quæ loquitur, altera quæ pronomine *Eius* ſignificatur? Cur enim non dicit qui loquitur *vocem meam*, ſed, *vocem eius*, niſi vt ſe ab eo cuius vocem commendat ſignificet perſonam eſſe diſtinctam? Iam autem negari non poteſt, quin vtraque illa perſona ſit diuina, ſit Deus. Illa quidem cuius vox commendatur: refertur enim pronomen *Eius* ad eum de quo agebatur, cuiuſque nomen exprimitur in verbis antecedentibus. Is autem appellatur Dominus & Deus, & mare, & aridam, & homines feciſſe affirmatur. Illa etiam quæ loquens & Dei vocem commendans inducitur: Id enim ipſa teſtatur verbis ſequentibus. *Sicut in irritatione ſecundum diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me patres veſtri: probauerunt & viderunt opera mea. Quadraginta annis offenſus fui generatione illa, & dixi ſemper hi errant corde & iſti non cognouerunt vias meas: & iuraui in ira mea, Si introibunt in requiem meam.* Sunt igitur ſaltem duæ perſonæ diuinæ, quæ in deſerto ſuas partes egerunt. vna apparuit Moſi in monte Sinai, è cuius cacumine & Moſem & populum Iſraeliticum allocuta eſt certo tempore. Altera fuit cum Moſe & populo Iſraelitico quandiu peregrinati ſunt in deſerto. Hæ duæ perſonæ ita diſtinguntur, vt hæc dicatur Angelus illius, ſed Angelus in quo eſſet nomen Domini, quique eſſet prædictus ſumma auctoritate, vt patet ex cap. 23. Exod. ℣. 20. 21. vt autem hæc perſona fuit Angelus Domini qui loquebatur è monte, ſic Dominus qui è monte loquebatur erat Angelus Domini, vt patet ex Exod. 3. 2. Act. 7. 38. &c. Erant igitur tres perſonæ. vna erat tantùm Dominus ac mittens. Altera erat ita Dominus, vt tamen Angelus diceretur illius Domini. Tertia erat etiam ipſa & Dominus, & Angelus Domini illius qui loquebatur è Monte. Prima miſerat ſecundam, ſecunda tertiam. Reſpondebant tres illæ perſonæ tribus perſonis diuinis in Euangelio reuelatis. Pater non mittitur ſed mittit. Filius miſſus à Patre loquutus eſt certo tempore è cacumine montis Sion, fœduſque Euangelicum promulgauit. Spiritus Sanctus miſſus à Filio, in medio fidelium eſt quandiu peregrinantur in hoc mundi deſerto, eiuſque partes ſunt efficere, vt voci Filij auſcultemus. itaque auctor Ep. ad Heb. obſeruauit eum qui dicit, *Hodie ſi vocem eius audieritis* &c, eſſe Spiritum Sanctum.

LV. Hæ eædem tres personæ diuinæ inducuntur loquentes Ps. 2. Pater ℣.6. *Et ego vnxi regem meum super Sion montem sanctitatis meæ.* Filius ℣1.7.8.9. *Narrabo Decretum. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, hodie genui te.* Spiritus Sanctus ℣1.10.11.12. *Nunc ergo Reges*, &c. Horum trium testium diuinis testimonijs & verbis, non autem armis carnalibus, patefactum est quàm stulti atque irriti fuerint hostium Domini nostri Iesu Christi, cum eum condemnarunt & morte affecerunt conatus, quàm vana consilia. Solo Patris, Filij, & Spiritus Sancti verbo, hostes Dei & Christi oppugnantur efficaciter, & debellantur. itaque nihil aliud eis eo psalmo opponitur.

LVI. Possem etiam addere hoc loco verba Domini apud Esai. 6. 8. *Quis ibit nobis*, hoc est, mihi & Patri meo: sunt enim verba Filij, vt probatum est à nobis Disp. 1. necnon refellere ineptam Socini conjecturam, qui in hoc ipso fragmento affirmat, Deum in hoc loco *sine dubio dixisse* Mi jelech lanu *pro* Mi jelech lo mimmennu. Hoc est, *Quis ibit nobis*, pro *quis ibit ex nobis.* Aitque in ea re *miram esse elegantiam*, deque suo isto inuento, tam scilicet egregio, modesta quadam ratione gloriatur. Rationem huius suæ affirmationis & verborum illorum contortionis nullam affert. Putauit, opinor, sibi sine ratione, non minus quàm olim Pythagoræ, credi debere. Sed neque necesse est omnia ad examen reuocare, & nolo istam additionem longiorem facere.

LVII. Vt igitur ad plurale Elohim redeam, Si in vtriusque Testamenti Scriptura plures personæ diuinæ apparent, quid est quamobrem non existimemus, ob eam pluralitatem plurale illud nomen impositum Deo fuisse? Cur enim aliam fingamus pluralitatem, cum hæc sola sit & nominis illius numero, & significationi, & reuelationi diuinæ consentanea? Sic abundè confirmatum nobis videtur Argumentum nostrum ex numero plurali nominis illius petitum. Ne quis tamen scrupulus hæreat in animo lectoris, Distingui velim diligenter inter causam impositionis nominis & eius impositi vsum. Quæ distinctio firmari potest multis exemplis. Nomina Hebræa menbrorum, quæ sunt in corpore humano bina, loco pluralis numeri dualem habent. Cur, nisi quia in vnoquoque homine non sunt eiusmodi menbra plura duobus? Duæ tantum sunt aures, duo oculi, duæ manus, duo pedes &c. vtuntur tamen istis dualibus nonnunquam Hebræi,

tanquam pluralibus, ad plures oculos, manus, pedes &c. significandos. Ratio cur expanso seu cœlo nomen duale *schamaym* impositum fuit est cœlorum, vt ita loquar, dualitas: sunt enim duo cœli; vnum inferius supra quod sunt aquæ, alterum superius in quo sunt luminaria, tamen vsurpatur illud duale de vno cœlo, modò de hoc infimo in quo volant aues, qui propterea cœli volucres appellantur, modò de superiore in quo sunt sol & luna & stellæ, modò etiam de supremo illo quod Apostolus tertium vocat. Similiter dualis numeri est nomen hebræum *Maym.* cur? Nonne propter duas aquas, quarum aliæ sunt supra, aliæ infra expansum? Attamen id nomen sæpenumero de vnis aquis vsurpatur, modò de ijs solis quæ sunt supra expansum, modo de ijs solis quæ sunt infra expansum, vt ex Gen. 1. *℣. 6.* & 7. & alijs plurimis locis liquere potest. Idem accidit nomini Elohim, quod plurali numero ob pluralem numerum personarum diuinarum, vti jam probauimus, impositum est Deo. Id enim interdum de vnica persona diuina, modò de Patre, modò de Filio, modò, sed rarius, de Spiritu sancto vsurpatur, manente interim vera ratione ob quam, cum plurale esset, ad Deum significandum destinatum, atque institutum, & selectum est. Reliqua quæ habentur in isto Socini fragmento, vel jam satis refutata videntur, vel etiam minus digna refutatione.

FINIS.





Index Locorum Scripturæ Sacræ, qui in hoc & superiore libro, vel ex professo, vel obiter, exponuntur.

a Librum primum, b Hunc secundum significat.

Cap.

FINIS.



Errata quædam crassiora sic benigne Lector corrigito.

Pag. 8. in margine *lege* VVickum. 18. in margine pro 54. *lege* 55. 45. & 46. *lege* Rom. IX. 32. 64. *lin.* 8. *lege contemptibilem fecit terram Zabulon & terram Nephtali.* 166. *lin.* 4. dele Matth. 5. 14. 137. *lin.* 42. *lege* 2. Thess. 2. 7. 254. *lin.* 9. & 10. *lege* Hieronymum Euangelistas & Apostolos. 310. th. 25. lin. 11. *lege* substantiæ. 313. lin. 26. *lege Maledictus non est.* 326. th. XI. l. 10. *lege* huic. 387. th. XLVII. *lin.* 8. *lege* disjungi. 414. th. 36. *lin.* 18. pro pluralis, *lege* singularis. Reliqua pro tua æquitate & prudentia, Lector beneuole, facilè, vti spero, per teipsum corriges.

5-32